CURSUS PHILOSOPHICI MONASTERII S. GALLI.

TOMUS II.

Seu

PHYSICA.

PARS PRIOR.

Ex Typographia ejusdem Monasterij S. GALLI,
PER JACOBUM MÜLLERUM.
ANNO M. DC. LXXXXVI.

Figuræ pro Tomo Secundo.

Figura A. fol. 28.



Fig. B. fol. 33.




Fig. C. fol. 34.




Fig. D. fol. 34.




Fig. E. fol. 35.




Fig. F. fol. 35




Fig. G. fol. 37.




Fig. H. fol. 38.




Fig. I. fol. 39.








Fig. K. fol. 103.




Fig. L. fol. 104.




Fig. M. fol. 106.




Fig. N. fol. 106.




Fig. O. fol. 118.




Fig. P. fol. 118.




Fig. Q. fol. 119.




Fig. R. fol. 119.




Fig. S. fol. 119.




Fig. T. fol. 119.








Fig. V. fol. 140.



Fig. X. fol. 196.




Fig. Y. fol. 196.




Fig. Z. fol. 197.




Fig. Aa. fol. 197.




Fig. Bb. fol. 198.




Fig. Cc. fol. 198.




Fig. Dd. fol. 199.




Fig. Ee. fol. 200.




Fig. Ff. fol. 200.




Fig. Gg. fol. 200.




Fig. Hh. fol. 201.




Fig. Ii. fol. 204.




Fig. Kk. fol. 204.




Fig. Ll. fol. 204.




Fig. Mm. fol. 205.





Fig. Nn. fol. 205.



PRÆLUDIA.

§. Unicus.

De Natura Physicæ.

SUMMARIA.

1. *Objectum materiale Physicæ est corpus naturale.*
2. *Idem quâ tale est objectum formale.*
3. *Physica est vera scientia.*
4. *Simpliciter speculativa,*
5. *Et ejusdem speciei Infimæ.*
6. *Primum sensatum est accidens singulare;*
7. *Sed primum intelligibile est species specialissima, non sub hâc speciali ratione, sed confusa entis & existentis.*

SCripsit Aristoteles teste Laërtio libros quadringentos, in quibus adeò nihil in rerum natura intactum reliquit, ut eum tam Platonici, quàm Peripatetici Dæmonium vocârint, quasi tanta, tamque exquisita rerum omnium scientia dæmoni potiùs, quàm homini conveniat. Inter alios celebres sunt octo libri Physicorum, quibus Aristoteles titulum dedit *Physicæ auscultationis*; solebat enim Aristoteles matutino tempore ea prælegere & explicare, quæ captu essent difficiliora, quæque intelligi non possent, nisi audita & explicata:

Veſpertino faciliora & vulgo accommodata, quæ vocabat *Exoterica*, inter quæ Poëſeos, & Rhetoricæ præcepta continebantur, & libri de hiſtoria animalium, quos Græci *Libros 800. talentorum* vocant, tanti enim Alexandro Regi conſtiterunt, hoc eſt monetæ noſtratis aureos *480000.* talentum enim Atticum aureum *600.* aureos valet. In libris ergo Phyſicorum diſſerit Ariſtoteles de rebus naturalibus generatim, earumque principijs, cauſis & affectionibus.

I. *Quæritur 1.* Quodnam ſit *objectum* Phyſicæ?

Reſp. 1. Objectum *materiale* Phyſicæ eſt *corpus naturale*, eſt communis. *Ratio eſt,* quia illud eſt objectum *materiale*, de quo, & cujus partibus, cauſis, ac proprietatibus ſcientia aliqua agit: Sed Phyſica agit tantùm de corpore naturali, ejuſque partibus, ut patet conſideranti omnia, quæ in Phyſica tractantur, & quamvis etiam agat de Deo, & Angelis, quæ non ſunt corpora, de illis tamen non agit *abſolutè*, ſed tantùm ut induunt, habentque connexionem aliquam ad Corpus naturale, & mobile (natura enim eſt principium motûs) Deus quidem, ut primus omnium Motor, Angelus verò ut Motor orbium cœleſtium.

II. *Reſp. 2.* Objectum *formale* ſcientiæ Phyſicæ eſt corpus *naturale qua tale*, hoc eſt, quatenus eſt principium motûs propriè dicti. Ita Ariſt. *lib. 1. de Cœlo. c. 1. text. 1.* S. Thom. *6. Metaph. l. 1.* *Ratio eſt*, quia Phyſicus non conſiderat Corpus ſub omni & tota ſua latitudine, nec enim conſiderat illud ut ens, ut verum, ut Sanabile, ut ſubjectum virtutis &c. ſed præcisè *ut naturale* & ſub abſtractione à materia tantùm ſingulari, non verò ſenſibili: eſt verò naturale, quatenus eſt prima radix alicujus motûs propriè dicti: quæ ratio eſt, ut S. Doctor objectum Phyſicæ conſtituat *ens mobile*, ut expreſsè loquitur in Procœmio Phyſ. & *opuſc. 42. c. 4.* quæ locutio S. Doctoris licèt in re idem dicat, quod alij communiter, in modo tamen loquendi eſt longè magis expreſſiva, & formalis, *tum* quia longè notius eſt, omne quod moveri, & mutari poteſt eſſe ens, quàm eſſe corpus, de hoc enim dubitatur, & demonſtratione indiget, nec eſt per ſe notum, ut infrà patebit; *tum* quia propria & adæquata paſſio, quam de ſuo objecto Phyſica demonſtrat, eſt motus: Sed motus definitur *actus entis in potentia*, non

actus

actus corporis: & ideo si per impossibile daretur aliquod ens, quod verè ac propriè esset mobile, nec esset corpus, adhuc ad Physicam pertineret: in re tamen cùm omnis motus habeat prius, & posterius, & consequenter partes, semper est in corpore, hoc est, in substantia divisibili, & ex partibus composita. *Tum* quia ex omnium sententia objectum *formale* hujus scientiæ est *naturalitas:* atqui natura definitur *principium motûs*, & definitio est clarior definito, ergo objectum *formale* clarius & distinctius traditur per τὸ *mobile* quàm per τὸ *naturale:* & multi nesciunt quid sit esse *naturale*, nemo autem, qui nesciat, quid sit esse *mobile*, vel *mutabile:* Sicut ergo Mathematica de Quantitate agit secundùm se, quatenus fundat proportiones, & mensuras, nec tamen considerat rationem accidentis, quamvis sine hac quantitas esse nequeat; sic Physica agit de radice motûs, hoc est, de natura, abstrahendo, nec curando, an hæc sit corpus, quamvis ut infrà dicetur, solum corpus naturali motu agitetur. Ex quibus patet, meliùs à S. Thoma pro Physicæ objecto assignari ens, vel substantiam *mobilem* quàm corpus *mobile*. Sunt aliqua quidem corpora incapacia mutationis substantialis, sicut cœlum, & alia corpora incorruptibilia, quæ tantùm accidentaliter mutantur, sed hæc etiam pertinent ad objectum Physicæ, cùm habeant eandem rationem *formalem naturalitatis*, natura siquidem æquè est principium motûs accidentalis, ac substantialis. Sunt etiam aliqui motus metaphysici potiùs, quàm physici, & nec isti ad Physicam pertinent: Sic Angelus creari & annihilari potest, creatio tamen & annihilatio non est motus physicus, quia motus supponit subjectum in quo fit: Ijdem Angeli moventur motu locali, aut etiam cognitionis, qui tamen non sunt motus physici, quia abstrahunt à materia sensibili. Mathematicus considerat motum cœli, sed ut sic non agit Mathematicum, sed potiùs Physicum, quia motum considerat ut sensibilem, & ut proprietatem corporis sensibilis & naturalis; hæc enim propositio, *sol movetur*, est physica, quia sensibilis, & considerat motum ut proprietatem solis: Hæc verò, *Solis motus est circularis, & per aequalem à centro distantiam*, est mixta ex physica, & mathematica, quia considerat figuram circularem, ejusque proprietates, quod Mathematici est.

III. *Quæritur 2.* An Physica sit scientia, & *Qualis?*

Resp. 1. Physica est vera scientia. *Ratio est*, quia habet intra propriam abstractionem principia per se nota, & conclusiones ex illis deductas, v. g. *Contraria se mutuò expellunt & corrumpunt, ergo mixta, quæ contrarijs qualitatibus constant, sunt corruptibilia. Ubi est parcitas & raritas materiæ, naturaliter est levitas, ergo elementum ignis est leve. Medium per quod omnes colores videntur, ut sunt, non debet esse coloratum &c. ergo aër non est coloratus: Excessivè humida facilè corrumpuntur, quia minùs resistunt, ergo caro juvenum & recentium animalium faciliùs, quàm senum corrumpitur &c.*

Objicies: Scientiæ sunt de necessarijs, ergo non de mutabilibus & corruptibilibus; sed res naturales sunt mutabiles & corruptibiles, ergo &c. ℞. Hanc ipsam mutabilitatem & corruptibilitatem rerum naturalium esse necessariam, & habere causas necessarias, per quas sciri, & demonstrari potest; ideo enim res sublunares corrumpi possunt, quia contrarijs constant, & subsunt: sic etiam res naturales, quamvis absolutè sint contingentes, factâ tamen hypothesi certarum circumstantiarum, necessariæ sunt: v. g. contingit lunam eclypsari, factâ tamen certâ oppositione lunæ & solis mediâ terrâ, & hujus umbrâ, eclypsis est necessaria, & in his circumstantijs demonstrari potest.

IV. *Resp. 2.* Physica est scientia absolutè *speculativa. Ratio est*, quia tota eò tendit, ut intellectum perficiat circa contemplationem naturæ, in quo magna utique difficultas est, quæ per specialem habitum tolli debet: quamvis verò ipsa contemplatio naturæ excitet in amorem Creatoris, hoc est Physicæ *per accidens*, nam sine hoc amore, imò cum odio Creatoris potest haberi perfectissimus habitus scientiæ Physicæ, ut patet in Dæmonibus. Medicina etiam, quæ vocatur Theorica, est simpliciter practica; cùm enim habeat pro objecto corpus sanabile per artem, quidquid considerat, considerat ut media, vel principia ad sanitatem conferendam ordinata, nec ullo modo est pars Physicæ, cùm habeat distinctum objectum *formale*, de quo vide S. Thom. *Opusc. 70. ad 4. Nec obstat*, quòd Medicina eandem habeat abstractionem, quia scientiæ practicæ unitas aut distinctio à speculativa non attenditur penes abstractionem, sed penes hoc, quòd finis speculativæ est contemplatio veritatis, pra-

practicæ verò opus; videtur tamen subordinari Medicina Physicæ, quia Medicina addit corpori naturali differentiam accidentalem *Sanabilis*, quæ est radix multarum proprietatum practicarum.

V. *Resp. 3.* Physica est unius speciei infimæ scientia. *Ratio est*, quia agit quidem de rebus specie diversis, sed *sub* eadem *ratione formali*, eademque abstractione; omnia enim sua objecta considerat, ut *naturalia* & in materia sensibili, & ita omnes conclusiones physicæ tandem reducuntur in definitionem naturæ. *Secus* est in Geometria & Arithmetica; hæ siquidem non resolvuntur in principia quantitatis, quam Mathematicus ut sic non considerat, sed Metaphysicus aut Physicus: sed in principia & mensuras *primò* diversas, Geometria in punctum, Arithmetica in unitatem; unde nulla istarum scientiarum de quantitate ut sic proprietates aliquas demonstrat, quod manifesto argumento est, non habere quantitatem pro comuni objecto, sed mensuras illas, ut modò dictum est, *primò* diversas.

Quia verò scientia Physicæ primò incipit à sensuum cognitione, & ab hac ad intelligendum fit transitus, dicendum aliquid est de primo sensato, & deinde de primo intellecto. Unde

VI. *Quæritur 3.* Quod sit primum sensatum?

Resp. Primum sensatum, hoc est, primum objectum, quod sub sensum cadit, est accidens aliquod singulare. *Est certa*, quia sensus est tantùm de accidentibus; & quidem singularibus, nec enim visus v. g. aliud cognoscit, quàm hunc colorem, auditus nihil aliud, quàm hunc sonum &c. cujus rei nulla alia ratio præter experientiam tradi potest, quàm limitatio sensuum. Inter qualitates autem sensibiles prima, quæ concepto, aut nato homini occurrunt, videtur esse tangibilis, *tum* quia tactus est sensuum imperfectissimus, ergò primus à natura gignitur: *tum* quia maximè necessarius; nulla enim qualitas æquè nociva est, & corruptiva animalis ut tangibilis, & ideo nulla priùs sentiri debet ut fugiatur, ne videl. priùs lædat, quàm sentiatur: *tum* denique quia cæteris paribus illa qualitas priùs in sensum agit, & consequenter priùs sentitur, quæ magis activa & efficax est, ea verò est calor, qui est qualitas tangibilis: & notant etiam Philosophi, infantes recèns natos ideò in fletum prorumpere, & inter lachrymas nasci, quia de loco temperatè calido, qualis est maternus uterus, aëri frigido, nec ita temperato exponun-

nuntur: Primus ergo sensus, qui à nativitate offenditur, est tactus.

VII. *Quæritur 4.* Quod sit primum intelligibile?

Resp. Primum, quod modo naturali intellectus noster in hac vita cognoscit, est quidem species aliqua specialissima, & sensibilis, v. g. homo, equus &c. non tamen sub ratione illa speciali & distincta; sed tantùm sub ratione confusa entis, & existentis. Cùm ergo proponitur aliquod objectum cognoscendum, v. g. phœnix, aut crocodilus, primũ quod cognosco est, phœnicem esse rem aliquam, quamvis fortè dicere non possim, quid sit, & quomodo à rebus alijs distinguatur. Sicut cùm navim procul video, scio quidem illud objectum, quod video, non esse merum colorem, sed aliquid aliud, & tamen non possum dicere, quid aliud videam præter colorem. *Ratio* hujus conclusionis contra Scotum & Scotistas est 1. Auctoritas S. Thomæ *in princ. de Ent. & ess. & 1. p. q. 85. a. 3. & q. 28. a. 3.* 2. Ab experientia; priùs enim rem aliquam confusè, quàm distinctè cognoscimus; priùs definitum, quàm definitionem; priùs phœnicem esse aliquam avem, quàm talem avem: priùs cypressum, quàm ejus ultimam differentiam, quâ distinguitur ab alijs arboribus &c. ergo prior omnium cognitio erit confusissima, hoc est, de objecto prout ens est. 3. Natura æquè ac ars incipit à faciliorib⁹, nihil verò faciliùs cognoscitur, quàm rem propositam aliquid esse: nescit rusticus, quid adæquatè sit margarita, si tamen ei margaritam proponas, intelligit continuò margaritam esse aliquid, idque explicitè: implicitè tamen & confusè esse rem aliquam certam, non arborem, non animal, nescit tamen explicitè & positivè quid sit. Illud verum est, posse intellectum adeò perspicacem esse, aut objectum tam clarè propositum, aut aliàs notum, ut primo statim aspectu, & perfectè cognoscatur, non verò per partes, & incipiendo à ratione confusa entis; hoc enim experientia testatur: & sicut aliquæ sunt imagines *tum* naturæ, *tum* artis, quæ statim, ac totæ formantur (ut in speculo, ceraque videre est) ita dicendum est de imaginibus ab intellectu receptis; nihil enim est aliud cognitio, quàm imago objecti: & in hoc sensu vera est sententia Scoti; sed hic casus est rarus, nec de illo loquitur S. Thomas, sed de eo quod fieri plerumque solet, & de objectis, quæ paulatim, & successivè cogno-

gnoſcuntur. 4. Id primò à nobis cognoſcitur, quod nobis eſt notius, id verò eſt notius, quod frequentius videmus, & quod pluribus convenit: atqui gradus entis eſt talis, nihil enim eſt, aut cognoſcitur, quod non ſit ens; ergo gradus entis eſt prima nota, primuſque character rerum omnium, quique primò cognoſcitur: Sicut ergo qui Aſtrologus non eſt, ſi ſudum, ſerenumque cœlum aſpiciat, ſtelliſque innumeris ſparſum, quamprimum ſtellam polarem videt, cognoſcit eam eſſe ſtellam, quamvis neſciat an polaris, an fixa, an errans, an auſtralis, an borealis ſit; ita cui objectum aliàs ignotum proponitur, primum quod in eo cognoſcit, eſt eſſe ens; ergo ratio entis eſt primum cognoſcibile. 5. Potentia intellectiva humana eſt in eſſe cognoſcitivo pura potentia, & inſtar tabulæ raſæ, ergo objectum illi maximè proportionatum & connaturale eſt pura potentia in eſſe cognoſcibili, ergo gradus entis (hic enim ut ſic nullam dicit differentiam, nec ullam facit diſtinctionem) ergò primò ab intellectu cognoſcitur; id enim intellectus magis, & primò cognoſcit, quod magis illi proportionatur, ſicut quælibet potentia in illud primò fertur, quod ei maximè connaturale eſt &c. 6. Natura procedens à perfecto ad imperfectum, priùs per medium tranſit, quàm ad extrema perveniat: ſed cognitio confuſa eſt media inter ignorantiam & cognitionem diſtinctam: & ratio entis eſt media inter nihil & ens tale; ergo intellectus in objecto priùs cognoſcit rationem entis, quàm ejus differentiam & ſpeciem infimam. 7. Sic ſe habet intellectus ad objectum intelligibile, ſicut ſenſus ad objectum ſenſibile; ſed ſenſus, v.g. viſus, ſi procul videat Socratem venientem, priùs ut aliquid, deinde ut animal, deinde ut hominem, tandem ut Socratem videt; ergo idem de intellectu dicendum, quod enim oculo eſt diſtantia, hoc intellectui eſt ignorantia objecti. 8. Ea priùs ex ſua natura cognoſcibilia ſunt, quæ ad ſui cognitionem paucioribus indigent; talia verò ſunt magis univerſalia, quæ pauciſſimis prædicatis conſtant, & ideo cuilibet in promptu eſt judicare, ſub quo genere remoto res aliqua ponatur, ubi de ultimis differentijs vix etiam ſapientiſſimis conſtat; quis enim neſcit adamantem eſſe gemmam, myrrham eſſe ſuccum, amaranthum herbam? ſed quàm pauci, qui iſtorum ultimas, &

ſpecificas differentias noverint? gradus ergo quò communiores, eò naturaliter & ſecundùm ſe notiores ſunt, ergo cæteris paribus priùs cognoſcuntur. 9. Gradus univerſales in objecto diſtante ac remoto priùs cognoſcuntur & potentiam movent, ut experientia docet, & fatetur Scotus & Scotiſtæ omnes; ergo etiam, *niſi* aliud *obſtet*, in objecto proximo & vicino; quod enim magis agit, cùm diſtat, magis etiam aget, cùm vicinum eſt, ac debitè applicatum, vicinitas enim & applicatio non minuunt objecti cognoſcibilitatem, ſed augent, ut patet experientiâ. Ex his ergo rationibus clarum eſt, primum, quod cognoſcitur *cognitione actuali confuſà* & ſervato naturali ordine, eſſe gradum entis in quolibet propoſito objecto. Dicitur *cognitio actualis*, quia res quælibet non tantùm eſt potentiâ ens (ſicut animal eſt potentiâ homo) ſed actu. Dicitur *confuſa*, quia ratio entis eſt communiſſima, & per eam unum ab alio non diſtinguitur; cùm verò priùs aliquid confusè, quàm diſtinctè cognoſcatur (eſt enim confuſa cognitio media inter ignorantiam & cognitionem diſtinctam) ſequitur, ſervato naturæ ordine, ac cæteris paribus, rationem entis eſſe ſimpliciter primum cognoſcibile, ſicut etiam hoc principium, *Quodlibet eſt vel non eſt*, eſt ex ſua natura evidentiſſimum, & conſequenter primum cognoſcibile (quamvis per accidens alia priùs cognoſcantur, quia priùs proponuntur) & tamen conſtat terminis ſimpliciſſimis entis. Si verò loquamur de cognitione actuali diſtincta, non tantùm in ſententia S. Thomæ, ſed etiam Scoti certum eſt, magis univerſalia priùs cognoſci quàm minùs univerſalia & ſpecies infimas, cognitio enim diſtincta tunc habetur, cùm omnes partes cognoſcuntur (partibus enim non cognitis non adeſt diſtincta, & perfecta rei cognitio) ſed gradus univerſales ſunt partes ſpeciei; antequam ergo cognoſcas omnes gradus univerſales, non cognoſcis diſtinctè ſpeciem, v.g. ut diſtinctè hominem cognoſcas, oportet, ut cognoſcas hominem eſſe animal, animal eſſe vivens, vivens eſſe corpus, corpus ſubſtantiam, ſubſtantiam ens. Contra datam Concluſionem

Objicitur 1. Natura non ſemper incipit ab imperfectioribus, ergo non valet ratio S. Thomæ. *Antecedens probatur, tum* quia in generatione hominis primum quod producitur, eſt cor, pars videl,

del. corporis perfectissima. Sol etiam simul & semel totam lucem profundit, non primò remissè, postea intensè: *Tum* quia intellectus discurrens procedit à cognitione principiorum ad cognitionem conclusionis, cognitio verò principiorum est perfectior.

Resp. Cor est membrum perfectissimum & primum in generatione, quia est simpliciter vitæ necessarium, est enim foculus caloris vitalis, & tamen hujus partis initia sunt imperfectissima; primò enim est bulla, tum massa, paulatim color, figura, tunicæ, venæ accedunt. Imò nec cor, sed vena umbilicalis est primum quod perficitur & absolvitur, quia viscera sine hoc vase & instrumento proportionato nutriri non possent: Sicut enim ex nucleo vel semine in terram misso primò descendit in terram radix oblonga, postea aliæ radices se diffundunt in latitudinem ad superficiem terræ, ex quibus postea trunci & rami, sic in utero materno primò oritur vena umbilicalis sanguinem excipiens (ex qua vena umbilicali exoritur vena portæ cum suis radicibus) & nutrimentum ac materiam fœtui, ejusque partibus suggerens. Semper ergo natura ab imperfectioribus incipit, etiam cùm partes aliàs nobiliores molitur: Sic etiam intellectus; quamvis enim illi objicias speciem perfectissimam, v.g. aurum, primum tamen quod naturæ ordine in auro intelligit sunt gradus universaliores, & communiores, hoc ergo exemplum potiùs pro nobis facit. Exemplum solis *nimiùm* & *nihil* probat; *nimiùm*, quia sequeretur intellectum instantaneè & perfectè objectum semper cognoscere, sicut sol instantaneè illuminat: *Nihil*, quia cùm paucissimæ sint res per se notæ, intellectus non continuò format perfectam rei cognitionem, sed procedit ex notioribus, qualia sunt, ut probavimus, magis universalia: & licèt principia universalia ex hoc capite sint perfectiora, quia vid. magis nota & radices particularium, absolutè tamen tantò res est perfectior, quantò magis appropinquat speciei infimæ, quia plures semper participat gradus entis, evaditque absolutior & suis numeris perfectior, & ideo nec sapientis, nec artificis nomen meretur, qui generalia tantùm scientiæ, aut artis præcepta callet. Novi contraria contrarijs pellenda esse, an ideo sum Medicus? Novi li-

neam perpendicularem esse, quæ in aliam cadit ad angulos rectos, an ideo sum Mathematicus? Patet ergo intellectum, cùm à principijs ad conclusiones progreditur, initium ducere ab universalioribus, & imperfectioribus; objectio ergo nobis potiùs quàm contra nos militat.

Objicitur 2. Obstat experientia, cùm enim mihi pomum proponitur, mox totum pomum cognosco, aut saltem cognosco esse rem coloratam; vix autem è mille unum reperias, qui oblato pomo hanc formet cognitionem, *Hoc est ens*, nec aliud in pomo cognoscat, quàm rationem entis.

Resp. Hoc per accidens est, quia videl. sæpè pomum, aut colorem cognovi, & species pomi ac coloris adhuc conservo: Nos verò de hoc casu non loquimur, sed de progressu cognitionis naturali, quando vid. incipimus rem aliquam cognoscere nunquam hactenus notam; tunc enim intellectus, qui respectu hujus objecti est in mera potentia, & non in actu, primum quod in eo cognoscit, est gradus entis. Eodem modo cùm à proprietatibus, & effectibus in notitiam causæ devenio, v. g. ex fumo ignem, ex rugitu leonem agnosco, primum quod hîc cognosco, est gradus specificus elementi & leonis, quia intellectus per speciem effectûs fit in actu ad cognitionem speciei, cum qua, & non cum gradu generico effectus convertitur. Sed hi casus, ut dixi, sunt per accidens, ordine siquidem naturali, siquis rubedinem v. g. videat nunquam hactenus visam, primum quod de rubedine cognoscet erit hoc, *Hoc est color*: Vel si nunquam colorem vidit, objecto colore prima hæc erit cognitio, *Hoc est aliquid*, & ita ordine naturali intellectus semper ab universalioribus procedit.

Objicitur 3. Causa naturalis non impedita producit statim nobilissimum effectum, quem potest, ergo intellectus oblato v. g. pomo primum intelligit rationem specificam pomi, non verò universalem fructûs aut corporis &c. perfectissima enim cognitio est illa, quâ ratio specifica, non generica cognoscitur. Hoc est potissimum Scoti argumentum.

Resp. 1. Nimium probat, sequeretur enim, objectum aliquod priùs ab intellectu & semper distinctè, quàm confusè cognosci. quia cognitio distincta est perfectior. Numquid lapis naturaliter

liter in centrum movetur, & tamen sublatis etiam omnibus impedimentis (ut si molaris è cœlo cadat) motus in fine velocior & perfectior est? Quid magis naturaliter agit, quàm natura? & tamen incipit ab imperfectioribus.

Resp. 2. Causa naturalis non impedita producit effectum perfectissimum, quem potest, sed nego intellectum circa objectum, quod nunquam priùs cognovit, posse perfectiorem cognitionem habere, quàm universalem & communem, modo suprà explicato, & ob rationes illic datas; non enim transit de extremo ad extremum nisi per medium, nec cognoscit ignota nisi per magis nota, quæ sunt universalia.

Objicitur 4. Ea priùs cognoscimus, quæ sensui sunt viciniora: Sed hæc sunt singularia, & gradus minùs communes, qui magis ad singularia accedunt.

Resp. Si ita est, ergo infans, qui primò videt pomum, aut ovum, cognoscet hoc esse pomum, & ovum, quod utique falsum est. Cùm ergo vides pomum, etiam intellectus apprehendit pomum, sed non statim judicat esse pomum, quia licèt pomum sit præsens videnti sensibiliter, est tamen valde distans intelligibiliter, cùm hæc cognitio dependeat à multis alijs cognitionib⁹, quas intellectus de pomo non habet, & à collatione prædicati cum subjecto, quæ non statim in promptu est illi, qui pomum nunquam vidit, aut cognovit; prima ergo rei cognitio est sicut primus partus, in quo embryo hominem præcedit; aut sicut prima pictura, in qua umbris colores succedunt; quod ergo est prima delineatio hominis ad picturam hominis, hoc est cognitio confusa hominis sub ratione entis ad cognitionem hominis distinctam, ***ut homo est:*** Quamvis enim cognitio entis distincta, ejusque proprietatum & inferiorum sit difficillima, & pertineat ad Metaphysicam, quæ omnium scientiarum est postrema, cognitio tamen confusa entis est facillima, & omnibus nota, ut suprà notavi, & docet experientia.

LIBER PRIMUS.

§. I.

De Principijs in Genere.

SUMMARIA.

1. *Acceptio.*
2. *Et definitio Principiorum.*
3. *Eorum numerus ab Aristotele traditus contra varios defenditur.*
4. *Quo sensu prima principia sint prima contraria?*

I.

Quaritur 1. Quid nomine *Principij* intelligatur?

Resp. Aliud est *Principium*, aliud *Causa*. *Principium* propriè est, ex quo tamquam ex primo aliquid fit, aut est. *Causa* verò à qua aliquid esse accipit, ab eaque dependet. Locus ergo ex quo aliquis proficiscitur, principium viæ, non causa dicitur: sic privatio est principium, non causa generationis; Pater in Divinis principium, non causa Filij. Vide S. Thom. *1. p. q. 33. a. 1.* & *opusc. 1. c. 1.* Græci quidem Patres subinde dicunt, in Divinis Patrem esse causam Filij, quia quod Latini causam appellant, ipsi *αἰτίαν* vocant, cujus correlativum est *procedens*, non verò *effectus*, ut apud Latinos; perinde ergo apud Græcos est habere causam ac procedere, quod Divinis Personis non repugnat. Vide S. Thom. *q. 10. de pot. a. 1.* Initium non est omnino idem quod principium, quia dicit novitatem essentiæ, & ideo in Divinis non est: sicut nec elementum, hoc enim idem

est

eſt quod cauſa intrinſeca. Duæ conditiones requiruntur ad *principium* propriè dictum: *Prima* ut ſit aliquo modo prius principiato; ſic forma eſt principium generationis, quia prior eſt ſaltem intentione. In Divinis licèt Pater abſolutè non ſit prior Filio, poteſt tamen dici prior *origine*, & ideo S. Thomas admittit in SS. Trinitate ordinem originis *1. p. q. 42. a. 3.* omnis autem ordo dicit aliquam prioritatem: non ideo tamen poteſt Filius dici principiatus à Patre, quia ex modo loquendi ille terminus ſignificat aliquid eſſe factum; correlativum ergo principij non eſt principiatum, ſed procedens. S. Thom. *1. p. q. 33. a. 1. ad 2.* *Secunda* conditio eſt, ut inter principium, & quod à principio eſt, ſit aliqua connexio, ſeu conſecutio unius ab alio. Abel ergo eſt prior Noë, ſed non principium, folium eſt prius fructu, ſed non principium. Sufficit verò adeſſe connexionem emanationis, quomodo in Divinis Pater eſt Principium Filij, non tamen cauſa Filij, quia connexio utriusque eſt per modum ſimplicis communicationis, non verò cauſalitatis, & dependentiæ propter identitatem naturæ. Vide S. Thom. *1. p. q. 33. a. 1. ad 1.* Hîc ergo agimus non de quibuscunque principijs, ſed de principijs naturalibus, quæ videl. ſunt ſubjecta motui imperfecto & corporeo, & materiæ ſenſibili concreta.

II. *Quæritur* 2. Quomodo principia definiantur?

Reſp. Prima principia naturalia bene ab Ariſtotele definiuntur: *Quæ non ſunt ex alijs, neque ex alterutris, ſed ex illis omnia.* Dicitur 1. *Non ſunt ex alijs*, quia ſi eſſent ex alijs, non eſſent *prima*: excluduntur ergo elementa & cœli, quia ſunt ex alijs, ex materia vid. & forma. Excluditur etiam prima cauſa efficiens, exemplaris, & finalis, hoc eſt, Deus; quia cauſa efficiens eſt *à qua*, exemplaris *ad quam*, finalis *propter quam* aliquid fit, nulla verò iſtarum *ex qua*. *Nec obſtat*; formam fieri ex materia, ex qua educitur, & ex privatione; nam partes ſicut propriè non ſunt ſaltem *ut quod*, ſed totum compoſitum, ita propriè non fiunt, de quo S. Thom. *1. p. q. 45. a. 4.* *Deinde* Ariſtotelis mens eſt, principia, quæ ſunt contraria, & *quatenus* contraria non fieri ex ſeipſis in abſtracto (nec enim ex nigredine fit albedo) bene autem ex ſeipſis fieri poſſunt, ut non ſunt contraria & in concreto, quomodo ex nigro fit album,

bum, hoc eſt, ſubjectum quod eſt nigrum poteſt fieri album, quia albedo non repugnat ſubjecto nigredinis, ſed nigredini, & forma equi non fit præcisè ex privatione ſui, ſed ex materia habente illam privationem. Dicitur 2. *Sed ex ipſis omnia.* Omnia enim generabilia, & corruptibilia fiunt ex forma, materia, & privatione. Corpora verò incorruptibilia, hoc eſt, cœli, fiunt ex materia ſaltem & forma. Formæ accidentales ſicut propriè non ſunt, ſed inſunt, ita propriè non fiunt.

III. *Quæritur 3. Quot* ſint Principia?

Reſp. Vera eſt ſententia Ariſtotelis, tria tantùm Principia rerum naturalium admittentis, vid. materiam, formam, & privationem. Variæ de rerum principijs veterum Philoſophorum ſententiæ fuerunt. *Thales Mileſius* aquam, vel humidum pro primo principio ſtatuebat, *tum* quòd omnia rerum ſemina humido gaudent; *tum* quia calor artifex generationis humido alitur; *tum* quia humido ſublato omnia intereunt: *tum* quia etiam in Sacris Litteris dicitur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ex ijs vid. mundum elaborando; ſicut pictoris manus fertur ſuper tabulam eam pingendo, & ſculptoris ſuper marmor id ſculpendo, & hortulani ſuper terram eam colendo. Vixit Thales circa Olympiadem 50. quo tempore Judæi Babylone ſerviebant. *Anaximenes* pro primo principio aërem habuit, *tum* quia in omnes qualitates, & figuras ſe induit, & ita facilè in quodlibet convertitur; *tum* quia habet qualitates valde temperatas, & conſequenter facilè transmutabiles; Ex aëre ergo, *inquiebat*, condenſato, aut rarefacto infinitos fieri mundos poſſe. *Heraclitus Epheſius* ignem, quia nobiliſſimus, in omnia permeans, actuoſiſſimus, & cauſa omnium ferè motuum. *Heſiodus* terram, quia fœcundiſſima, & omnia ferè in terram reſolvuntur, etiam ignis & aqua, ut ex cineribus, & ſedimentis, ac fæcibus patet. Vide Cic. *2. de Nat. Deor. Pythagoras* omnia fieri ex numeris, & eorum proportionibus dixit. Par & imper principium omnis numeri eſſe; unitas enim addita pari imparem creat, addita impari parem. 2. Unitas eſt principium omnis figuræ; circularis enim ab uno centro ducitur, trigona ab unitate, pone enim 1. & deinde 2. & erit primus trigonus o o o.

Pone

Pone 1. & 2. & 3. erunt 6. & ſecundus trigonus
o
o o
o o o
Pone 1. & 2. & 3. & 4. erunt 10. & tertius trigonus
o
o o
o o o
o o o o
& ſic deinceps. Quadrata ſeu tetragona fit ex imparium ſerie, præmiſsâ unitate, v. g. 1. & 3. faciunt 4. qui eſt primus quadratus
o o
o o
1. 3. 5. faciunt 9. qui eſt ſecundus quadratus
o o o
o o o
o o o
1. 3. 5. 7. faciunt 16. qui eſt tertius quadratus
o o o o
o o o o
o o o o
o o o o
& ita deinceps ubi etiam *nota:* quadrata ſingula fieri ex ſuis trigonibus correſpondentibus, & præcedente trigono, v. g. 4. ex 3. & 1. Secundum quadratum 9. fit ex ſecundo trigono 6. & præcedente 3. Tertium quadratum 16. fit ex tertio trigono 10. & præcedente 6. &c. Figura Pentagona fit ex trigonis & quadratis, v. g. 5.
o
o o
o o
12.
o
o o
o o o
o o o
o o o

3. Unitas nec multiplicando auget & multiplicat, nec dividendo dividit, minuitque: ſi enim 6. per 1. multiplices aut dividas, ſemper erunt 6. 4. Unitas eſt principium omnis numeri & in omni numero, & numerus quantumvis magnus nihil aliud eſt, quàm unitas repetita, & ita omnis numerus tandem in unitatem reſolvitur. *Ternarius* eſt numerus perfectionis, & ideo apud Pythagoricos celebre erat iſtud pronuntiatum: *Omne & omnia ſunt tria*; conſtat enim principio, medio, & fine: & Chaldæi ac Æthiopes Deum tribus colebant, auro, thure, myrrhâ: Græci igne, hoſtiâ, arâ: & de duobus dicimus ambo vel uterque, de tribus verò Omnes. Numerus *quaternarius* Pythagoricis erat ſacroſanctus, & ideo per quaternarium jurabant: cùm enim omnis numerus denario abſolvatur (& ideo apud omnes gentes cùm ad denarium pervenitur, iterum ad unitatem &c. reditur) & denarius in quaternario contines-

tineatur (nam 1. 2. 3. 4. faciunt 10) ideo quaternarius erat illis commendatissimus. *Rursus* animam nostram dicebant ex Tetrade, hoc est, quaternione componi, videl. ex mente, scientia, opinione, & sensu, ex quibus ars omnis & scientia consurgit. Et mentem quidem esse monadem, quia quæ à parte rei sunt infinita, & cognosci nequeunt, ipsa unit & instar unius concipit, & in unam definitionem constringit; de omnibus enim hominibus etiam infinitis verum est, esse *animal rationale*: Scientia verò Dyadi, hoc est, Binario comparatur, quia unum ex alio colligit, constat ergo duobus. Opinio Triadi, quia tria sunt multa (de duobus hoc non dicitur) opinari autem multorum est, scire paucorum. Sensus *Tetradi* & quaternario, quia licèt sensus sint 5. tactus tamen omnibus sensibus miscetur, & omnium sensuum organis, & ita sensus ad 4. revocantur. *Quinarium* vocabant *Nuptias*, quia constat ex pari & impari; par enim significat fœminam, impar marem, quia impar fertilior, ex duobus enim imparibus numeris multi pares creantur; par verò pari adhibitus non creat imparem, est ergo sterilior. *Deinde* impar continet parem, & aliquid supra, ita ut nunquam in duos æquales dividi, & velut exhauriri possit. Vocabant etiam *Quinarium Naturam*, sicut enim natura ex simili simile procreat, v. g. ex tritico post multas mutationes triticum, ex glande glandem, ex semente sementem &c. ita quinarius in quinarium ductus aut in alios numeros alternis vicibus semper quinarium reddit, nam quinquies quina sunt 25. quinquies septem 35. quinquies novem 45. &c. *Septenarium* vocabant *Tempestivitatem*; multa enim per hunc numerum tempestivè fiunt, homo enim septimo à conceptione mense vitalis editur; septimo anno dentescit: Altero septenario nuptijs & generationi aptatur: Tertio septenario barbam emittit: Septimâ hebdomade, seu post dies septies septem, hoc est, die quadragesimo nono virilis factus in materno utero absolvitur, teste Varrone. Statura hominis secundùm naturam maxima est septem pedum: Dentes quoque homini cadunt annis septenis. Arteriæ in humano corpore moventur numero septenario, hoc est, proportione diatessaron, quæ est 4. ad 3. (qui duo numeri reddunt septenarium) hoc est sesquitertia. Lunæ quoque motus, qui præcipuè sublunarium mutatio-

tationum causa est, septenario regitur; luna enim 28. ferè diebus (qui sunt quater septeni) Zodiacum percurrit, & ad idem punctum revertitur, conficitque mensem lunarem periodicum; nam mensis synodicus, quo cum sole conjungitur, est tardior, & dierum 29. & 30. horarum. Motus quoque lunaris illuminationis est plerumque 28. dierum (non tamen semper) in quibus septenis iterum diebus faciem mutat, & varias phases, ac apparitiones induit; primo enim septemdio medium orbem radijs implet, secundo totum orbem complet, tertio medium orbem vacuat, quarto extinguitur. In morbis quoque septimus dies criticus est, fatalis videl. ægroto, aut salutaris, & ab illo Medici aut sanitatem aut mortem prænuntiant. Diem criticum esse nihil aliud est, quàm naturam aliquo morbo affectam (præsertim in morbis acutis, hoc est, vehementibus, & celeriter vitam prosternentibus, maximè in febribus) insignem aliquam alterationem pati, ex qua Medici aut morbo finem, aut vitæ prædicant. Inter hos criticos septimum esse felicissimum est communis Medicorum, adeò ut Galenus testetur apud Sannertum *Instit. Medicar. l. 3. p. 3. c.12. mihi fol. 290.* unâ æstate plures, quàm quadringentos, acuto morbo laborantes septimâ die perfectè judicatos esse, & convaluisse. Vide Galen. *1. de Diebus Decretor. c. 2. 4. & 5.* & ideo septimum bono Regi comparat, sextum verò Tyranno, quia ægroto fatalis est. Numerari incipiunt hi dies à tempore, quo morbus validè sentiri cœpit. Sunt verò critici felices; septimus, decimus quartus, vigesimus primus (vel etiam vigesimus, sicut enim motus animalis in fine est tardior, ita naturalis in fine velocior) vigesimus octavus, vel etiam vigesimus septimus: alij dies post hos non sunt perfectè critici, languente inter hæc spatia morbi acrimoniâ, quæ sola, ut dixi, proprias crises habet. Post hos morbi alij mensibus, alij annis judicantur, & crises habent, cùm vid. sunt diuturniores, & ideo, ut docet Hypocrates *l. 3. Aphor. 28.* alij intra septem menses, alij intra septem annos, alij in binis vel ternis annorum hebdomadibus, & septenarijs judicantur, unde illæ magnæ in corporibus & morborum, qui à primo ortu contracti sunt, mutationes, quæ annis climatericis observantur. Sunt verò anni climaterici isti: 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63. Inter hos

verò periculosissimi 49. qui conflatur ex septies septem. & 63. qui ex septies novem (nam & nonus periculi plenus) & præsertim 81. prostratâ jam naturâ, qui ex novies novem consurgit. Vide Gellium *lib. 15. c. 7.* ubi recitat epistolam Octaviani Imp. gaudentis se annum sexagesimum tertium senibus funestum superâsse. Causæ verò istarum mutationum per septenaria variæ assignari solent, *tum* ex mente Pythagoræ vis heptadis; *tum* quia sicut omnes mutationes solares, lunares, planeticæ; veris, æstatis, partuum &c. suos habent terminos, quibus incipiunt, finiuntur, augentur, ita & morbi, & corporum, & sanitatis; hos verò terminos in dies & annos septenos incidere docuit experientia; *tum* & maximè ex motu lunæ, hæc enim ut vicinissima terræ, ita terrenis corporibus mutandis aptissima; quantas enim luna in conjunctionibus, oppositionibus, & quadraturis mutationes efficiat, & quomodo hinc venti & tempestates cieantur, sata & plantata feliciùs, aut infeliciùs proveniant, cancri & conchylia nunc plena sint, nunc minùs plena, satis compertum est nautis, agricolis, hortulanis, & fœminis. In quocunque ergo signo, aut phasi luna reperiatur cùm decumbere incipis, septimo quoque die insignem respectu morbi & luminis, & sitûs & aspectûs mutationem subit, & ideo insignem quoque in morbo mutationem affert; cui accedit, quòd natura ultra septimum morbi vim haud patiens septimo die insignem conatum expromat morbo levanda, aut opprimenda. Pro quo *nota*, lunam singulis mensibus totum Zodiacum percurrere, hoc est, gradus 360. (quorum singuli quindecim milliaribus germanicis duarum horarum respondent) & hoc lunæ curriculum in quatuor tetragona dividitur, ita ut singulis tetragonis tria signa Zodiaci & gradus 90. assignentur: singulis ergo septenarijs dierum singula tetragona, & quadraturas absolvit, & consequenter insignem mutationem tam luminis, quàm etiam aspectuum & conjunctionum cum signis Zodiaci, alijsque stellis subit, & ideo insignes corporum ac morborum mutationes, ac crises affert; sicut ergo quatuor sunt lunæ quadraturæ, à quocunque signo illas incipias, ita quatuor sunt singulis mensibus lunaribus critici dies, quorum primus numerari debet à primo morbi paroxismo & insultu, tunc

enim

enim quocunque die is accidat, fit prima conjunctio morbi & lunæ, & humores ac corpus ægrum pro lunæ positu influentiam à luna suscipiunt. Et hæc de criticis septenarijs. Est & alia hujus numeri proprietas, quam Pythagorici Parthenismum seu virginalem vocant; septenarius enim neque generat ullum numerum eorum, qui continentur intra denarium, neque ab ullo generatur; nam binarius bis sumptus generat 4. ter sumptus 6. quater sumptus 8. &c. Ternarius bis sumptus 6. ter sumptus 9. idem dicas de quaternario & quinario, qui aliquoties sumpti alios numeros intra denarium generant. Senarius verò, octonarius & novenarius, licèt intra decem aliquoties sumpti nullum numerum generent, generantur tamen: septenarius solus à nullo numero aliquoties sumpto generatur, nec alium generat intra decem, ut patet, meritò igitur virginem illum & Minervam Pythagorici appellabant. Denarius verò perfectus est, & ideo apud omnes gentes, cùm ad eum perventum est, ad unitatem reditur; neque hoc, inquit Aristoteles *Problem. Sect.* 13. casu aut fortunâ factum (hujusmodi enim nec semper nec ubique fiunt) sed ratione, quia vid. omnes homines decem digitos à natura habent, & ita omnem numerum velut calculis à natura datis metiuntur. Una gens Thracum ultra quatuor non numerat, eò quòd ampliùs meminisse puerorum more non potest. Pythagoras ergo totum cœlum totumque mundum numerum esse & ex numeris conflatum dicebat, quia vid. nihil in mundo est sine proportione, & quodam concentu: omnis autem concentus & proportio ex numeris est, v. g. Diapason consistit in proportione dupla, qualis est inter 2. ad 1. Diapente in sesquialtera, qualis est inter 3 ad 2. Diatessaron in sesquitertia, qualis est inter 4. ad 3. Hujus verò proportionis numericæ tot sunt exempla, quot in Mundo creaturæ, præsertim in corpore humano. Primò enim, ut Vitruvius principio l. 3. & Plinius l. 7. c. 17. notant, habet proportionem circuli ad centrum; nam si homo supinus jaceat, brachia, manus, pedesque quantum potest in latum extendat, poteris circino in umbilicum velut centrum fixo perfectum circulum describere. Habet etiam proportionem quadrati, cùm enim tanta sit hominis bene proportionati longitudo à summo vertice ad pedes, quanta est lati-

tudo, passis vid. brachijs manibusque inter longissimos digitos, facilè hinc conficitur quadratum juxta definitionem Euclidis, quòd omnia parallelogrammata & quadrata duabus lineis rectis contineantur. *Rursus* totum corpus exactè conformatum habet proportionem triplam ad capitis circumferentiam, hæc enim ter sumpta totam longitudinem corporis reddit. Ad faciem verò, hoc est, à principio frontis ad finem menti proportionem decuplam ex sententia Vitruvij & Antiquorum, aut ex sententia Recentiorum novemduplam cum triente; erit ergo facies decima aut nona pars totius longitudinis in corpore humano. Ad pedes habet proportionem sexduplam, aut septuplam, sex ergo pedes aut septem hominem in longum metiuntur. Ad cubitos quadruplam. Manus integra æquat faciem. Primus pollicis articulus distantiam labri inferioris ab ultimo mento metitur: Alter pollicis articulus distantiam labri superioris à cuspide nasi. Secundus indicis articulus usque ad extremos ungues nasi longitudinem (quæ est à mucrone usq; ad frontis initia) perfectè ostendit. Secundus medij digiti articulus usque ad extremos ungues distantiam menti ad nares exhibet. Frons, nasus, labrumque superius æquæ longitudinis sunt. Jam suprà monui, hominis longitudinem in decem partes æquales dividi, quarum prima est à summo vertice ad cuspidem nasi: Secunda à cuspide nasi ad initium thoracis, vel juguli extrema: Tertia à thorace ad scrobiculum cordis: Quarta à scrobiculo cordis ad umbilicum: Quinta ab umbilico ad verenda, & hic est media pars humani corporis, inde partes & quintæ reliquæ. Si corporis crassitiem sub brachijs & scapulis metiaris, mediæ longitudini respondet. Proportio humorum hæc est: Sanguis ad phlegma habet quintuplam proportionem, vid. ut 20. ad 4. Phlegma ad bilem habet proportionem duplam, ut 4. ad duo. Bilis verò ad melancholiam etiam duplam, ut 2. ad 1. Eadem quoque proportio inter liquores observatur, sextarius enim Romanus (vasis est genus quod 12. cyathos capit) mellis ponderat uncias 30. Sextarius verò aquæ, vini, aceti (hæc enim æqualis ferè sunt ponderis) uncias 20. Sextarius verò olei uncias 18. Mel ergo est liquorum gravissimus, & habet proportionem ad vinum sesquitertiam, qualis est

est inter 4. & 3. Ad oleum verò, qui est levissimus, proportionem sesquinonam, superat enim pondus olei unâ nonâ. Non minor est in metallis proportio. Aurum est ponderosissimum, sextarius enim auri habet uncias 375. Argenti vivi 300. Plumbi 233. (quamvis Plinius *l. 33. c. 3.* plus ponderis plumbo, quàm auro assignet) Argenti 208. Æris 182. Ferri 162. Stanni 150. Habet ergo Aurum ad argentum vivum proportionem sesquiquartam, qualis vid. est inter 5. & 4. &c. Vides jam quanta sit corpori humano proportio, & quàm bene Plato Academiæ foribus ingentibus literis hanc epigraphen inscripserit: *Huc non intret, qui Geometriam nescit.* Et hæc de Pythagoricis numeris; non quòd istis vim aliquam tribuam, sed quod negari non possit, nihil in rebus sine numeris, & proportionibus esse, quæ licèt solæ nihil agant, rebus tamen, quibus insunt, magnam operandi vim tribuunt, & ideo etiam in SS. Literis frequens numerorum mentio & collaudatio. Est etiam sua proportio elementis, nam teste Aristotele *l. 2. de generat. c. 6.* elementa habent inter se proportionem raritatis & densitatis decuplam, ita vid. ut ex una parte terræ attenuata fiant decem aquæ, centum aëris, mille ignis &c. An verò etiam decuplam habeant magnitudinis, videri possunt Conimbricenses *l. 3. de Cœl. c. 5. q. 3.*

Anaxagoras rerum omnium in panspermia principium posuit, hoc est, infinitate quadam partium similium, carnem v. g. ex infinitis particulis carnis, sanguinem ex infinitis particulis sanguinis compositum; quib⁹ licèt infinitæ rerum aliarum particulæ misceantur, carnem tamen vel sanguinem vocari, quia plures particulæ carnis, & magis oculis expositæ: res verò generari nihil aliud erat Anaxagoræ, quàm ex illa panspermia, & massa rerum omnium partes similes à dissimilibus discerni, distinguique, cui distinctioni faciendæ mentem aliquam æternam, immortalem, impermixtamque velut causam efficientem assignabat; tunc ergo florem v. g. generari dicebat, cùm particulæ coloris, odoris, figuræ in semine aut bulbo abscinditæ reteguntur, & à particulis seminis aut bulbi separantur, idque beneficio mentis increatæ rerum generationibus advigilantis: & in hoc Anaxagoras præ alijs Philosophis ab Aristotele laudatur, quòd generationes rerum

non

non soli materiæ, sed menti adscriberet; sicut enim distillatio & extractio aquarum ac spirituum, & metallorum separatio non casu aut naturâ, sed arte fiunt, ita, & multò magis, rerum, quæ quotidie generantur.

Celebris quoque est *Epicuri*, *Leucippi*, & præsertim *Democrítii* sententia. Vixit Democritus circa tempora Artaxerxis Longimani & Estheris Reginæ. Philosophiæ discendæ causâ in Ægyptum, Persiam, Chaldæam, Indosque profectus est. Darium, cùm extinctâ uxorum charissimâ nullum finem lacrymis & dolori faceret, hâc arte solatus est. Promisit se mortuæ vitam redditurum, si modò Rex trium hominum sibi nomina traderet, qùi felicissimi fuissent, nec ullam unquam passi adversitatem; illis enim tumulo Reginæ incisis revicturam. Quæsiti totâ Asiâ, toto Orbe sunt, nec reperti: tum Democritus: *Cur ergo tantùm, ô Rex, dolori indulges, cùm nemo mortalium sit, fueritq́, felix semper & ab ærumnis liber? tu solus eris, quod nemo fuit?* Credo hanc uxorem Regi Persarum prædilectam Estherem fuisse, cujus in sacris literis tam celebris mentio, & uxorem Artaxerxis Longimani; nam Reges Persarum passim Darij & Artaxerxes communi nomine vocantur, congruit enim ætas Democriti, qui natus juxta Chronologiam Saliani anno Mundi *3584.* sub Artaxerxe floruit, & quo tempore Artaxerxes mortuus est, Democritus annum 46. agebat, & peregrè Persiam decurrebat. Congruit familiaritas Democriti cum hoc Rege, ab ejus enim Patre Xerxe Præceptores & Magos acceperat teste Laërtio, à quibus eruditus est. Congruit denique amor Artaxerxis in Estherem Reginam. Democritus in Patriam reversus se in domesticum hortum, imò, ut alij scribunt, in sepulchrum abdidit ut tantò diligentiùs Philosophiæ vacaret. Ibi librum Diacosmi scripsit de principijs rerum, tantâ omnium approbatione plausúque, ut ex publico ærario quingentis talentis & aureis statuis donaretur. Decessit anno ætatis nono supra centesimum. Ejus igitur sententia fuit, rerum omnium principia vacuum & atomos esse. Atomos verò corpuscula & micas rerum esse æternas, ac incorruptibiles, solidasque, omnium quoque qualitatum patibilium expertes, coloratas tamen & omnium figurarum, rotundas, quadratas, angulatas, & aliquo semper motu agitabiles.

biles. Motum verò esse triplicem. *Primum* esse Rectum & deorsum ad Centrum. *Alterum* Collisionis, qui ex mutuis eorum plagis & ictibus contingit, quando sibi colliduntur. *Tertium* Inclinationis, quo aliquantulum à centro declinant. Ex Atomorum ergo fortuito concursu & varia conjunctione res omnes ac varias species produci, imò infinitos Mundos, eo ferè modo, quo ex minutissimis colorum punctis (quod Pictores miniaturam vocant) integræ ac perfectæ imagines existunt, hoc tamen discrimine, quòd imagines arte pinguntur, res verò naturales fortunâ tantùm, casuque, prout atomi sociantur, contingunt. Quæ causa Democrito fuit perpetuò ridendi, ridebat enim res humanas tanto studio curaque agitari, quæ tamen soli casui subessent, & fato evenirent, nec magis arbitrio nostro regi possent, quàm temporum ac tempestatum vices. Et siquis Democrito objiceret, quî fieri possit, res adeò pulchras, ordinatasque, quales in Mundo videmus, casu tantùm evenire? respondebat, mirum id quidem esse, sed tamen verum, & exemplum in annulo Pyrrhi Regis apparere, in cujus gemma Apollinem novemque Musas cum insignibus casus descripserat: *Habuisse,* inquit Plinius *l. 37. c. 1. traditur, achatem, in quo novem Musæ & Apollo citharam tenens spectaretur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.* Cæterùm hanc Democriti sententiam eleganter Cicero refutat *lib. 2. de Nat. Deor.* Lactantius *l. 3. de falsa Relig.* & P. Bartoli *l. 1. c. 4. della Ricreat. del Savio.*

Hæ Philosophorum sententiæ quamvis multos aliquando habuerint Sectatores, ab omnibus tandem desertæ sunt, sola Aristotelis de tribus principijs, Materia, Forma, & Privatione ab omnibus Theologis & Philosophis recepta est, ita tamen, ut in *facto esse* tantùm sint duo principia, vid. *Materia & Forma*; *in fieri* verò tria, *Materia, Forma, & Privatio. Ratio est 1.* Dantur in rerum natura mutationes & generationes substantiales, ut patet experientiâ, ergo datur transitus de non esse ad esse; ergo datur aliquid quod transit de uno esse ad aliud, & mutatur, & hoc est materia: & terminus ad quem transit, & hoc est forma; & terminus à quo transit, & hoc est privatio, ignis enim generatur ex non igne. Philosophi ergo qui negabant materiam, hoc est, subjectum

quod transit de non esse ad esse, aut cogebantur negare generationes substantiales, & dicere omnia semper fuisse; aut concedere, cùm aliquid generatur, ex nihilo generari, & cùm corrumpitur, in nihilum evanescere, inter quos Plato, qui dicebat materiam esse privationem seu nihil. Vide S. Thom. *1. Phys. Lect. 15.* Ideo autem inter principia non numerantur causæ efficiens & finalis, quia non pertinent ad solas res mutabiles & naturales, quarum tantùm principia hîc quærimus. Privatio tamen cùm nihil sit, non potest esse principium rei in facto esse (ens enim non componitur ex non ente) sed tantùm in fieri & mutari, quia motus & mutatio partim sunt, partim non sunt, & ideo involvunt esse & non esse. Vide S.Th. *1. p. q. 45. a. 2. ad 2. & 2. contra Gent. c. 17.* & *de potent. q. 3. a. 2. & ad 4.* Et quidem in generatione forma non est principium generationis ut pars intrinsecè generationem componens, sed ut finis, qui semper intentione præcedit, & ut terminus essentialiter eam specificans. *Rursus*, cùm dico privationem esse principium generationis *per se*, intelligo privationem formæ generandæ, non verò aliarum formarum: quando enim forma ignis ex ligno generatur, essentialiter requiritur ad hanc generationem, formam ignis non esse, si enim jam est, generari non potest: nec potest fieri motus aut mutatio ad formam quæ jam habetur, sicut nemo ire potest ad locum, in quo jam est. Quòd verò materia ligni præter privationem formæ generandæ habeat privationes aliarum quoque formarum, id generationi ignis *per accidens* est, posset enim æquè generari ex forma stupæ, aut paleæ, aut equi, non ergo requirit istarum formarum privationem, quamvis faciliùs ex una forma generetur, quàm ex alia, v. g. faciliùs ex stupa quàm ex marmore, & ideo privatio formæ marmoris confert ad generationē ignis, & potest dici ejus principium *per accidens*. Vide S.Thom. *1. Phys. Lect. 13. Rat. 2.* Quidquid generatur, progreditur à non esse ad esse: Aut ergo à non esse simpliciter, hoc est à nihilo, & hoc non, quia ex nihilo nihil fit naturaliter, & non esset generatio, sed creatio: & quis unquam vidit ignem excitari sine ulla materia? arborem fieri ex nulla radice? ergo à non esse secundùm quid, hoc est, ex subjecto & materia non habente aliquod esse; jam ergo tria principia habemus,

mus, id quod progreditur à *non esse* ad esse, hoc est, materiam; ipsum *non esse*, hoc est, privationem; & ipsum *ad* esse, hoc est, formam. 3. Hæc tria sufficiunt, ut generatio substantialis ab alijs mutationibus differat. Per *Privationem* differt ab alijs actionibus, quæ mutationes non sunt. Per *materiam* à creatione, quæ ex nihilo est. Per *formam* à mutationibus accidentalibus, quæ non sunt ad esse *simpliciter*; & forma etiam est, quæ unam generationem ab alia distinguit.

Objicitur 1. Materia prima nunquam fuit sine omni forma substantiali, ponamus ergo fuisse sub forma aquæ, ita vid. ut eodem instanti, quo creata est, simul ex ejus potentia forma aquæ fuerit educta, in hoc casu forma aquæ verè generatur, nec tamen ejus privatio aliquando in materia fuit; ergo generatio non essentialiter requirit privationem formæ genitæ.

Resp. Aristotelem non agere de quibuscunque principijs, sed de principijs rerum mutabilium, & naturalium (sic enim sunt objectum Physicæ) generatio autem ut mutatio semper involvit privationem, quod enim semper tale fuit, non mutatur; casus verò objectionis non est de generatione, quæ sit mutatio. *Deinde* etiam in dato casu vel admittis formam aquæ in materia generari, vel non admittis? Si hoc? nihil probas, agimus enim de rerum generatione ejusque principijs, non de creatione, quæ naturam excedit. Si admittis formam aquæ generari? ergo admittis illam fieri, ut est in fieri non est facta, ergo in illo instanti naturæ, quo non est facta, jam admittis ejus privationem, non ergo requiritur privationem esse in aliquo instanti reali, sufficit in instanti naturæ. Vide Suar. *disp. 15. Metaph. sect. 5.*

Objicitur 2. Quidquid naturaliter generatur, per conversionem generatur (ignis v. g. non generatur ex nuda materia prima, sed ex materia prima sub forma ligni, sive ex ligno) sed conversio fit ex formâ præjacente, ergo etiam hæc ad generationem substantialem requiritur.

Resp. Generatio, ut conversio est, fit utique ex forma positiva & corrupta, conversio enim est mutatio unius in aliud, v. g. ligni in ignem. Sed Aristoteles loquitur de principijs generationis præcisè ut mutatio est, & ut essentialiter necessaria est, ut ali-

quid generetur; ut verò forma ignis generetur, non est necessarium fieri ex prajacente forma, ut patet in prima formarum & elementorum generatione. Plures aliæ objectiones fieri solent, quæ ex dictis facilè solvi possunt, & ideo illis non immoramur: *Dispositiones* enim reducuntur aut ad materiam, aut ad causam efficientem, quæ est principium tantùm extrinsecum, nec proprium rebus naturalibus. *Unio* est quidem necessaria composito, sed vel non distinguitur à materia & forma, vel si distinguitur, est tantùm principium *quo*, vel nexus principiorum &c. *Causa efficiens* non est principium rei mobilis, & naturalis proprium, nam etiam invenitur in ente supernaturali: *deinde* licèt sit generationi necessaria, quà actio est, non tamen quà præcisè mutatio est. *Secùs* est de privatione, sine qua mutatio esse non potest, & ideo ad generationem requiritur, ut terminus *à quo*, hoc est, non ut generationi insit, sed ut relinquatur.

IV. *Quæritur 4.* Quo sensu prima principia sint *prima contraria?*

Resp. Prima principia sunt prima contraria. Ita Aristoteles & communis. Quod intelligendum est non de principijs *in facto esse* (materia enim & forma sibi uniuntur, seque mutuò appetunt, non expellunt) sed *in fieri*; privatio enim opponitur formæ genitæ, & huic decedit: hæc ergo oppositio privativa dicitur *latè* contrarietas, & quidem *prima*, *tum* quia substantiæ convenit, quæ alterius contrarietatis capax non est, ut in Logica dictum; *tum* quia privatio reperitur in omni contrarietate. Vide S. Thom. *10. Metaph. Lect. 6.* & *opusc. 37. c. 2.* *Nec obstat* cœlum esse corpus naturale, nec tamen habuisse privationem suæ formæ, ergo oppositio privativa non reperitur in omni substantia naturali. R. Aut forma cœli est creata, aut genita: si creata, non agit Aristoteles de principijs creationis, quæ supra naturam est: si genita? ergo in aliquo instanti saltem naturæ præcessit privatio, quod enim generatur, non est, sed fit; sed non esse est privatio.

§. II.

§. II.

De Materia Prima.

SUMMARIA.

1. *Materiæ primæ existentia multis rationibus demonstratur.*
2. *Non in Elementis,*
3. *Nec in corpusculis, aut atomis conglobatis ponenda.*
4. *Quid?*
5. *Et qualis sit materia prima?*
6. *Est essentialiter omnium formarum subjectum;*
7. *Earumq; per se ipsam receptiva nullâ interveniente distinctâ potentiâ.*
8. *Quas relatione transcendentali respicit:*
9. *Et appetitu innato prosequitur.*
10. *Materia sublunaris est una unitate specificâ, & positivâ:*
11. *Inter cujus essentiam & existentiam distinguit realitas minor.*
12. *Solvuntur Objectiones:*
13. *Quia verò per propriam existentiam non existit, ideo à forma ne Divinitus quidem separari potest.*
14. *Quæ sit causalitas materiæ?*

TAm in naturalib⁹, quàm artificialib⁹ verum est *ex nihilo nihil fieri.* Fit domus ex lapide, statua ex ære, spica ex semine. Id verò ex quo aliquid fit, materia vocatur; & ex quo omnia fiunt tamquam ex subjecto, vel in subjecto, vocabatur *materia prima*, omnia enim tandem in unum aliquod ultimum resolvi debent, ne procedas in infinitum; sicut ergo in

artificialibus datur aliqua materia prima, tantò rudior, ac impolitior, quantò remotior (v. g. materia vestis holosericæ est sericum, & hujus materia est filamentum vermis Indici; & hujus adhuc materia est spuma, aut viscus, sputumque ejusdem vermis; ultima tandem & prima est folium mori) ita in naturalibus materia rerum naturalium prima & impolitissima, rudissima, & massæ luti similis, antequam à figulo in varias formas, & vasa fingatur, imò multò deterior massâ, hæc enim habet aliquam saltem formam, etsi rudem ac inelaboratam; materia verò *ut sic* non dicit ullum actum, formamque, & ideo varijs convitijs potiùs, quàm nominibus à Philosophis appellata est; Alij enim *vitæ facem* appellârunt, quòd sicut omnes liquores tandem in fæces resolvuntur, ita omnes res naturales in materiam. Alij *lunam sublunarem*; sicut enim luna nihil habet propriæ lucis, sed tantùm à sole, estque causa omnium mutationum, ac corruptionum, sic materia prima nihil proprij habet, ne quidem existentiam ex sententia S. Thomæ; sed omnia habet à forma, & est causa & prima radix corruptibilitatis: & sicut luna in diversas facies, sic materia in diversas formas effingitur. *Alij non ens*; quamvis enim sit aliquid, vix tamen aliquid est; est enim materia inter entia, quod punctum inter quantitates, hoc est, minimum, & quo minus dari non potest. Alij *magnum & parvum*. Parvum, quia nullum habet actum: Magnum, quia est omnium potentia, & sinus ac subjectum omnium formarum. Alij *regionem dissimilitudinis*; nihil enim est, quod magis à Deo distet, & minorem cum eo similitudinem habeat. Alij *dualitatem*; sicut enim dualitas in numeris est prima multitudo, sic materia prima radix divisionis & multitudinis. Alij *Protheum naturæ*, transit enim in omnes formas. De hac igitur materia prima quærimus an & quid sit? &c.

I. *Quæritur 1. Utrum existat aliqua materia prima?*

Resp. Datur materia prima, quæ omnium formarum est subjectum, ipsa verò in nullo subjecto est. Est *communis* omnium ferè Philosophorum. Intelligimus per materiam primam substantiam aliquam incompletam, quæ sit subjectum, ex quo omnes formæ materiales educuntur, & in quo recipiuntur, quæque sit subjectum omnium transmutationum substantialium, ita vid. ut cùm ignis

ex

ex ligno generatur, materia, quæ priùs erat ſub forma ligni, tranſeat ad formam ignis; ſicut in artificialibus cùm ex bombarda ærea fit campana; idem metallum, quod priùs erat ſub forma bombardæ, poſtea tranſit in formam campanæ. Non deſunt hoc ævo Philoſophi Catholici, qui materiâ omni ſubſtantiali, formâque negatis (exceptâ animâ rationali) omnia ex minutiſſimis atomis fieri & conſtare dicunt, non quidem increatis illis, æternisque, ut Democritus volebat, nec caſu conjunctis, ſed creatis, & naturali motu, quem à Deo receperunt, commiſtis, & in unam maſſam conflatis, quam ignem aut equum vocamus; ſi enim, inquiunt, ex viginti tantùm litteris alphabeti ingentes, innumeri, & infinitæ varietatis libri componuntur, alij verſu, alij proſâ, alij hiſtoricè, alij philoſophicè, alij Latino, alij Gallico, Italico, Hiſpanico ſermone, alij rhetorico, alij ſimplici ſtilo conſcripti; & qui tandem in minutos & paucos characteres, iſti verò in minimos apices reſolvuntur, cur non idem multoque faciliùs de varijs ſpeciebus rerum creatarum concedas, ignem vid. componi ex minutiſſimis corpuſculis igneis, non verò ex materia & forma ignis? Hæc ſententia quamvis prima Philoſophiæ & Theologiæ fundamenta ſubvertat, gratiam tamen & pretium à novitate accepit, & in multis ſcholis audiri cœpta eſt. Operæpretium fuerit eam refellere, priùs tamen intelligenda & explicanda eſt. *Primò* igitur docet ignem v. g. nihil aliud eſſe, quàm maſſam ex multis corpuſculis igneis, in hanc, & non aliam figuram diſpoſitis; ſicut domus nihil aliud eſt quàm multi lapides ita & non aliter diſpoſiti. *Secundò* hæc corpuſcula non eſſe compoſita ex materia & forma ignis v. g. ſed eſſe ſimplicia: ſicut enim punctum eſt ſimplex quantitas, ita corpuſcula illa eſſe ſimplicem ſubſtantiam: & ſicut ex multis punctis variè collocatis innumeræ figuræ, & ex figuris innumeri effectus oriuntur, ita ex punctis atomisque ſubſtantiæ variè contextis innumeras rerum ſpecies, ac proprietates. *Tertiò* tollunt omnem materiam & formam Ariſtotelicam; atomi enim illæ ſubſtantiales ſunt corpora ſimplicia, in quorum ſingulis non poteſt aſſignari materia quæ recipiat v. g. formam ignis, nec forma ignis, quæ in materia recipiatur: ſed ſicut in puncto quantitatis non ſunt aliæ partes quantitatis, ita

nec

nec in punctis atomisque substantiæ v. g. ignis sunt aliæ partes substantiales, quarum una materia dici possit, alia verò forma. Admittunt tamen aliquam materiam & formam velut accidentalem; forma enim leonis est certa dispositio corpusculorum, per quam differt ab equo, cane &c. *Quartò* tollunt etiam omnem generationem, & corruptionem substantialem, per quas aliquid fit ex *nihilo sui*, & redit in *nihilum sui*; cùm enim ignis v. g. ex lignis fit, negant novam formam educi, quæ priùs non erat, sed dicunt ignem ligno admotum per sua tenuissima & in cuspides pyramidales redacta corpuscula velut acutissimis telis omnia corpuscula ligni penetrare, secare, dissipare, in fugam & cineres agere, & ita ignem, qui in ligno latebat, retegere ac velut liberare. Non ergo ignem, aut formam leonis de novo generari, sed tantùm detegi, & varia corpuscula, carnea, ossea, sanguinea, pituitosa conjungi. Eodem pacto, quo formas substantiales, etiam accidentales (exceptâ forsan figurâ) proscribunt. Calorem enim ignis nihil aliud esse, quàm micas & scintillas mucronatas, ac cuspidatas ignis, quæ si paucæ sunt, modicè tactum irritant perfricantque; si multæ, comburunt, hoc est, materiam ac corpuscula sibi objecta penitus dissipant & profligant. Eodem modo lucem ignis nihil aliud esse, quàm corpuscula omnium subtilissima, & quæ sensum æquè subtilissimum, hoc est, visum diverberent & jucundè titillent. Sapores verò esse corpuscula crassiora, & quæ gustum, non alios sensus tactu delectent aut offendant; solùm ergo tactum, aut crassiorem aut teneriorem inter sensus admittunt. *Quintò*: differunt verò hæc corpuscula non solo ordine, situ, figurâ, sed etiam naturâ, per quam diversis motibus, diversisque figuris donantur; habentque etiam vim attractivam sibi similium, & expulsivam dissimilium, eo ferè modo, quo magnes ferrum, arbor succum trahit, quo in folia, flores, fructusque vestitur: corpuscula ergo arboris v. g. trahunt ad se varia alia & amica corpuscula, ex quorum confluxu certis temporum vicibus flores, fructusque gignuntur. Hactenus Recentiorum sententia, quam nemo non videt quot nugis abundet, & tamen multis placuit novitatem amantibus. Dari formas substantiales & accidentales infrà probabitur, nunc dari supponimus. Pro existentia mate-

materiæ primæ. *Ratio est* 1. Auctoritas omnium ferè Philosophorum, ac SS. Patrum, Basilij, Chrysostomi, Augustini, Damasceni, Ambrosij, Bedæ, Thomæ, Bonaventuræ &c. hos omnes halucinari tunc credam, cùm aliquid in medium protuleris, quod tantis viris, tantisque ingenijs meritò præponi possit: sed istos omnes erroris postulare, Philosophiam susque deque vertere, nec tamen ullam rationem afferre tanto conatui parem, meo judicio imprudentis hominis est, & Indos imitantis, qui aurum & margaritas vitro ac crepundijs mutant. Fateor Argumentum ab auctoritate in Philosophicis non esse magni momenti, sed quantò minoris à nulla & fragili ratione? maximè cùm sententia Patrum & Philosophorum sit maximis & optimis rationibus nixa, ut mox videbimus. 2. In omni mutatione datur aliquod subjectum, quod transit de non esse ad esse, seu quod mutatur; ergo etiam in mutatione substantiali datur aliquod subjectum, quod transeat de forma ligni v. g. ad formam ignis; vel ergo hoc subjectum est primum, & nullum aliud supponens? erit materia prima (nec enim aliud nomine materiæ primæ, quàm primum subjectum generationis substantialis intelligimus) vel non est primum, sed aliud supponit? & de hoc iterum quæro, an sit primum (veniendum enim erit ad aliquod primum, nec enim inter partes componentes & essentiales datur processus in infinitum) & si est primum, hoc erit materia prima. *Dices*, non dari mutationes substantiales, & ideo nec formam ignis v. g. generari. *Contra*: Forma ignis ergo aut creatur, aut tantùm detegitur & in lucem producitur, cùm priùs in ligno v. g. lateret, sicut farina in grano, aut vinum in botro? non primum, quia creatio est ex nihilo, nulla verò res naturaliter ex nihilo produci potest, ut patet experientiâ: & si ignis ex nihilo fit, cur non æquè ex aqua, aut lapide quàm ex ligno? cur ex grano frumenti non æquè quercus, aut abies, quàm spica nascitur? quod enim ex nihilo fit, non magis ab hisce, quàm alijs dispositionibus pendet; & patet in artificiatis, si enim faber lignarius ex nihilo navim construeret, nec ligno illi, nec pice, nec ferro opus esset, sicut nec Deo creatori, cùm Mundum, & alia creavit. Et *denique* creatio pugnat cum illo naturali Principio, *Ex nihilo nihil fit.* Si verò forma ignis nec crea-

tur, nec generatur, sed tantùm detegitur, & velut ex latebris prodit, quid rogo causæ est, ut in ligno quantumvis contuso, contrito, dissecto & in pulverem soluto nihil ignis appareat? planè & nucleus in nuce, & vinum in botro, & omnia, quæ latent, facilè notantur; cur ergo particulas ignis in ligno reconditas nec mola, nec ferrum, nec caries, nec res alia prodit præter solum ignem, cùm ligno applicatur, cùm tamen res aliæ, quæ tantùm latent, non uno tantùm, sed multis modis eruantur; ut in auro, argento, gemmisque experientia docet? *Rursus* si ex granulis pulveris tormentarij incensis non generatur ignis, sed tantùm detegitur, qui priùs illic latebat, quî fieri potest, ut ignis, qui ingentibus & gravissimis molibus coërceri non potest, sed illas elevat, rumpit, dissipat, paucissimis & levissimis granulis coërceatur, non incendat, non moveat, non saltem calefaciat? Notat Snellius peritissimus Mathematicus, unicum granum pulveris tormentarij incensum occupare spatium centies vigesies quinies millies majus seipso; cùm ergo ignis se habeat ad granum pulveris sicut 125000 ad 1. quis unquam credat tantam ignis copiam in granis impunè latere, & extra granum tantam cladem inferre non granis tantùm, sed turribus & integris civitatibus? Ridiculum est, quod aliqui dicunt, cùm pulvis tormentarius admoto igne incenditur, non quidem generari novum ignem, sed corpuscula ignis, quæ illic latebant, vehementer calefieri & calefacta rarescere, majusque spatium occupare, & ideo efficaciùs extra pulverem agere, quàm intra pulverem, ubi nec ita calefacta nec rarefacta erant. *Novum* hoc est, ignem calefieri, eodem enim pacto & aqua madefieri dicenda erit. *Deinde* virtus unita & collecta est fortior, si ergo ignis extra granum rarefactus tam est activus, cur rogo intra granum collectus densatusque & centies vigesies millies grano major adeò segnis inersque, ut nihil moveat, nihil agat, & ne quidem sentiatur? & quî fieri potest, ut granulo constringatur centies millies minori, qui non potest totis arcibus? Sed de productione & generatione formarum substantialium suo loco plura, nunc ad materiam primam. 3. Cùm ex aqua ignis producitur, non perit tota aqua (annihilatio enim ex communi Philosophorum non datur naturaliter, sed solius est virtutis di-

vinæ)

vinæ) ergo aliquid substantiæ manet, sed non forma (nec enim potest in eodem subjecto naturaliter forma aquæ formæ ignis conjungi) ergo materia. 4. Sicut in ordine entium datur actus purus, ita dari convenit potentiam puram, omnium formarum receptricem, sicut ille est omnium formarum effector. 5. Cùm ignis appositâ aquâ generatur, aut ex nihilo generatur, aut ex aliquo? non ex nihilo, *tum* quia hoc naturaliter repugnat, ut omnes etiam Adversarij fatentur; *tum* quia si ignis potest ex nihilo generari, cur non etiam ex aëre, & sine alio elemento conservatur? plus enim est ex nihilo fieri, quàm ex aëre. Si ex aliquo, aut ex materia aquæ, aut ex forma? non ex forma, quia hæc non est subjectum generationis, aliàs esset materia, nec enim aliud intelligimus nomine materiæ, & aliàs posset forma aquæ formam ignis recipere, si ejus est subjectum, quod tamen naturaliter repugnat, cùm una forma aliam destruat, nec generetur nisi eâ destructâ; non ergo una aliam recipit. Restat ergo, ut forma ignis ex materia aquæ sibi appositæ generetur. 6. Ars nihil producit nisi ex subjecta materia, ergo nec natura generat, nisi ex materia; non enim minùs naturæ, quàm arti repugnat aliquid ex nihilo producere, ut docet experientia. 7. Cùm lignum admoto igne alteratur, ac calefit, & tandem ignescit, vel aliquid ex ligno manet sub forma ignis, vel nihil? si aliquid? illud non est forma ligni, ut patet, ergo est materia ligni: si nihil? ergo totum subjectum calefactionis, & alterationis perit, ergo & ipsa calefactio, & alteratio, ergo frustranea & impertinens est calefactio, & alteratio ligni, ut ignis ex eo generetur, quia in puncto generationis & calefactio, & subjectum calefactionis perit; sicut enim frustra scamnum pares, si eo momento quo sedere volo, illud subtrahas: frustra medicinam temperes, si quo momento haurienda est, illam effundas; ita frustra generationi subjectum per alterationem aliasque dispositiones natura parat, si quo tempore res generatur, & subjectum & dispositiones necessarias natura subducat, perinde enim est ac si nunquam fuissent, sicut si tabula & colores Pictori desint, quo tempore imago pingenda est, perinde fuerit ac si nunquam adfuissent. Clarum exemplum etiam est in nutritione animalis; cùm enim animal

 nutri-

nutritur, vel aliquid cibi manet in fine nutritionis, & conjungitur substantiæ viventis, vel nihil manet? si aliquid? non forma cibi, ut patet, ergo materia: si nihil? quomodo potest animal nihilo nutriri, confortari, crescere? *Si dicas*, corpuscula carnis, sanguinis, ossium &c. in cibo latere, quæ per nutritionem animali adjungantur, *hoc tam absurdum* est, ut nec refutatione sit dignum; quis enim in pane v. g. aut olere aut jusculo particulas & guttas sanguinis, aut micas ossium, & carnis esse credat? alioqui dicendum erit, omnia in omnibus esse, cur ergo non omnia ex omnibus generantur & in omnia resolvuntur? si enim in pane continentur infinitæ particulæ sanguinis v. g. ex quibus sanguis augetur, & producitur, cur non æquè contineantur infinitæ particulæ pomi, pyri, piscium, avium, ex quibus terræ, aut nido, aut aquæ mandatis poma, pyra, pisces, avesque proveniant? 8. Cùm ignis ex ligno producitur (idem dicas de omnibus alijs, quæ naturaliter producuntur) non fit ex nihilo, sed ex materia potente igniri, ergo manet ea potentia etiam post actualem ignitionem (actus enim non destruit potentiam; sicut marmor, quod poterat in statuam sculpi, si actu sculpatur, non desinit esse marmor) sed non manet in forma ligni, hæc enim per ignitionem destruitur; ergo in materia ligni, ergo datur aliqua materia prima, nec enim dari potest materia secunda, aut tertia, quin detur prima, quæ sit subjectum sine subjecto.

II. *Quæritur 2.* Utrum materia prima idem sit, ac quatuor vulgata elementa?

Resp. Negativè. Ratio est 1. Elementa transmutantur in se invicem, ut patet experientiâ: Sed materia prima non transmutatur, sed est subjectum omnis transmutationis; nam si & ipsa transmutaretur, & converteretur in aliam substantiam, sequeretur res naturaliter creari, & annihilari, ut patet ex dictis. 2. Elementa corrumpuntur, materia prima est incorruptibilis, ut paulò pòst explicabitur. 3. Supponit hæc sententia, omnia mixta componi ex veris elementis, at hoc repugnat experientiæ.

III. *Quæritur 3.* An corpuscula, & atomi conglobatæ sint materia prima?

Resp. Negativè. Ratio est 1. Quia falsum est dari hujusmodi cor-

corpuſcula, ut patet ex dictis. 2. Hujusmodi corpuſcula transmutantur & generantur, & non tantùm deteguntur, ut ſuprà oſtenſum: ſed materia prima non generatur. 3. Hujusmodi corpuſcula caleſiunt & frigeſiunt contra inclinationem naturæ, ut patet in aqua, plantis &c. ergo moventur ad corruptionem (nihil enim eſt aliud declinare ad corruptionem, quàm alterari contra inclinationem naturæ, ut patet in morbis) ergo tandem corrumpi poſſunt (omnis enim motus eſt ad aliquem finem & terminum, nec poteſt aſſignari aliquod corpus alterationi corruptivæ obnoxium, & non corruptibile) ergo ſunt corpora corruptibilia, ergo non ſunt materia prima, hæc enim eſt incorruptibilis: planè ſicut omne corpus morbis obnoxium eſt mortale; ita omne corpuſculum nimio frigori, aut calori contra inclinationem naturæ expoſitum, eſt corruptibile, nam & ille exceſſus eſt quidam morbus: Si ergo in illis corpuſculis eſt morbus, cur non & mors & corruptio?

Objicitur 1. Ars imitatur naturam: ſed effectus artificiales fiunt per diverſam diſpoſitionem corporum parvorum aut magnorum; quid enim ſunt magnæ & ſplendidæ ædes, niſi multitudo lapidum & lignorum artificiosè compoſita? quid dulcis harmonia, niſi multitudo vocum & ſonorum in certas proportiones diſtincta? quid pictura & imago, niſi multitudo colorum & linearum tabellæ punctim inſcriptarum? quid telæ arte Phrygiâ, & opere plumario tot floribus, figuris, coloribus variatæ, niſi multorum textura filorum? *Denique* Æneas Virgilij, Annales Livij, Hiſtoriæ Plinij quid aliud ſunt, quàm 24. characteres variè permixti? ſi ergo tot & infinitæ admirationis opera ex ſola corpuſculorum diſpoſitione ars produxit, cur non æquè natura aut Opifex naturæ Deus? nec enim majoris admirationis, aut induſtriæ opus eſt parvus aliquis & coloratus lapillus, v. g. amethyſtus, aut cryſtallus, quàm horologium: ſed in hoc nulla eſt materia, aut forma præter corpuſcula aliter & aliter diſpoſita, ſibique inſerta, ergo nec in illis.

Reſp. Ars & natura in hoc conveniunt, quòd utraque corpuſculis in certum ordinem diſpoſitis utatur, ut ſuos effectus operetur. Notat Galenus *l. 1. de format. fœtûs*, ſe in corpore humano

ossa supra ducenta observâsse, musculos verò supra 600. verbo, partes carnis sunt corpuscula carnea, partes ossis corpuscula ossea &c. In hoc ergo natura & ars pares sunt: sed in hoc natura artem superat, quòd cuilibet rei formam substantialem dederit, quâ moveatur ab intrinseco, seipsam conservet, augeat, propaget, contraria expellat, amica conjungat, mirabiles effectus operetur &c. quæ omnia supponunt formam substantialem, ut alibi dicetur, & consequenter materiam primam, quæ formarum subjectum est.

Objicitur 2. Physica est scientia de objecto sensibili, ergo sensuum judicio nititur; sed sensu nullam materiam primam experimur; sed tantùm corpuscula carnea, ossea, aquea &c.

Resp. Duo ad scientias concurrunt, sensus, & intellectus; sensus cognitionem inchoat, intellectus perficit; nam si illis tantùm assentiaris, quæ in sensum cadunt, quid intererit inter sensum, & intellectum, inter oculum & mentem, inter hominem & brutum? imò & bruta aliqua cognoscunt, quæ sensum effugiunt; si ergo intra sensum steteris, nec æternitas, nec Deitas, nec animæ immortalitas &c. asserendæ sunt: sensus ergo ita sequendus est, ut principijs, quæ sensui nota sunt, alia principia intellectui nota adjungantur, & ex utrisque veritates deducantur, quæ supra sensum quidem sunt, non tamen contra sensum; cùm enim sensus sit instrumentum intelligendi, non repugnat sensui, sed potiùs congruit, ut intellectus eo utatur ad ea cognoscenda, quæ solo sensu cognosci non possunt; sicut quia penicillus est instrumentum pingendi, non repugnat penicillo, sed potiùs congruit, ut pictor eo utatur ad imagines pingendas, quas solus penicillus non potest. Sic in proposita materia ex illo principio sensibili, *Ex nihilo nihil fit*, & alio principio intelligibili: *In causis, præsertim intrinsecis, non datur processus in infinitum:* deducitur, dari aliquod primum subjectum extra omne subjectum, quod vocamus materiam primam.

Objicitur 3. Causa creata potest facere, ut forma quæ antè non erat, de novo fiat, ut patet in formis tam naturalibus, quàm artificialibus, ergo etiam poterit subjectum formæ de novo producere (cùm enim materia sit ens imperfectius formâ, cur non

possit

possit materiam producere, quæ potest formam?) ergo nulla est necessitas ponendi materiam primam, quæ sit subjectum omnium generationum, ipsa verò ingenerabilis.

Resp. Forma quando fit, fit *in*, & *ex* materia, reducendo potentiam materiæ ad actum; sic quando cera fit rotunda, rotunditas non fit simpliciter, sed in cera: non verò superat vires creatas unum ex alio facere, ut experientiâ patet. Si verò materia prima naturaliter etiam fieri & generari posset, aut ex alio subjecto aut ex nihilo fieret? non ex alio subjecto, quia ipsa est primum subjectum: non ex nihilo, quia hoc est supra vires naturæ. Necessaria ergo est materia, ex qua omnia generentur, ipsa ex nullo; & est manifestum exemplum in artefactis, in quibus forma longè materiam superat, & tamen artifex, qui potest formam producere, non potest materiam.

IV. *Quæritur 4. Quid* sit Materia prima?

Resp. Bene definit Aristoteles Materiam primam, quòd sit *primum subjectum ex quo aliquid fit, & non secundùm accidens.* Dicitur *primum subjectum*, ut distinguatur à subjecto accidentium, quod non est *primum*, sed *ex primo.* Dicitur *non secundùm accidens*, quia est pars essentialis compositi. Aliter ab eodem Aristotele definitur: *Non est quid, nec est quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur.* Materia enim prima est inter substantias, quod tabula rasa inter imagines; sicut enim tabula rasa est potentia ad omnes imagines, actu tamen nec est imago Cæsaris, nec Papæ, nec equi, nec leonis; ita materia prima est potentia quidem ad omnes formas, actu tamen non est in aliqua specie determinata equi, leonis, hominis, sed determinari tantùm potest, cùm actu illas formas recipit.

V. *Quæritur 5.* Utrum Materia prima sit ingenerabilis?

Resp. Affirmativè. Ratio est. Quod generatur, educitur de potentiâ subjecti (per hoc enim differt generatio à creatione) sed materia non potest de subjecto educi, cùm sit primum subjectum. Quæ ratio etiam probat eam esse incorruptibilem naturaliter, naturaliter enim non datur annihilatio, ut suprà dictum, & patet experientiâ: sed materia si corrumpatur, necessariò annihilabitur, quia cùm sit ultimum subjectum, non potest in aliud subjectum

resolvi,

resolvi, sed in nihilum. Quamvis tamen materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, non ideo tamen denominat compositum etiam ingenerabile, & incorruptibile, hæc enim est perfectio, quæ non denominat subjectum absolutè, nisi omnes partes subjecti afficiat, bonum enim & perfectum ex toto: denominat tamen hominem *materialiter*, quia materialitas est imperfectio, hæc autem est & denominat etiam ex parte. Eodem modo materia licèt incorruptibilis, non ideo perfectior est formâ, quia in multis alijs ab hac superatur, & sola extensio durationis non sufficit, ut unum sit alio perfectius, alioqui saxa & quercus erunt homine perfectiora. Quamvis ergo generatio in materia recipiatur, ex qua forma educitur, non ideo tamen denominat materiam genitam, quia materia hujus denominationis est incapax, nec est terminus generationis, sed tantùm subjectum; sicut ob eamdem causam licèt forma artis v. g. statuæ recipiatur in marmore, non denominat marmor *artefactum*, sed tantùm *sculptum*: Sic generatio formæ denominat materiam mutatam & informatam, non verò genitam. Non est etiam dubium, corrumpi à Deo materiam posse, si vid. omni illam formâ nudaret, sed nos loquimur de corruptibilitate naturali.

VI. *Quæritur 6.* Utrum materia essentialiter sit subjectum omnium formarum?

Resp. Affirmativè. Patet ex dictis. Tota difficultas est, quid sit esse *subjectum? Subjectum* ergo est illud, quod potest formam recipere, ab eaque denominari, id enim in omnibus videre est: Quamvis enim etiam forma dicat aliquam potentialitatem (nam forma equi potest in materia recipi, forma statuæ in marmore &c.) forma tamen ut forma non dicit potentiam ad recipere, sed ad recipi & actuare, & ita potentia formæ semper aliam & receptivam potentiam supponit, hoc est, potentiam materiæ & subjecti. Materia igitur prima, quia est subjectum sine subjecto, & quidem omnium formarum capax, & cum forma constituit unum ens per se & essentiale, ideo per excellentiam *subjectum* appellatur. Quodsi forma sit materialis, materia erit subjectum non tantùm *informationis*, sed etiam *sustentationis*, h. e. tale, ut *materialiter* influat in formam; adeò ut hæc nec esse possit, nec operari

ſtari ſine materia, quod patet experientiâ in omnibus formis, *cum* naturalibus, *tum* artificialibus. Quia ergo materia eſt commune ſubjectum omnium formarum, ideo fit, ut omnia corpora invicem transformari & transmutari poſſint, v. g. adamas in muſcam, muſca in hominem &c. non quidem ſemper immediatè, ſed ſaltem mediatè; ſi enim gallina muſcam comedat eamque in ſuam ſubſtantiam vertat, homo verò gallinam, hujus caro humanam augebit, & tandem informabitur animâ rationali, ſietque humana caro: ſicut ergo in motu locali à quolibet loco in quemlibet locum fieri tranſitus poteſt, non tamen ſemper immediatè, ita à qualibet forma in quamlibet formam. Regreſſus tamen ſemper difficilior; faciliùs enim ex vino fiet acetum, ex homine vermis, quàm ex aceto vinum, ex verme homo: & *ratio* eſt, quia quilibet defectus ad corruptionem, non verò quælibet diſpoſitio ad generationem ſufficit, & ſicut ſol tunc longiſſimè ab ortu diſtat, quando proximè occidit, ita etiam forma longiſſimè diſtat à generatione, quando proximè corrupta eſt.

VII. *Quæritur 7.* An materia per ſe ipſam *immediatè* ſit receptiva formarum?

Reſp. Materia eſt per ſeipſam & eſſentialiter potentia receptiva formarum, non verò per potentiam aliquam ſuperadditam.

Ratio eſt 1. Omne ens aut eſt actus, aut potentia; nec datur medium (quod enim nec eſt, nec poteſt eſſe, nihil eſt) ſed materia non eſt eſſentialiter actus, ergo eſt eſſentialiter potentia, aut ſi neutrum eſt, nihil eſt. 2. Potentia, quam ſuperaddis materiæ, aut in hac immediatè recipitur, aut mediante aliâ potentiâ? ſi hoc; de hac iterum quæro, & dabitur proceſſus in infinitum. Si verò dicis potentiam illam paſſivam immediatè recipi in materia, ergo jam concedis, materiam eſſe immediatè & eſſentialiter receptivam, & ſi hoc reſpectu unius formæ, cur non reſpectu omnium? eſt enim eadem ratio: requirit quidem materia diverſas diſpoſitiones, ut formam ſubſtantialem recipiat, ſed poſitis diſpoſitionibus immediatè formam recipit: ſicut cera ut figuram & ſigillum admittat, oportet ut ſit mollis, datâ tamen hâc diſpoſitione immediatè figuratur. 3. Compoſitum per ſe & ſubſtantiale ex duabus partibus eſſentialiter componitur, ex poten-

tia videl. & actu, ergo ſicut non poteſt componi ex actu & forma accidentali, ita nec ex potentia accidentali; potentia ergo receptiva non eſt accidens materiæ ſuperadditum, ſed ipſa materia, & ideo etiam poſitâ formâ retinet materia potentiam receptivam (nec enim actus deſtruit potentiam) non tamen potentialitatem, h. e. defectum formæ. *Nota* tamen quòd materia aliter reſpicit formas antequam illas recipiat, aliter cùm actu recipit. Antequam recipiat, reſpicit omnes indeterminatè; eſt enim indifferens & ad hanc & ad illam, & ideo qui perfectè materiam comprehenderet, non ideo cognoſceret diſtinctè omnes formas poſſibiles, quia, ut dixi, materia illas determinatè non reſpicit & ſub una ratione formali, quatenus ſunt actus & in materia receptibiles; ſicut qui tabulam raſam aut ceram nondum ſignatam perfectè cognoſcit, non ideo cognoſcit diſtinctè omnia ſigilla aut imagines poſſibiles. Materia verò cùm actu recipit formas, reſpicit illas determinatè; nec enim aliter exiſtunt aut producuntur quàm in determinata ſpecie. Si vel una ſpecies formæ creatæ eſſet impoſſibilis, v. g. muſcæ, implicaret etiam tota materia prima; impoſſibilitas enim muſcæ non eſſet ex repugnantia terminorum (nec enim iſti termini ſunt contradictorij, *muſcam eſſe & exiſtere*) ergo ex impotentia cauſæ primæ & creativa, ergo tolleretur cauſa prima (implicat enim hanc eſſe impotentem) ergo tolleretur omnis effectus creatus, ergo etiam materia prima.

Objicies: Potentia activa diſtinguitur ab eſſentia, v. g. calor ab igne, intellectus ab anima, ergo etiam potentia paſſiva.

Reſp. Malè argui à diſparatis. Deinde potentia activa non eſt pars eſſentiæ, ut potentia receptiva, & potentia activa non identificatur cum eſſentia, ſed hanc ſupponit; poſſe enim operari ſupponit rem eſſe.

VIII. *Quæritur I.* An Materia prima dicat relationem tranſcendentalem ad omnes formas?

Reſp. Materia, quamvis ens abſolutum, dicit tamen reſpectum tranſcendentalem ad omnes formas poſſibiles. *Nota* ex dictis de Relatione, relationem tranſcendentalem non obſtare, quin aliquid ſit ſimpliciter ens abſolutum, quod præſertim in materia

ria locum habet; quamvis enim dicat respectum ad formam, hic respectus non est ad aliquid merè extrinsecum, sed ad compartem, & cum qua materia facit *unum per se*, & in certa ac determinata specie constituitur; & ex materia & forma non fit ens relativum, sed absolutum, videl. homo, equus &c. Hoc tamen non obstante materia dicit ordinem transcendentalem ad formam: multi negant in Deo & creaturis hunc ordinem. Deum quod attinet, etiam nos hujusmodi relationes ab illo removemus; sed in creaturis, & consequenter etiam in materia necessariò admittendas esse his rationibus probatur. *Ratio est 1.* Auctoritas S.Thom. qui *1.p.q. 28. a.1.* expressè hujusmodi relationes à natura indistinctas admittit. 2. Unum ad aliud referri transcendentaliter, est unum cum altero essentialiter connecti, vel unum sine alio esse non posse: atqui creatura ut creatura essentialiter connectitur cum Creatore, & implicat creaturam esse sublato Creatore; ergo creatura ut creatura essentialiter dicit ordinem transcendentalem ad Creatorem: ex quo etiam sequitur unam creaturam respectu alterius transcendentaliter referri, nam etiam actus essentialiter connectitur cum objecto, potentia cum actu, saltem possibili, unio cum partibus, effectus cum causa &c. 3. Materia est essentialiter potentia realis, ergo est essentialiter alicujus actûs potentia: vel ergo est potentia ad impossibile, vel potentia ad possibile? non ad impossibile; quia hoc repugnat; quid enim repugnantius quàm posse impossibile? ergo est essentialiter potentia ad possibile; ergo essentialiter connectitur cum forma possibili; quæ si fiat aut sit impossibilis, necessariò quoque potentia materiæ & ipsa materia, hoc est, prædicatum illi essentiale destruitur. 4. Possibilitas formæ v.g. novi solis nihil aliud est quàm divina essentia ut imitabilis & derivabilis, ergo sublatâ possibilitate novi solis tollitur divina essentia, ergo & materia prima quæ à Deo essentialiter pendet; ubi videre est miram inter se rerum omnium connexionem, ut vid. unâ implicante continuò omnes reliquæ implicent.

Objicitur 1. Sic se habet materia prima ad formas, sicut tabula rasa ad imagines, cera ad sigilla: sed tabula rasa non dicit essentialem connexionem cum imaginibus possibilibus; alio-

qui ſequeretur, omnibus pictoribus morte ſublatis hoc ipſo omnes tabulas ſublatum iri, ita ut divinitus quidem conſervari poſſint, quod tamen abſurdum eſt; tabula enim quantum eſt ex ſe ſemper dicit potentiam recipiendi imagines, quàmvis iſtæ repugnent: & cera ſemper habet potentiam & habilitatem intrinſecam, ut fingi ſignarique ſigillo poſſit, quamvis ſigillum defectu materiæ, aut artificis, aut aliunde repugnet. Idem ergo dicendum de materia prima.

Reſp. Nullum effectum nec naturalem, nec artificialem dici poſſe impoſſibilem, quandiu produci à Deo poteſt, qui eſt prima & ſufficiens ac adæquata cauſa & radix poſſibilitatis; eſſe enim poſſibile eſt aliqua perfectio, per quam receditur ab ente chymerico & impoſſibili, non quidem in ipſa re (hæc enim quandiu non exiſtit, nihil eſt) ſed in rerum idea & exemplari, h. e. Deo; non ergo mirum eſt, tabulam raſam ſupereſſe omnibus pictoribus ſublatis, quia adhuc dicit potentiam ad recipiendas imagines abſolutè, h. e. à Deo poſſibiles. Quodſi ponas imagines aliquas ne quidem à Deo poſſibiles, & Deum, & conſequenter omnes creaturas ac tabulas neceſſariò tollis.

Objicitur 2. Quod eſt, non poteſt dependere ab eo quod non eſt (quomodo enim res nobilior ab ignobiliori, aliquid à nihilo pendeat? hoc planè incredibilius quàm lapidem molarem à pilo aut aranea pendere) ergo nec materia à forma poſſibili, nec cauſa ab effectu poſſibili pendere poteſt.

Reſp. Jam dixi, effectum poſſibilem eſſe aliquid non in ſe, ſed in ſua cauſa ideali & univerſali, hoc eſt, in Deo: ſicut enim flos habet aliquod eſſe in ſuo ſemine, & frumentum habet aliquod eſſe in herba; ita & multò magis omnis creatura, antequam ſit, habet aliquod eſſe in Deo, qui eſt ſemen omnis entis. Deinde cùm dicimus, materiam pendere à poſſibilitate formæ, non eſt ſenſus, formam poſſibilem exercere influxum aliquem & cauſalitatem in materiam, qualem exercet pilus molarem ſuſtentans, ſed ſenſus eſt, materiam & formam mutuam connexionem dicere, ut una ſine alia eſſe non poſſit, quod etiam meræ negationi poteſt convenire; homo enim quamvis entitas realis, dicit tamen eſſentialiter negationem aquilæ, leonis &c. non

ideo

ideo tamen dicit relationem tranſcendentalem ad nihil, nam referri ad nihil, eſt non referri; ſicut nihil comedere eſt idem ac non comedere.

Objicitur 3. Si admittimus hujusmodi eſſentialem connexionem & reſpectum materiæ ad formas, cauſæ effectivæ ad effectus poſſibiles, idem quoque in Deo dicendum erit, qui eſt cauſa omnium creaturarum; id verò abſurdum videtur, repugnante enim formicâ repugnaret Deus, & ita æquè neceſſaria eſſet poſſibilitas formicæ ac Dei ejusque exiſtentia.

Reſp. 1. Multi & graves Doctores ſunt, qui admittunt hanc eſſentialem connexionem cum poſſibilitate creaturarum, ut videre eſt apud Suar. *l.3. de Attrib. c.9.* cùm enim ea conditio (v.g. *ſi equus repugnet*) ſit impoſſibilis, nihil lædit in Deo neceſſitatem eſſendi; ſicut enim hæc propoſitio: *ſi Deus diceret formicam exiſtere, & non exiſtat, Deus non erit verax*, nihil lædit infinitam ejus veracitatem; ita nec abſolutam eſſendi neceſſitatem iſta: *Si formica non eſt poſſibilis, nec Deus eſt poſſibilis.* *Rurſus* ſicut omnia falſa ſunt formaliter æquè falſa, quia omnem veritatem excludunt; ita omnia impoſſibilia æquè impoſſibilia, quia excludunt omnem poſſibilitatem. Vide Suar. *de Trin. l. 9. c. 6.* Poſſibilitas ergo formicæ æquè neceſſaria eſt ac ipſe Deus non tam intrinſecè quàm extrinſecè, quia terminus Divinæ Omnipotentiæ & imitabilitatis: ſicut hæc propoſitio, *Formica exiſtit*, æquè eſt vera ac iſta, *Deus exiſtit*, non quidem intrinſecè, ſed extrinſecè, ut à Deo revelata & aſſerta in SS. Literis. Si poſſibilis eſſet præter unum Deum alter Deus, verus Deus redderetur impoſſibilis: ſi ergo poſſibilitas veri Dei pendet ab impoſſibilitate, cur non poſſit à poſſibilitate formicæ aut apis?

Reſp. 2. Ex ſententia S. Thomæ, ut ſupra de Relationibus dixi, Deus non refertur tranſcendentaliter aut ordinatur ad creaturas poſſibiles; poſſibilitas enim creaturarum eſt ipſe Deus, in quo velut in flore totius entis continentur; nihil autem refertur vel ordinatur ad ſeipſum. Vide S. Thomam *2. contra Gent. c. 11. & 12.* ubi in Deo negat omnes relationes ad creaturas tam prædicamentales quàm tranſcendentales, ut legenti patet.

IX. *Quæritur 9.* Utrum Materia prima appetat omnes formas?

Reſp. Materia dicit appetitum innatum ad omnes formas

 ſub-

ſublunares. Quid ſit appetitus innatus, & quomodo ab elicito diſtinctus, vide S. Thom. *1. p. q. 61. a. 1. ad 2.* & *q. 19. a. 1. & 9. & q. 59. a. 1.* *Ratio* Concluſionis eſt: Appetitus innatus nihil aliud eſt quàm inclinatio naturalis omnibus rebus inſita in ſuum bonum, quo vid. perficiuntur & cui proportionantur: ſic magnes ferrum, ſic gravia centrum, ſic plantæ humidum, ſic materia appetit formas, quia iſtis completur, perficitur, ſuum ſtatum naturalem conſequitur, & fine ob quem creata eſt, potitur: cùm ergo appetitus innatus ſit proportio & inclinatio naturalis ad ſuum bonum, & hæc proportio ſit eſſentialis materiæ (potentia enim eſt proportio ad ſuum actum) non eſt dubium, in materia eſſe appetitum formæ: & quidem ad formas præſentes habet appetitum gaudij vel complacentiæ; ad futuras appetitum deſiderij; ad præteritas propriè non habet appetitum naturalem, quia præteritum ut præteritum eſt impoſſibile. S. Thom. *1. p. q. 25. a. 4.* ſed impoſſibile nec eſt bonum, nec appetitur aut deſideratur efficaciter. Ad animam ſeparatam dicit appetitum non tam naturalem quàm obedientialem, quia naturaliter animæ reuniri non poteſt. Vide S. Thomam *1. p. q. 76. a. 1. ad 6.* ubi vides, licèt appetitus materiæ ſit ipſa materia (ejus vid. potentia & proportio eſſentialis cum forma) includere tamen extrinſecas aliquas connotationes, & juxta harum diverſitatem alias & alias inducere denominationes. Ex quo etiam deducitur, materiam non magis unam formam appetere quàm aliam. S. Thom. *1. p. q. 66. a. 2.* quamvis una ſit perfectior alterâ; & ratio eſt; quia appetitus materiæ eſt ejus potentia & proportio ad actum ſeu formam; æquè verò eſt potens & proportionata ad omnes; ſicut cera aut tabula raſa æquè ſunt proportionatæ omnibus figuris aut imaginibus recipiendis; & in ſpeculo æqualis eſt potentia ad pulchras turpesque facies recipiendas; & niſi hoc admittas (quamvis per ſe clarum ſit) dicendum eſſet materiam magis appetere formas imperfectas quàm perfectas, quia cùm ſit ens imperfectiſſimum, magis proportionatur & aſſimilatur imperfectioribus; appetitus autem eſt ad ſimilia.

Objicies 1. Appetitus materiæ eſt ejus ordinatio ad formam tamquam ad ſuum bonum: ſed perfectior forma eſt perfectius materiæ bonum, quia plures illi gradus entis & perfectiones communi-

municat; ergo materia magis ordinatur ad formam perfectiorem, & consequenter majorem appetitum ad illam habet.

Resp. Materiam ordinari ad formam tamquam potentiam, & hæc potentia & capacitas est ejus appetitus; æquè autem est potens & capax omnium; sicut concha aut urna omnes æquè liquores capit, nec magis nobiliorem quàm ignobiliorem; & in genere potentiæ non magis ab una forma quàm ab alia perficitur; cùm enim sit pura potentia, formas respicit præcisè ut actus, ab omnibus autem æquè actuatur; & quamvis à forma hominis v. g. magis perficiatur quàm à forma equi (cùm ab illa accipiat *vegetare, sentire, intelligere*, quod à forma equi non accipit; sicut lignum magis perficitur à forma statuæ quàm scamni aut arcæ) minorem tamen hanc perfectionem æquè appetitu innato ac illam majorem appetit, quia hic appetitus est per modum potentiæ, hæc autem est respectu omnium æqualis; & hujus insuper signum est, quòd videmus æquè facilè formas imperfectas materiæ induci atque perfectas, & perfectas æquè facilè à materia ac imperfectas relinqui; quod non fieret, si perfectas præ imperfectis appeteret; quæ enim magis appetuntur, & faciliùs acceptantur, & ægriùs deseruntur.

Objicitur 2. Sic se habet materia ad formam, sicut voluntas ad bonum (utraque enim est omnino indifferens; & sicut materia capax omnis formæ, ita voluntas omnis boni) sed voluntas obtento summo bono satiatur, nec aliud appetit, ergo & materia obtentâ formâ perfectissimâ, v. g. animâ hominis, illâ satiabitur, nec aliam appetet.

Resp. Ideo voluntas obtento summo bono satiatur, quia in illo omne bonum continetur, & alia bona creata respectu boni infiniti tam sunt parva, ut nullum sui excitent desiderium, bono infinito omnes animæ vires occupante ac ad se rapiente; sicut si in unam lancem mille auri libras conjicias, in alteram levissimum pilum, nihil ab isto lanx flectetur, alio pondere prævalente. Secus est in formis creatis, quarum nulla omnium aliarum formarum perfectiones complectitur, & ideo omnes à materia appeti possunt, quamvis perfectissimam habeat, maximè quia excessus perfectionis non minuit appetitum ad imperfectiores, cùm

omnes

omnes æqualiter appetat. *Imò* materia eodem & æquali appetitu appetit formas naturales & supernaturales (qualis est anima rationalis, quatenus à solo Deo creari potest) ac etiam corruptas; licèt enim à nullo agente naturali produci possint, si tamen à quocunque producantur, naturaliter in materia recipiuntur, ut patet in anima, quæ utique naturaliter corpori unitur; & in vino, quod in hyeme supernaturaliter productum, naturaliter tamen in dolio vacuo recipitur. Loquor tamen de potentia materiæ radicali, non de proxima, quæ consistit in dispositionibus; nullæ enim dispositiones naturales dantur ad formam supernaturalem & corruptam, & respectu istarum potest in materia dari minor majorque appetitus; materia enim sicca, calida, rara magis appetit formam ignis quàm terræ.

Objicitur 3. Si Materia appetit formas, ergo appetit omnes; nec enim est ratio, cur potiùs unam quàm aliam appetat, ergo hic appetitus erit inutilis; quia satiari nunquam poterit, cùm formæ sint quasi infinitæ.

Resp. Appetitum materiæ esse per modum potentiæ, & ideo sicut materia est potens omnium formarum, ita & appetens; nec ideo tamen ille appetitus est inutilis; est enim radix generationis, corruptionis & variationis ac omnium rerum sublunarium; & ideo non oportet illum appetitum satiari & compleri, adeoque quiescere, quia non est propter se, sed propter bonum & perfectionem universi, cujus interest materiam semper de una forma ad aliam moveri; sicut ob eamdem causam nec motus cœli quiete aliquâ finitur. Et sunt infinita exempla potentiarum aut subjectorum, quæ nunquam omnes actus, figuras ac formas consequuntur, quas habere possunt.

Ex hoc quidem appetitu ad omnes formas nascitur corruptio, sed hoc nihil obstat, *tum* quia corruptio unius formæ aut compositi est appetibilis propter bonum universi. Vide S. Thom. *1. p. q. 60. a. 5.* & *q. 22. a. 2.* & *q. 48. a. 2.* *tum* quia hæc corruptio non potest soli materiæ imputari, sed causis in eam agentibus & contrarietatibus formarum, meritò tamen S. Thomas *1. p. q. 66. a. 2.* & *2. contra Gent. c. 55.* docet, primam radicem corruptionis & generationis esse materiam; hæc enim est, quæ formas contrarias reci-

recipit; hæc ex cujus ſinu & potentia omnes actiones generativæ, & conſequenter corruptivæ educuntur, cùm econtrà forma ſeipſam non corrumpat, & licèt generetur, non tamen eſt radix corruptionis, quia non præſupponitur, nec præexiſtit generationi, nec etiam ſupereſt corruptioni, ſicut materia.

Objicitur 4. Si materia appetit omnes formas, illas utique appetit, ut haberi & poſſideri poſſunt, ergo appetit illas non tantùm in communi, ſed etiam in particulari; ſic enim nec aliter produci & recipi poſſunt; quomodo ergo materia & appetitus materiæ eſt unus, cùm dicat infinitos reſpectus ad infinitos terminos?

Reſp. 1. Quomodo ſpeculum eſt unum, quod exhibet infinitas facies? quomodo una cera, una tabula, cui infinitæ figuræ & imagines inſcribi poſſunt? quidquid tu de ſpeculo, tabula ceraque dixeris, ego dicam de materia.

Reſp. 2. Omnes formæ in hoc conveniunt, quòd ſint actus, quòd informent, quòd materiæ coæquentur, eamque impleant, & ſub iſta ratione poſſunt ad unam materiam pertinere unamque potentiam; non ergo materia reſpicit ſolam illam & præciſam rationem formæ, ſed reſpicit omnes formas in particulari, non quidem ſub tota earum latitudine (non enim reſpicit animam rationalem ut à Deo creabilem, ut immortalem, ut ad ſupernaturalem gloriam ordinatam &c. hæc enim ad materiam nihil pertinent; & ſi abeſſent, tamen materia illam formam appeteret) ſed quia etiam quoad gradum ſingularem ſunt actus & perfectiones materiæ, & ideo ſi anima omnes perfectiones haberet, quas jam habet, non tamen eſſet forma, non appeteretur à materia; ſub hac ergo ratione, & non ſub alia formæ appetuntur, ſicut panis etſi albus ſit & rotundus, non tamen appetitur ab eo, qui eſurit, ut albus, ut rotundus, ſed ut cibus ſtomacho & fami placandæ aptus, & ideo etiamſi nec albus nec rotundus eſſet, tamen appeteretur. Non ergo mirum eſt, unum eſſe appetitum materiæ ad omnes formas, quia omnium formarum una & eadem eſt proportio ad materiam, actûs videl. ad potentiam.

X. *Quæritur 10.* Utrum Materia ſublunaris ſit ſpecies & poſitivè una?

Resp. Materia sublunaris (nam de cœlesti infrà agendum) habet unitatem aliquam specificam & positivam, quamvis in toto rigore specifica vocari non possit, nec omnino à formis independens. *Ratio est 1.* Omne ens positivum est unum positivè (unitas enim est proprietas entis) sed materia ut distinguitur à forma, est ens positivum, ergo una unitate positivâ. 2. Materia sublunaris distinguitur specie positivâ à materia cœlesti (alioquin esset positivè indistincta & positivè una cum materia cœlesti, quod expresse negat S. Thomas *1. p. q. 66. a. 2.* & *alibi.*) ergo materia sublunaris est una positivè; radix enim & fundamentum distinctionis est unitas; nec enim v. g. possunt esse duo equi, nisi uterque sit unus equus; nec duo ova, nisi utrumque sit unum ovum; & ideo unum definitur: *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio:* Et ideo indivisio in se est prior & radix divisionis à quolibet alio; si ergo materia sublunaris & cœlestis sunt species positivè distinctæ, ergo sunt duæ species positivæ, ergo utraque est una species positiva. Quia tamen materia est pura potentia, & specificatur per ordinem ad formas, & quia est ens incompletum, & in compositis naturalibus specifica distinctio non oritur ex materia, sed ex forma; nec potest ex sententia S. Thomæ materia sine forma existere, ideo idem S. Thomas dicit, materiæ non competere unitatem specificam positivam sine ordine ad formam, sed tantùm negativam, quia vid. materia, cùm sit pars potentialis, non dat speciem composito, sed reducitur ad speciem formæ cui unitur; sicut cera quia nullam habet imaginem impressam, reducitur ad speciem imaginis & figuræ quam recipit, retentâ tamen specie intrinsecâ ceræ. Eodem modo idem S. Thomas docet, materiam primam ex proprijs meritis, & seclusâ omni formâ non esse unam unitate numericâ positivâ, quia videl. materia *ut sic* non magis petit esse in hoc vel illo loco, sub hac vel illa numero forma, rara vel densa, parva aut magna &c.

XI. *Quæritur III.* Utrum & quomodo Existentia Materiæ distinguatur ab ejus essentia?

Resp. Existentia materiæ primæ distinguitur ab ejus essentiâ realiter modaliter, & non tantùm ratione. Hanc Conclusionem perpetuò docet S. Thomas *opusc. 48. c. 2. de subst. opusc. 15. c. 8. opusc. de form.*

form. q. 3. a. 3. 4. & 5. & 2. contra Gent. c. 25. 52. 53. Quodl. 2. a. 3. & 4. & *q. 7. de pot. c. 2.* & *1. p. q. 3. a. 4.* & *q. 50. a. 2. ad 3. & 4.* & *q. 54. a. 1.* P. Compronus ab his omnibus testimonijs uno verbo se liberat, S. Thomam vid. loqui de distinctione rationis, non reali: sed aut ludit, aut S. Thomam non legit, qui tam clarè de distinctione reali loquitur, ut clariùs non possit. Opusculo 48. sic habet: *Esse essentia, & esse actualis existentiæ differunt realiter ut duæ res diversæ.* & opusc. de forma *a. 3. in princip. corp. Impossibile est autem, quod aliquid, quod non est actus purus, sit sua actualitas, & ideo præter Deum, qui solus est actus purus, nulla res creata est idem cum suo esse, nec secundùm rationem, nec secundùm rem.* Et infrà circa finem Corporis: *Nec potest ad hoc responderi, sicut quidam volunt, quòd esse & forma differunt secundùm rationem, sed tamen sunt idem secundùm rem &c. quare necessariò oportet, quòd forma differat à suo esse realiter & non secundùm rationem tantum.* Laborant Thomistæ, ut hujus Conclusionis rationes reddant, alij verò ut falsi convincant, sed omnes infelici conatu; nam nec isti solidè impugnant, nec illi firmiter defendunt. Solâ ergo auctoritate S. Doctoris moveor; cur enim hanc deseram, nullis rationibus in contrarium allatis, ob quas operæ pretium sit, defectionem à tanto Duce moliri? Cùm Socrati liber quidam ab Heraclito Philosopho conscriptus in manus venisset, interroganti Euripidi, quid de illo censeret, respondit Socrates: *Præclara sunt quæ intellexi, puto autem & quæ non intellexi, sed Delio natatore indigent.* Idem dicas de S. Thoma, ubi rationes illius sententiæ non continuò patent.

XII. *Objicitur 1.* Tota ratio, ob quam S. Thomas ponit existentiam materiæ omniumque rerum creatarum ab ejus essentia distingui, est, quia essentia potest existere & non existere: atqui hæc ratio siquid probat, probat etiam existentiam per aliam existentiam realiter distinctam existere, & ita in infinitum, quia etiam existentia possibilis potest existere & non existere, v. g. existentia Antichristi.

Resp. Existentiam posse produci & non produci, & ita posse existere & non existere per ordinem ad causam efficientem, sicque indiget causâ efficiente à qua producatur, non tamen est indifferens ut sit existentia vel non sit existentia, sed est essentialiter

 liter

liter existentia: essentia verò creata hominis v. g. non est essentialiter sua existentia (hoc enim negat S. Thomas, & argumentum non probat) & ideo indiget aliâ existentiâ per quam existat: Sicut enim paries quia non est essentialiter albus, indiget aliquâ formâ realiter distinctâ, per quam intrinsecè sit albus; ita Petrus quia non essentialiter existit, indiget aliquâ formâ & actualitate distinctâ, per quam intrinsecè existat; si enim Petrus æquè essentialiter existit ac essentialiter est homo, cur ista propositio: *Petrus existit*, non æquè est æternæ veritatis, & à Deo immutabilis ac ista: *Petrus est homo?* *Rursus* existentia est perfectissima actualitas, & ideo in omni actu reperitur, & attribuitur Deo actui puro tamquam proprium ejus nomen; si ergo limitatio creaturæ non patitur, ut Petrus v. g. sit essentialiter sua sessio, sua scriptio, sua visio, sua nutritio, qui sunt actus imperfectiores, cur erit suum existere, qui est actus omnium nobilissimus & perfectissimus?

Objicitur 2. Etiam existentia habet suam essentiam (est enim essentialiter modus substantialis, incompletus, materialis aut spiritualis) ergo existentia distinguetur etiam à sua essentia.

Resp. Existentiam habere quidem suam essentiam, sed actualem & determinatam ut sit existentia, & non aliud, & ideo non indiget aliâ realitate, per quam sit essentia, aliâ per quam sit existentia, cùm necessariò sit, & essentialiter existens; sicut ergo albedo non indiget aliâ realitate per quam sit color, aliâ per quam sit albedo, quia essentialiter est color albus, ita existentia non indiget aliâ realitate per quam sit modus, substantia, ens; aliâ per quam sit existentia, quia essentialiter est ens existens. Secùs in essentia hominis v. g. homo enim propter limitationem & imperfectionem suæ naturæ non est suus actus, & consequenter non est sua existentia, quia est actus perfectissimus & proprius Dei, & ideo tota essentia hominis etiam existentis concipi & definiri non potest, quin concipiatur ejus existentia & productio, ergo existentia non est essentia hominis, alioqui sicut homo concipi non potest non conceptâ animalitate & rationalitate, quia hæc est ejus essentia; ita concipi non posset nisi conceptâ ejus existentiâ.

Obji-

Objicitur 3. Essentia hominis separari ab existentia non potest (nam essentia non existens est nihil) ergo realiter ab existentia non distinguitur.

Resp. Multa distinguuntur realiter, quæ separari non possunt; homo v. g. distinguitur realiter ab omni loco, omnique tempore, & tamen separari ab omni loco & tempore non potest, quod multò magis locum habet in essentia respectu existentiæ, nam ut eleganter notat S. Thomas *opusc. de form. a. 3.* cùm in genere perfectibilium & perfectionum primum gradum obtineat essentia & existentia (eò quod ipsum ens est principium seu primum in genere rerum, & existentia prima entis perfectio) ideo essentia cum sua existentia maximam habet unitatem tamquam perfectibile cum sua perfectione; cùm enim unitas sit proprietas entis *ut sic*, quantò magis perfectiones aliquæ sunt simplices minusque ab ente recedunt, tantò perfectiùs sibi uniuntur; sicut lineæ quantò viciniores centro, tantò minùs separantur, distantque. In sententia verò S. Thomæ docentis, materiam primam existere existentiâ formæ, certum est, existentiam separari ab essentia, toties pereunte existentiâ, quoties formâ.

Objicitur 4. Essentia hominis *ut sic* v. g. est aliquid, ergo non est nihil, ergo *ut sic* & essentialiter est existens; si enim essentialiter non est existens, ergo essentialiter est nihil, idem enim est non existere & nihil esse, v. g. Antichristus nondum existens nihil est.

Resp. Essentiam hominis ut sic esse aliquid potentiæ, non autem esse aliquid actûs & existentiæ, quia nulla creatura propter suam imperfectionem & limitationem est suus actus: sicut ergo ens dividitur in potentiam & actum, ita non ens & nihil dividitur in nihilum potentiæ, & nihilum actûs: essentia vero *ut sic* est aliquid potentiæ, sed non aliquid actûs, & existentiæ. Non tamen est admittenda ista propositio, *Homo per seipsum est non existens:* sicut enim ista propositio est vera, *Paries secundùm se non est albus*, ista verò falsa, *Paries secundùm se est non albus*; quia prima præscindit tantùm parietem ab albedine & non albedine; altera verò determinatè parietem conjungit cum non albedine, quod tamen falsum est, cùm paries sit ad utrumque indifferens; ita in proposito

posito de essentia & existentia. Si ergo auferas existentiam equo v. g. essentia quoque equi peribit, fietque non quidem formaliter (sicut enim essentia non est formaliter existentia, sed id quod potest existere, & non existere, ita formaliter non destruitur destructâ existentiâ) sed consecutivè; sicut extincto calore naturali extinguitur animal, non quidem *formaliter*, quia calor non est animal, sed *consecutivè*, quia calor est necessarius animali; sic existentia est necessaria essentiæ, ut aliquid sit; est verò necessaria non ut accidens (nam hoc supponit subjectum in actu) sed ut modus substantialis, per quam res ponitur extra causas. Est etiam exemplum in *Ubi* & *Quando*; quamvis enim homo non sit suum *Ubi*, aut *quando*, hæc tamen si ab homine separes, evadet nihil, idem enim est non esse, & nullibi aut nunquam esse.

Objicitur 5. Existentia si distinguitur à materia ejusque essentia, ergo recipitur in materia (quomodo enim reddat materiam intrinsecè existentem, nisi recipiatur in materia?) vel ergo recipitur in materia ut existente, vel in materia non existente? si in materia existente, de hac existentia iterum quæro, ubi recipiatur, & sic in infinitum: si verò existentia recipitur in materia non existente, hoc planè est impossibile, quod enim non existit, non potest aliud recipere; hauri aquam vase, quod non existit, sede in cathedra, quæ non existit, implica coronam capiti, quod non existit, si potes, aut si non potes, quomodo poterit formam, & existentiam recipere materia non existens?

Resp. Retorquendo hoc Argumentum, ut pateat, quàm sit fallax. Lapis cùm deorsum fertur, vel movetur ubi est, vel movetur ubi non est? non movetur ubi est, quia ubi est, stat, & non movetur: non movetur ubi non est, quia quod hîc non est, non potest hîc moveri; ergo lapis aut non movetur; aut si movetur, non movetur motu à se distincto. *Rursus* admittunt Adversarij *Ubi* esse modum distinctum à re locata; idem dicunt de *Quando*, & utrumque hunc modum produci & resultare ex corpore locato; nec enim apparet à quo aliàs producatur. *Quæro* igitur, Petrus existens in loco *B.* vel producit suum *Ubi B.* antequam illic existat, vel dum illic existit, vel postquam illic existit? Non antè, quia antequam existat in loco *B.* erit in loco v. g. *A.*

(debet

(debet enim alicubi esse) sed in loco *A.* non potest producere & habere *ubi B.* aliàs esset simul in duobus locis, vid. in *A.* & in *B.* Non postquam existit in loco *B.* quia postquam existit in *B.* erit in alio loco, v. g. in *C.* ergo ibi non poterit producere & habere *ubi B.* aliàs iterum esset in duobus locis, vid. in *B.* & in *C.* Non etiam dum existit in *B.* quia vel ibi producit suum *ubi* ut illic existens, vel non illic existens? non ut illic existens, quia aliàs jam hic esset antequam hîc esset, hoc est, antequam produceret illud *ubi* per quod formaliter hîc est. Non etiam ut non illic existens, quia quod hîc non est, non potest hîc operari.

Ad Argumentum igitur in forma *respondeo*, existentiam recipi in materia ut existente, non quidem aliâ, sed eâ ipsâ existentiâ, quæ recipitur; quid enim implicantiæ est, ut sicut sol eodem tempore & est & lucet, & lucem suam producit, recipitque, sic materia eodem tempore sit, existat, & existentiam suam recipiat? in omni enim instanti reali, quo recipit existentiam, etiam existit.

Dices: Materia in aliquo saltem signo naturæ prius est, quàm recipiat (omnis enim causa est prior suo effectu) in illo ergo priori naturæ antequam recipiat existentiam, non est, ergo non potest recipere existentiam.

Resp. Prioritatem causalitatis non esse prioritatem aliquam temporis, aut durationis realis, ut patet experientiâ: nec etiam prioritatem durationis alicujus imaginariæ & intentionalis per nostrum intellectum (nec enim modus noster concipiendi potest causis ordinem imponere & vires causandi dare, aut minuere) sed tantùm dependentiæ, quatenus unum ab alio pendet & accipit esse. Existentia ergo requiritur non ante instans reale causalitatis, sed tantùm in illo ipso instanti reali: ante hoc sicut non est causalitas, ita nec requiritur, ut causa realiter existat. Sicut ergo sol non existit antequam luceat, sed eodem instanti reali & est & lucem producit, & hæc ipsa productio est prioritas naturæ & causalitatis ac dependentiæ, & alia omnis prioritas est impertinens ad causalitatem realem, quia non est prioritas realis; sic materia (idem dicas de omni essentia creata) non priùs existit, quàm recipiat existentiam; & ipsa receptio est causalitas & prioritas materiæ, & omnis alia prioritas, quam fingis ante receptionem

nem

nem existentiæ, est impertinens & inutilis ad causalitatem materialem, h. e. receptionem.

Aliter etiam responderi potest, materiam in illo priori naturæ, quo non quidem præcedit, sed concipitur præcedere suam existentiam, concipi ut puram potentiam, hoc enim sufficit, ut recipiat existentiam, cùm recipere pertineat ad potentiam, non ad actum; & quamvis in illo priori concipiatur sine existentia, non tamen concipitur ut nihil, sed concipitur ut ens potentiale, nam ens dividitur in potentiam & actum, & ideo essentiæ & definitiones rerum abstrahunt ab existentia; nihil ergo est novi, concipi essentiam non conceptâ existentiâ: illa verò prioritas essentiæ ante suam existentiam est tantùm *prioritas conceptibilitatis.*

Nota verò, modum hunc realem existentiæ, per quem essentia ponitur extra causas, non dimanare ab essentia, sed ab agente ei communicari, nulla enim res seipsam producit, sed ab alio producitur. Vide S. Thomam latè Tract. de form. *q. 3. a. 4.* & *1. p. q. 50. a. 5.*

XIII. *Quæritur 12.* Utrum Materia habeat propriam existentiam?

Resp. Materia non existit per propriam existentiam, sed tantùm per existentiam formæ, & ideo ne quidem divinitus potest à forma separari. Hanc Conclusionem *duo* mihi persuadent. *Primò* auctoritas expressa & indubitata S. Thomæ, ut postea ostendetur. *Secundò* quòd nulla ratio ne levis quidem in contrarium à Scoto alijsque opponatur, ob quam operæpretium sit ab aperta S. Thomæ sententia recedere; enimverò imprudens sit omnino, qui, si viam ignoret, non saltem itineris ducem & facem sequatur, præsertim verò ducem, quo nullus aut melior, aut fidior. Veritatem quidem, ac rationem semper & Aristoteli & Divo Thomæ præferendam duco, sed si mihi nec veritatem, nec rationem ostendas, quo præmio transfugiam? Nemo, puto, tam sibi placebit, tantumque sui pretium faciet, qui velit in ancipiti, incertoque ambulantibus se potiùs pro duce, quàm Angelum habere. Multas rationes huic Conclusioni firmandæ Thomistæ in medium afferunt, sed ut mihi quidem videtur, nulla earum convincit, cùm evidentem solutionem habeat ex ijs, quæ docet S. Thomas.

Thomas. *Dicunt* materiam esse puram potentiam, nullum ergo essentialiter actum includit; sed existentia est actus: Si materia haberet propriam existentiam, ergo esset in actu, ergo cum forma non faceret unum per se, ex duobus enim entibus in actu non potest fieri unum per se. *Quid differt* materia à forma, si propriam habet existentiam? æquè enim erit actus primus substantialis ac forma, imò erit prior actus, & ita forma substantialis erit tantùm actus accidentalis, quia advenit materiæ jam in actu. *Non possunt* in eodem composito plures existentiæ admitti; existentia enim est actus ultimus, non possunt autem esse duo ultima. *Forma* est actus primus, cùm sit pars actualis essentiæ; & existentia est actus secundus, cùm adveniat essentiæ, ergo prius est formam substantialem in materia quàm existentiam recipi. *Omnis* actus vel est forma, vel est à forma, quæ in genere actûs est prima: Sed existentia materiæ est ejus actus, ergo est à forma.

Sed ad istas rationes facilis est ex Divo Thoma *responsio. Materia* est pura potentia physica, quia non est forma, non tamen est pura potentia entitativa, quia independenter à forma est actu aliquid, & sic habet propriam existentiam, per quam est actu aliquid: & cùm materia habeat propriam ideam & exemplar in Deo (S. Th. *q. 3. de verit. a. 5.*) qui est actus purus, oportet materiam aliquid de actu habere, aliàs nullo modo esset imitatio actûs puri, & consequenter nec ideata: sicut non repugnat materiæ, ut independenter à forma sit actu aliquid, ita nec etiam repugnat, ut sit actu existens. *Neque* hoc impedit, ut materia non faciat cum forma unum *per se*, est enim ens in actu incompletum; ex duobus verò incompletis fieri potest unum *per se*: Si verò ex duobus entibus incompletis fieri potest unum *per se*, cur non ex duobus existentibus incompletis? Sicut enim existentia non facit de ente incompleto ens completum, ita nec impedit unitatem *per se*. *Et quamvis* materia propriam habeat existentiam, non ideo tamen est idem cum forma substantiali, existentia enim non mutat essentias rerum; sicut ergo ante existentiam alia est essentia materiæ, alia formæ, ita post existentiam; materia ergo quamvis propriam habeat existentiam, quia tamen non actuat, sed reci-

pit; quia non eſt radix diſtinctionis ſpecificæ nec proprietatum, ideo nec eſt forma ſubſtantialis. *Eſt verò* exiſtentia materiæ ultimus actus materiæ, quia ponit materiam extra cauſas, non tamen excludit exiſtentiam formæ; ſicut enim ex duobus actibus incompletis poteſt fieri unum ens completum & *per ſe*, ita ex duabus exiſtentijs incompletis unum exiſtens completum; cur enim repugnet ex duabus potiùs exiſtentijs unum fieri *per ſe*, quàm ex duabus eſſentijs? cùm tamen pluralitas modorum & accidentium minùs unitati, quàm pluralitas eſſentiarum præjudicet. *Nec oportet* priùs materiam informari, quàm exiſtat, quia cùm materia recipiat formam, connaturalius eſt, ut priùs materia exiſtat, quàm informetur: & quia forma non dat materiæ eſſe *ſimpliciter*, ſed eſſe in tali ſpecie, ideo forma eſt primus actus ſpecificativus, non tamen eſt primus actus entitativus, priùs enim materia eſt, quàm ſit in tali ſpecie; ſicut cera priùs eſt cera, quàm ſit figurata. Ex his ergo patet, nullam ex rationibus, quas Thomiſtæ adducunt, convincere. Multò minùs convincunt rationes, quæ ſententiæ S. Thomæ opponi ſolent, ut ex ſolutione patebit; in pari igitur cauſa auctoritas Sancti Doctoris meritò prævalere debet; ſic ergo loquitur *1. p. q. 66. a. 1. in tertio argum: Deus poteſt facere, quòd accidens ſit ſine ſubjecto, ut patet in Sacramento altaris, ergo potuit facere, quòd materia eſſet ſine forma.* Vides in hoc argumento agi omnino de potentia Dei abſoluta. Audi quid reſpondeat: *Dicendum eſt quòd accidens, cùm ſit forma, eſt actus quidam; materia autem ſecundùm id quod eſt, eſt in potentia, unde magis repugnat eſſe in actu materia ſine forma, quàm accidenti ſine ſubjecto.* & *q. 4. de creat. materiæ inform. ad 3. argum. Sed contra: hoc tamen quod dicitur* (quòd videl. Deus poſſit facere materiam ſine forma exiſtentem) *implicat contradictionem, ut ſcil. aliquid fiat, quod ſit in potentia tantùm, quia quod factum eſt, oportet eſſe cùm eſt.* & *Quodlib. 3. a. 1. Quòd aliquid ſimul ſit & non ſit, implicat contradictionem, & à Deo fieri non poteſt: hujusmodi autem eſt materiam eſſe ſine forma.* & *q. 4. de pot. a. 1. Quidquid in rerum natura exiſtit, actu exiſtit, quod quidem non habet materia, niſi per formam.* & *opuſc. 25. c. 3. Materia ſecundùm ſe caret formâ, per quam participat eſſe in actu.* Mirari ſatis non poſſum P. Coſmam Allamanium in ſua ſumma Philoſophica D. Thomæ, cui hanc inſcriptionem præfixit: *In hoc opere unus Divus Thomas loqui-*

loquitur. Et qui in epistola dedicatoria profitetur, *se à Divi Thomæ sententia ne latum quidem unguem discedere, nec tantùm ex illius sensu, sed etiam verbis suam Philosophiam contexere:* Nihilominus tamen contra mentem expressam & verba clarissima D. Thomæ docere, materiam habere propriam existentiam, & posse divinitus à forma separari.

Objicitur 1. Compositum naturale constat ex duabus essentijs partialibus, ergo etiam ex duabus existentijs partialibus, eadem enim est ratio.

Resp. Compositum constat ex duabus essentijs, quarum una habet rationem puræ potentiæ, & consequenter cui repugnat existere existentiâ propriâ, hæc enim est actus.

Objicitur 2. Sicut quælibet figura suo corpori proportionatur, & ideo non est eadem omnibus figura, ita existentia proportionatur essentiæ: sed existentia formæ non proportionatur materiæ, hæc enim est ens materiale, ingenerabile, incorruptibile, cùm tamen existentia formæ sit generabilis, corruptibilis, & sæpe spiritualis, ut in homine.

Resp. Etiam formam substantialem proportionari materiæ tamquam actum potentiæ, si ergo potest actus corruptibilis, generabilis, ac spiritualis proportionari potentiæ incorruptibili, ingenerabili, spirituali, cur non existentia? cùm ergo existentia sit actus, & formam consequatur, magis naturam formæ, quàm materiæ imitatur.

Objicitur 3. Si materia per formam existit, ergo corruptâ, aut generatâ formâ corrumpitur, aut generatur existentia materiæ, ergo materia generatur & corrumpitur.

Resp. Materiam non generari, quia nunquam de novo producitur, cùm semper sub aliqua forma & existentia ante generationem novæ formæ præjacuerit. Nec etiam corrumpitur, quia semper loco unius existentiæ aliam accipit; corrumpi enim non est mutari, sed omnino non esse.

Objicitur 4. Solus Deus materiam creavit, ergo solus conservat (conservatio enim est continuatio productionis) sed si materia existeret per formam, utique conservaretur à forma, nihil enim magis conservat, quàm quod facit existere.

Resp. In materia duo sunt, essentia, & existentia: essentia materiæ à solo Deo creata est, nec ab ullo agente creato dependere potest: existentia verò potest esse effectus agentis creati: quamvis ergo materia habeat suam existentiam à forma, non tamen suam essentiam: sicut anima rationalis quòd sit, à solo Deo habet, non autem quòd informet; hoc enim à calore, alijsque causis naturalibus pendet.

Objicitur 5. Materia est causa receptiva formæ, ergo priùs naturâ existit, quàm forma, ergo non habet existentiam à forma.

Resp. Materia in omni generatione semper priùs formâ existit, nec *naturâ* tantùm, sed etiam tempore; priùs enim quàm recipiat formam ignis v. g. jam existebat sub forma ligni. Quodsi venias ad primas cœlorum & elementorum formas, illæ in sententia D. Thomæ non sunt generatæ & eductæ, sed creatæ *1. p. q. 65. a. 4.* In hoc autem casu non oportuit materiam priùs existere naturâ, quàm reciperet formam ignis, quia materia causat ut pura potentia, non ergo præsupponi debet in actu: secùs est in causa efficiente, hæc enim causat ut in actu (v. g. sol non calefacit nisi actu virtutem calefaciendi habeat) ergo præsupponi debet in actu, ergo existens, quia existentia est primus actus, nihil enim agit, nisi existat. Aliter etiam responderi potest, vid. prioritatem *naturæ* esse tantùm prioritatem *conceptibilitatis*, quæ non requirit existentiam, potest enim essentia concipi non conceptâ existentiâ, ut patet in definitionibus, & scientijs, quæ sunt de universalibus, & abstrahentibus ab existentia, existere enim est esse extra causas; potest verò concipi leo & ejus rugibilitas non conceptis causis, & consequenter nec conceptâ positione extra causas. Vide Suar. *d. 31. Metaph. Sect. 6. n. 16.*

Objicitur 6. Materia est substantia, ergo est ens magis per se existens, quàm accidentia: sed accidentia possunt divinitus existere sine subjecto, ergo multò magis materia sine forma.

Resp. Materiam per se existere, quia in nullo subjecto inhæsionis est, imò ipsa est primum subjectum omnium *tùm* accidentium, *tùm* substantiarum; quia tamen est pura potentia, ideo sine actu non potest existere, talis autem actus est forma: accidentia verò sunt actus independenter à subjecto, & ideo separari

à sub-

à subjecto possunt. Nec potest Deus quæ implicant; sed ex sententia S. Thomæ implicat puram potentiam sine omni actu existere, priùs ergo probare debent Adversarij, materiam non esse puram potentiam etiam entitativam (quod hactenus non fecerunt, ut patet ex solutione objectionum) quàm divinitus posse ab omni forma separari.

XIV. *Quæritur 13.* Quæ sit causalitas Materiæ?

Resp. Ex hactenus dictis jam patet, per quid causet materia, & quæ sit ejus causalitas; per seipsam enim & per suam entitatem principaliter, & proximè causat, tota enim & proxima ratio causandi est potentia receptiva, & hæc non distinguitur à materia; sicut enim forma per essentiam suam est actus materiæ, ita materia per suam essentiam est potentia respectu formæ. *Conditio* verò ad causandum necessaria est intima propinquitas seu indistantia à forma; sicut applicatio agentis ad passum est conditio ad operandum necessaria; quantitas verò aliæque qualitates sunt conditiones necessariæ, ut materia hanc potiùs, quàm aliam formam recipiat. *Causalitas* materiæ *in fieri* est ipsa generatio formæ, ut est eductio ex materia, hoc est, quatenus necessariò à materia pendet, & per seipsam materiæ conjungitur: sicut enim emanatio ab agente est actio & causalitas agentis, ita passio & eductio seu generatio, ut essentialiter pendet à materia, est causalitas materiæ. *Causalitas* verò materiæ *in facto esse* est ipsa unio formæ cum materia, quatenus vid. ipsa unio necessariò in materia recipitur, & mediante unione etiam ipsa forma materialis essentialiter à materia pendet. Vide Suar. *d. 13. Metaph. Sect. 8.*

Et hactenus de materia prima, cujus cognitio planè est difficillima, adeò ut S. Augustinus dicat *l. 12. Confess. c. 5.* eam ignorando cognosci, & cognoscendo ignorari: sicut tenebras & umbras videmus, cùm nihil videmus; cujus ratio est, *tum* quia cognitio ignoti est ex notis & similibus; nulla verò res nobis nota est, quæ sit pura potentia & similis materiæ: *tum* quia sicut lux est ratio videndi, & ideo quæ minus habent lucis, minùs videri possunt, ut patet in corpusculis; sic veritas est ratio cognoscendi; veritas autem est proprietas entis, cùm ergo materia minimum habeat entitatis, & sit propè nihil, ideo etiam minimum habet veritatis, & cognoscibilitatis.

§. III.

De Forma Subſtantiali.

SUMMARIA.

1. *Formæ definitio expenditur.*
2. *Dari formas ſubſtantiales contra quosdam antiquos oſtenditur.*
3. *Ex quibus nec forma hominis,*
4. *Nec formæ cœlorum ex potentia materiæ educuntur.*
5. *Accidentia ſupernaturalia è potentia obedientiali ſubjecti educuntur:*
6. *Juxta quam materia plurium formarum ſubſtantialium capax eſt.*

CUm materia prima ſit ſubſtantia incompleta, potentialis, confuſa(nihil enim per materiam ab alio diſtinguitur)& otioſa, quippe quæ non eſt principium agendi, ſed tantum recipiendi, oportuit præter materiam aliam ſubſtantiam incompletam exiſtere, per quam res naturales ſubſtantialiter complerentur, diſtinguerentur, formarentur, & tot proprietatibus ac facultatibus activis, quæ rerum corruptioni, generationi, ac variationi inſerviunt, inſtruerentur; hanc verò ſubſtantiam vocamus formam ſubſtantialem: hoc ergo in compoſito naturali eſt forma ſubſtantialis, quod Navarchus in navi & Auriga in curru, cum eo tamen diſcrimine, quòd iſti ſint principia extrinſeca,& tantùm localiter moveant, forma verò eſt principium intrinſecum & intimum materiæ, ſicut ignis ferro candenti, & eſt cauſa non unius tantùm, ſed omnium motuum & actionum, quæ naturales, & ab intrinſeco ſunt.

I. *Qua-*

I. *Quaritur* 1. Quid sit forma substantialis?

Resp. Bene definitur Forma Substantialis: *Actus primus substantialis unum per se cum materia constituens, & non per accidens.* Dicitur *Actus*, quia actuat, h. e. reducit potentiam in actum: sicut enim tabula rasa potest equum, aut hominem repræsentare, actu verò repræsentat, cùm imaginem hominis, aut equi recipit, sic materia prima cùm potentiâ sit omnia, reducitur ad hanc vel illam speciem actu per formam, hæc enim dat esse equi, hominis &c. Dicitur etiam *actus*, quia est principium & radix omnium actionum naturalium: quia tamen forma substantialis non est *actus purus*, ideo non est omnis potentialitatis expers, potest enim perfici, & alias perfectiones accidentales recipere. Dicitur *primus*, quia ante formam substantialem materia non completur, nec unum substantiale componit: & forma cùm pertineat ad essentiam, prior est existentiâ & subsistentiâ, quæ adveniunt essentiæ. Dicitur *unum per se cum materia constituens*, ad differentiam formæ accidentalis, quæ facit cum subjecto unum per accidens.

Nota, multos esse unitatis gradus. *Prima* est unitas *aggregationis*, ut in acervo lapidum. *Secunda ordinis*, ut in exercitu, & hæc est major, quia addit ordinem: ordinata verò majorem habent unionem, quàm confusa. *Tertia per accidens*, ut in homine albo, in cera figurata &c. & hæc adhuc est major, quia dicit inhæsionem, & mutuam partium commixtionem. *Quarta per se*, quando plura ut partes uniuntur, sed hæc potest esse accidentalis, si partes non sint substantia: sic ex duobus semipalmis fit unus palmus. *Quinta* est unitas *per se substantialis*, & hæc reperitur in compositis ex materia & forma; quia verò forma est actus primus, & primò etiam à generante intenditur, S.Th. *1.p.q.44.a 4.* ideo ex illa magis fit unum, quàm ex forma accidentali, quæ est actus secundus, & consequenter tertia entitas in composito; *deinde* formæ accidentales multiplicantur & variantur essentiâ invariatâ & immultiplicatâ (idem enim est homo calidus, & frigidus, albus, & niger) nihil ergo conferunt ad primam & essentialem unitatem compositi. *Nec obstat* huic unitati, materiam & formam esse entia diversissimæ naturæ; sicut enim ex diversissimis sonis fit una harmonia, ex diversissimis & contrarijs coloribus una imago,

quia vid. conveniunt in unam proportionem; ita ex diversissimis partibus unum compositum, quia dicunt naturalem proportionem actûs & potentiæ, perfectibilis & perfectivi &c. Sicut enim tabula rasa quantò minus habet colorum, tantò aptior est coloribus recipiendis; & vas tantò plus capit, quantò inanius; sic materia tantò plus proportionis & inclinationis dicit ad actum, quantò minus de actu habet, & quantò plùs ab eo perficitur.

II. *Quæritur 2.* An dentur formæ substantiales?

Resp. Affirmativè. Negabant plerique ex antiquis Philosophis generari posse, & consequenter nec existere formas substantiales, & ignem v. g. nihil aliud esse, quàm atomos & subtilissima ac simplicia ignis corpuscula, varijs motibus ac figuris ornata, quæ si in unam massam conflentur, ignem efficiunt; si dissipentur, ignis extinguitur. Hanc sententiam aliqui ex Recentioribus secuti sunt, ut suprà notatum. Sed nostræ Conclusionis, quæ communis est omnium ferè Philosophorum & Theologorum;

Ratio est 1. Datur materia, ut suprà probatum est, ergo & forma; materia enim est naturaliter incompleta, datur ergo aliquid per quod compleatur: materia est subjectum & potentia substantialis, ergo datur aliquis actus substantialis, quod nos formam vocamus; naturaliter enim omnis pars habet aliam compartem à qua compleatur: & potentia ac subjectum aliquem actum, quem recipiat.

2. Datur in homine præter corpus etiam anima rationalis, quæ est vera forma corporis, ut est definitum in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 8.* & *Clement. un. de Summ. Trinit.* ergo etiam in alijs rebus. *Antecedens* probatur, *tum* quia est dogma fidei, *tum* quia anima rationalis est immortalis, & per se subsistens, ut alibi probabitur, ergo est naturaliter independens à subjecto, ergo non est accidens, ergo est substantia: est etiam forma corporis, cùm enim insit corpori, aut inest ut accidens, aut ut substantia assistens, ut navarchus navi; aut *denique* ut forma? non ut accidens, ut jam probatum est: non ut forma assistens, aliàs non vivificaret corpus, cùm adest, nec ex ejus discessu mors & corruptio sequerentur; nec esset corpori bene disposito alligata; nec

nec homo esset, qui viveret, sentiret, doleret, sed alia substantia humano corpori assistens; sicut quia navarchus assistit tantùm navi, non illam informat, ideo nec vitam navi largitur, cùm adest, nec sensum: nec corruptionem affert si discedat; nec alligatur navi &c. Anima ergo rationalis unitur corpori ut forma, hoc est, ut principium vivendi, sentiendi, & sine quo materia manet in statu incompleto & imperfecto; nec enim nomine formæ substantialis aliud intelligimus, quàm tale principium, quodsi tu aliud intelligas, quæstio erit nominis, non rei. Ex forma verò hominis consequentia benè ad alias formas deducitur; si enim substantia hominis, quæ est nobilissima, est composita, non simplex, quantò minùs aliæ substantiæ ignobiliores erunt substantiæ simplices? Si materia & corpus hominum est substantia incompleta substantialiter, & ideo naturaliter compleri debet per formam, quantò magis materiæ & corpora rerum aliarum? Si corpus humanum adeò exquisitè, & tot organis instructum, & cui elaborando natura tantum temporis in materno utero impendit, nullis tamen actionibus, motibus, sensationibus, alijsque vitæ operibus sine forma substantiali par est, quantò minùs alia corpora, aliæque materiæ longè imperfectiores? & si in homine totus ille apparatus, & collectio accidentium & qualitatum multò perfectiorum quàm in rebus alijs non sufficit ad constituendam rem naturalem sine aliqua forma, quæ illis omnibus præsit, in qua uniantur, & à qua velut rami à radice diffundantur; quantò minùs sufficiet collectio accidentium minùs perfecta in alijs rebus naturalibus? Planè eodem modo videt, audit, nutritur, movetur homo, quo cætera animantia; eodem modo migrante animâ omnis motus finitur & corpus corrumpitur, si ergo hæc sunt in homine signa certissima formæ substantialis, cur non in alijs rebus? & sicut hominis corruptio non est aliqua accidentium dissolutio nisi *dispositivè*, sed formæ à materia separatio; ita de rebus alijs sentiendum erit, quæ eodem modo ac homines corrumpuntur.

3. Id per quod leo est actu leo, vivens, sentiens, rugiens &c. quid est? sola materia? atqui admissâ materiâ admittenda est forma: Nec materia est id, quod dat speciem unumque ab alio

distinguit. Sola forma? ergo jam admittis formam. Substantia aliqua simplex, & incomposita, qualis in Angelis? ergo jam admittis formas per se subsistentes, quamvis non informantes, quales Angeli sunt: sequitur etiam res ex nihilo fieri & in nihilum resolvi; quando enim ignis ex ligno generatur, si totum lignum perit, nec materia ligni transit ad formam ignis, ergo tota perit, ergo in nihilum resolvitur; & ignis fit ex nihilo, hoc est, ex nullo subjecto; *nec refert* lignum præcessisse; quod si totum perit, nihil confert ad generationem ignis, sicut si eo momento, quo forma statuæ marmori inducitur, marmor destrueretur, nihil conferret ad formam statuæ. *Aut denique* id per quod leo est actu leo sunt corpuscula & atomi carnis, sanguinis, ossium, colorum &c. sub certa figura & dispositione? atqui hoc tam absurdum est, quàm si dicas ferrum, quod actu non vivit, posse in talem figuram componi, per quam actu vivat, moveatur, currat, mordeat hinniatque; & sicut videnti domum, quæ nihil aliud est quàm multitudo lapidum certo modo disposita & ordinata, evidens est, eos lapides non ad eum tantùm finem dispositos esse, ut sint dispositi, sed ut aliquis in ea habitet, eaque utatur; ita videnti in leone partes ita dispositas, ut aliæ sint aures, aliæ oculi, aliæ ungues, certum nobis esse debet, ita dispositas esse, ut anima illic habitet, ijsque partibus ac dispositione utatur.

4. Hic modus philosophandi, & omnia corpusculis sic & sic ordinatis aut accidentibus attribuendi, cùm mirabiles vitæ ac totius mundi effectus in causas adeò improportionatas refundat, & omnino sensui adhæreat, nihil præter accidentia & corpuscula videnti, valde inclinat ad negandam Dei providentiam, mundiq; gubernationem, & omnia casui tribuenda, corpora sic & sic conjungenti: & ideo Democritus, Epicurus, Lucretius, alijque, qui ex concursu atomorum omnia fieri dicebant, conformiter ad sua principia negabant Dei providentiam, solo casu contenti.

5. Leo generat leonem, pyrus pyrum, nux nucem: planta quoque terræ inhærens succum attrahit, per quem nutritur, eumque in totam arborem dispensat, adeò ut ex alia succi parte crassiore corticem, ex alia folium, ex alia flores, fructusque producat: Atqui corpuscula & atomi sic & sic conjuncti non habent hanc

hanc vim generatricem & altricem; nec enim domus generat domum sibi similem, nec attrahit lapides & cæmentum, quibus conservetur & augeatur. Sicut ergo varij, & contrarij soni non possunt fieri nisi ab uno artifice & Musico illos ex pulsu variarum fidium in unam harmoniam concinnante, ita nec variæ & contrariæ qualitates ac motus, qui in rebus naturalibus fiunt, conservari ac provenire possunt, nisi ab influxu unius formæ, cui serviunt & à qua proveniunt; & ideo videmus abscessu formæ velut sublato artifice omnem motum abrumpi, & partium harmoniam ac societatem turbari: Sicut ergo omnium rotarum, quæ in horologio sunt varij ac contrarij motus ab uno pondere sunt, quo sublato omnes illi finiuntur, sic omnes motus ac functiones accidentium & corporum ab una forma, quæ est primum pondus naturæ.

6. Cùm aqua ab extrinseco calefit, & remoto calefaciente paulatim ad pristinum frigus se reducit, frigus hoc à nullo alio, quàm à forma naturali intrinseca potest produci; à quo enim aliàs? non à materia prima sola; quia ubi materia prima, ibi naturaliter est forma substantialis: non ab aëre circumstante; *tum* quia hic non est frigidus in octavo gradu, ergo non potest aquam ut octo frigefacere; *tum* quia non tantùm aquam, sed quævis obvia frigefaceret, sicut ignis quælibet obvia, manum, lignum aquam & calefacit. Non à causis cœlestib⁹ & universalibus; quia hæ non sunt determinatæ ad certum specie effectum, nisi conjungantur cum causa specifica; quærimus ergo, quænam sit causa specifica frigoris toties & necessariò in aqua renascentis? Non ab aliquibus particulis frigidis in aqua latentibus; quis enim totâ aquâ bulliente aliquas partes aquæ credat frigere? & quid causæ sit ut totâ aquâ igni sufficienter applicatâ aliquæ partes aquæ igni resistant? & cur potiùs istæ, quàm aliæ? & quid est, ut nullo sensu ac experientiâ notentur? *Deinde* istud frigus, quod tu fingis in aqua bulliente adhuc durare, vel est intensum ut octo, vel remissum? non intensum, propter rationes datas, & quia impossibile esset non sentiri. Non etiam remissum, quia frigus remissum non posset intensissimo calori resistere, ac etiam in pari gradu calor est magis activus & fortior, & à frigore remisso

non poteſt oriri frigus intenſiſſimum, aliàs etiam aër poſſet ſeipſum ſine alio agente extrinſeco ſummè calidum efficere, & ſic res omnes. Aut *denique* illa frigoris emanatio provenit à ſolis corpuſculis aquæ ita & non aliter diſpoſitis? ſed quid intelligis per corpuſcula aquæ? aquæ guttulas? id verum eſt, ſed quærimus à quo principio illis guttulis frigus innaſcatur, ſi non à forma aquæ? à ſola materia? at hæc non datur: à materia cum forma aquæ? habemus intentum: à quadam ſubſtantia ſimplici & incompoſita, quæ vocetur aqua, aut corpuſculum aquæ? at hoc non tam eſt formam ſubſtantialem negare, quàm admittere formas ſubſtantiales non quidem informantes, ſed ſubſiſtentes, quales Angeli ſunt. *Deinde* ſequeretur omnia ex nihilo generari, & in nililum reſolvi, ut ſuprà monui, & eſt per ſe abſurdum hominem eſſe ens compoſitum, & res alias longè imperfectiores eſſe res ſimplices, & poſſe ſine forma diſtincta operationes vitales producere, quas homo non poteſt.

7. Si non dantur formæ ſubſtantiales incompletæ, vel ideo eſt quòd repugnent, vel quòd non ſint neceſſariæ, ſed inutiles? Non *primum*, ut patet in anima rationali: & ſi non repugnat ſubſtantiæ eſſe meram potentiam, cur repugnaret eſſe actum incompletum? ſi enim forma eſt imperfectio, minùs repugnabit quàm materia, quæ eſt major imperfectio: ſi eſt perfectio, minùs repugnabit, quàm ſubſtantia Angelica, quæ eſt major perfectio. *Non etiam* eſt inutilis, quia complet ordinem & ſyſtema ſubſtantiarum, ut vid. alia ſit ſubſtantia completa & actus purus, alia non quidem actus purus, ſed tamen completa & ſubſiſtens, ut Angeli; alia nec actus purus, nec completa, ſed tamen ſubſiſtens, ut anima rationalis: alia nec actus purus, nec completa, nec ſubſiſtens, ſed tamen actus, ut formæ materiales: alia *denique* nec completa, nec ſubſiſtens, nec actus, ſed tantùm pura potentia, ut materia prima. Et *denique* ſi materia omnium perfectiſſima, qualis eſt in homine, non ſufficit ullis operationibus vitæ edendis ſine forma ſubſtantiali, imò nec poteſt in eſſe conſervari, quantò minùs materiæ & ſubſtantiæ minùs perfectæ? Forma ergo eſt neceſſaria.

8. *Pleriq;* qui negant formas ſubſtantiales, negant etiam compoſita

posita naturalia constare ex materia prima, & forma accidentali; sed hoc est absurdum; *tum* quia materia est potentia substantialis, non ergo completur per actum accidentalem; *tum* quia si materia est substantia, quantò magis forma? *tum* quia lapis & equus tantùm accidentaliter differrent, posset ergo lapis fieri equus, sicut album potest fieri nigrum, & frigidum fieri calidum; *tum* quia non est ratio cur ista accidentia huic potiùs substantiæ quàm illi conveniant. Cur ignis calefacit, aqua frigefacit, leo rugit, equus hinnit, idque semper & immutabiliter, nisi major vis ab extrinseco obsit, cur hoc inquam? non fortuitò; quia quæ casu fiunt, rarò fiunt: non ex debito & exigentia materiæ; quia hæc est ad omnes formas accidentales indifferens, nec magis hæc quàm alia accidentia exposcit; sicut tabula rasa non magis has quàm illas imagines: & quòd securis scindat, malleus non, non materiæ adscribitur, quæ est ad utrumque illum effectum indifferens, sed formæ artificiali: & cùm eadem sit materia in aqua & igne (transmutantur enim) quid rogo est, ut in aqua semper frigori conjungatur, in igne semper calori, si præter materiam non est in igne aliud principium, hoc est, forma cui semper & naturaliter calor non frigus debeatur? Vide S. Thom. *1. p. q. 65. a. 4.* & *q. 105. a. 1.* & *de pot. q. 6. a. 3.* & *3. contra Gent. c. 69.* & *103.*

Objicitur 1. Si dantur formæ aliquæ quæ ex materia generentur & corrumpantur, sequitur aliquid naturaliter fieri ex nihilo; forma enim ignis quæ modò ex ligno generatur, antè nihil erat; ergo cùm iterum producitur, fit ex nihilo: *nec* sufficit *si dicas*, fieri ex nihilo sui, sed non ex nihilo subjecti; æquè enim difficile est fieri aliquid ex nihilo sui, atque ex nihilo subjecti; sicut enim quòd aliquid effectivè contineatur in potentia agentis, non impedit, quin absolutè ex nihilo fiat, ut patet in creatione; ita nec etiam quòd contineatur in potentia materiæ.

Resp. Formæ, quæ ex materia generantur, producuntur quidem ex nihilo sui, sed non absolutè ex nihilo, quia particula *Ex* denotat causam materialem, ex cujus potentia variè disposita educuntur, sicut nec figulus fingit urceum & amphoram ex nihilo, quia ex argilla: nec sculptor statuam ex nihilo; quia illam ex ligno aut metallo fundit; multò autem difficilius esse rem ex

nihilo sui & nihilo subjecti, quàm tantùm ex nihilo sui facere, patet exemplis & experientiâ omnium artium. Vide S. Thomam *1. p. q. 45. a. 8.* & *q. 3. de pot. a. 8.*

Quando ergo dicimus, formas naturales contineri in materia, non est sensus esse in materia sicut liquores in vase, aut farina in sacco, sed tantùm esse in potentia materiæ; sicut figuræ sunt in potentia ceræ, imagines in tabula rasa, nam & illa formari potest in omnes figuras, & ista in omnes imagines. Ut autem aliquid dicatur contineri in potentia materiæ, & consequenter ex illa educi, hæ conditiones requiruntur. 1. Ut forma pendeat in fieri, esse, & operari à materia ex qua educitur, & ideo anima rationalis non educitur. 2. Quòd talis materia sit proportionata & connaturalis tali formæ, & è contrà; si enim non est proportionata, non continetur in ejus potentia, & ideo formæ corruptæ eædem numero, v. g. forma Bucephali, quamvis contineatur in potentia transcendentali & remota materiæ (potentia enim remota identificatur cum materia, quæ semper est eadem, nec mutatur ex corruptione formarum) non tamen in potentia proxima & eductiva, quæ à varijs conditionibus, circumstantijs, & potentia agentis pendet: nullum autem agens naturale potest easdem numero formas reproducere, de quo alibi. Vide interim Suar. *Metaph. d. 5. sect. 9. n. 10.* Compton. *Phys. d. 8. sect. 2. & 3.* Si tamen eadem numero forma Bucephali v. g. supernaturaliter reproducatur, poterit naturaliter in materia recipi, ab eaque appeti, quia, ut dixi, hujus potentia & appetitus semper est idem; & multa quæ fiunt supernaturaliter, naturaliter tamen operantur; ignis enim ante annum extinctus si supernaturaliter reproducatur, naturaliter calefaciet, comburet, illuminabit &c. & Lazarus supernaturaliter resuscitatus naturaliter loquebatur, movebatur, videbat &c. 3. Ut forma non ab extrinseco materiæ adveniat, sed illi velut innascatur, hoc est, ut eductio sit simul transmutativa materiæ, & consequenter unitiva formæ; cùm enim forma, quæ educitur, sit naturaliter in fieri, esse, & operari dependens à materia, non potest ex hac educi, quin simul in illa recipiatur, eique uniatur; & ideo anima rationalis non educitur ex materia, sed creatur, quia aliâ actione producitur, vid. creatione; aliâ unitur corpori, vid. generatione.

Obji-

Objicitur 2. Forma materialis dependet in esse, fieri, & operari à subjecto & materia, ergo non est substantialis, sed tantùm accidentalis; quid enim est aliud inhærere, quàm sic à subjecto dependere?

Resp. Formam substantialem multò aliter in materia esse, quàm formam accidentalem in subjecto; *tum* quia ita inest materiæ, ut huic det esse & existere; sic ergo dependet à materia, ut materia magis dependeat à forma: subjectum verò non dependet in esse ab accidentibus, saltem non ab omnibus, & ut accidentia sunt; hoc enim potest adesse & abesse sine corruptione subjecti. *Tum* quia forma constituit cum materia substantiam aliquam completam & perfectam, unamque essentiam; non sic accidens cum subjecto.

Objicitur 3. Non potest forma substantialis esse pars compositi, & essentiæ, sed videtur esse tota quidditas compositi; materia enim tota mutatur tandem & corrumpitur actione caloris naturalis, & alia succedit per nutritionem, ut oleum in lampade ardente: & de fide est, eumdem hominem resurrecturum; non autem resurget cum eadem numero materia, hæc enim sæpè est plurium hominum, si vid. in cibum assumatur ab alijs hominibus & in eorum carnem transeat; cùm ergo materia consumatur, aut saltem ad alios transeat, immutatâ essentiâ, non pertinebit ad essentiam, sed sola forma; tota ergo quidditas hominis est sola anima rationalis, tota quidditas ignis sola forma ignis &c.

Resp. Formam substantialem non esse totam quidditatem & essentiam; cùm enim sit in materia sicut actus in potentia, necessariò cum illa facit unum compositum physicum; sicut differentia cum genere unum compositum metaphysicum; compositum verò essentialiter ex pluribus constat. Homo etiam est essentialiter generabilis, mortalis (saltem in actu primo) materialis, quæ omnia non ex parte formæ sed materiæ illi competunt, ergo materia est pars essentiæ, hoc est, radix prædicatorum essentialium. *Quamvis* verò materia hominis v. g. à parentibus accepta paulatim resolvatur & in alias formas transeat, ac nova materia per nutritionem accedat, manet tamen idem numero

homo

homo *tùm formaliter* ex parte animæ, *tum* etiam *materialiter*, non quidem ex parte totius materiæ, ſed principalioris, hoc eſt caloris innati & humidi radicalis, ut expreſsè docet S. Thom. *opuſc. 2. c. 161. & 134.* *Nec* ſatis intellexit P. Comptonus *d. 11. Phyſ. 2. Sect. n. 5.* Sciendum igitur eſt calorem eſſe præcipuum animæ inſtrumentum, quod enim eſt in magno Mundo calor ſolis (quo omnia vegetantur, generantur, matureſcunt, & ex cujus defectu tota natura ſterileſcit, & velut emoritur, ut in hyeme videre eſt) hoc eſt in corpore animalis & præſertim hominis, calor naturalis & innatus, quem Græci θερμὸν ἔμφυτον, alij balſamum naturale, Hippocrates cæleſte calidum, imò animam ipſam, Scaliger *quintam eſſentiam* appellant; nec enim videtur elementaris eſſe, ut expreſsè docet Ariſtoteles *2. de generat. animal. c. 3.* Non eſt verò calidum innatum nuda qualitas, ſed ex tribus conſtat, vid. humido primogenio, inſito ſpiritu, & calore; & ideo à Fornelio definitur *humidum primogenium inſito ſpiritu & calore undique perfuſum.* Ideo verò ſpiritus inſitus ad calidum innatum pertinet, quia hic eſt ſubtiliſſimum quoddam & tenuiſſimum corpus, & quia calor naturalis perpetuus eſſe debet, cùm ſit ſtabile & fixum animæ inſtrumentum, & vitæ principium, oportuit illum in humido ſtabili ac permanente conſtitui, ut vita diutius protrahi poſſet, in humido, inquam, non tenui & aqueo (hoc enim propter raritatem & inimicum frigus non eſt aptum calori alimentum) ſed calido & oleoſo, quale ſolet in lampade ardenti flammulæ affundi: hoc verò humidum partium ſimilarium fibris ac ſtaminibus inſertum eſt. *Quamvis* verò calidum innatum omnibus partibus, membriſque inhæreat, præcipuè tamen cordi, quod propterea Galenus foculum calidi innati vocat: eſt verò hoc calidum præcipuum vitæ organum, quo omnes vitæ actiones, generationes, ac nutritiones anima exequitur, & per hoc natura morbos, morborumque cauſas omnes expellit. Primâ ætate plurimus eſt hic calor, poſtea paulatim humidum radicale depaſcitur, exſiccatque, quo tandem abſumpto extinguitur, & hoc eſt mori: etſi enim in locum humidi radicalis per nutritionem aliud ab extrinſeco accedat, hoc tamen deterius eſt, habetque ſe ſicut aqua ad vinum, quæ ſæpiùs infuſa vinum debilitat, & tandem abſumit.

Patet jam ergo, in corpore humano usque ad mortem semper aliquid de materia primogenia & principali durare, ob quam idem numero homo non tantùm *formaliter*, sed etiam *materialiter* dici possit. Si verò corpus humanum alijs in cibum cedat, in resurrectione mortuorum illi caro restituetur, qui primus habuit. Vide S. Thom. *cit.*

III. *Quaeritur 3.* An anima rationalis educatur ex potentia materiae?

Resp. Negativè. Ratio est, quia anima rationalis est independens in esse & operari à materia, cùm sit spiritualis & immortalis, ut suo loco probabitur: & quamvis requirat corpus & materiam dispositam, non ideo est, quòd à materia dependeat, sed quia materiae & corpori disposito dat esse, & quia à materia non *absolutè*, sed *secundùm quid* & quoad aliquas operationes dependet; sicut citharoedus non dependet absolutè à cithara, sed tantùm quoad aliquas operationes, & potiùs cithara, ejusque operatio à citharoedo pendet, & ita videmus corpus animâ migrante corrumpi, ergo potiùs corpus ab anima pendet, quàm haec ab illo; sic etiam cùm homo generatur, non anima producitur, sed tantùm corpus animae unitur, & huic unioni & generationi activae respondet in materia potentia passiva. Vide S. Thom. *2. contra Gent. c. 9.* & Conimbr. *1. Phys. c. 9. q. 12. a. 2.*

IV. *Quaeritur 4.* An formae Coelorum sint eductae ex potentia materiae?

Resp. Non esse eductas, sed creatas, vel potiùs concreatas.

Ratio est 1. Auctoritas Sacrae Scripturae *Gen. 1. In principio creavit Deus coelum, & terram:* Sed verba Scripturae sunt propriè intelligenda, nisi absurdum aliquod sequatur: quod verò absurdum sequitur, si dicamus coelos creatos esse? nec decet, nec oportet Scripturas torqueri, ut tu opinionem aliquam philosophicam, eamque incertam stabilias, cur enim potiùs Scriptura Philosophiae, quàm Philosophia Scripturae serviat? *Nec potest* coelum creatum dici ratione materiae, materia enim non denomina^r, alioquin & homo, & equus, & alia omnia dici creata, ingenerabilia, & incorruptibilia possent. 2. Auctoritas S. Thomae *1. p. q. 65. a. 4. & 5.* & *q. 46. a. 3. ad 2.* 3. Sufficit una actio creativa totius, quâ totum

cœlum producatur, non ergo multiplicandæ ſunt actiones, ut una ſit creativa materiæ cœleſtis, alia eductiva formæ; quamvis enim forma cœleſtis à materia dependeat, non tamen dependet actio, per quam fit, quia actio creativa Dei non dependebat à ſubjecto; ſicut enim Deus actione ſpirituali poteſt producere, & de facto producit multas res materiales, ita potuit actione creativâ, & à nullo ſubjecto dependente producere formas materiales & pendentes à ſubjecto. 4. Quod éducitur, fit ex materia ut ex potentia; ſed materia cœleſtis, quamvis ſit potentia, non tamen eſt in potentia ad formas cœleſtes, cùm ſemper illas poſſederit: & quamvis non requiratur ad eductionem, ut materia formam tempore præcedat, requiritur tamen ut materiæ non repugnet eſſe ſine hac forma (eductio enim eſt transmutatio, & ita ſupponit materiam, quantùm eſt ex ſe, poſſe mutari) ſed materiæ cœleſti naturaliter repugnat eſſe ſine forma cœleſti (nec enim poteſt eſſe ſine omni forma, nec cum alia, quàm cœleſti, cùm ad hanc ſolam dicat proportionem & appetitum, & ideo ſit incorruptibilis) ergo nunquam fuit in potentia ad formam cœleſtem, ergo nec capax eductionis. 5. Cùm creatur Angelus vel Anima, non dicuntur eorum potentiæ, intellectus v. g. & voluntas, multò minùs exiſtentia & perſonalitas educi, ſed concreari, quia hæc pertinent ad complementum talis naturæ, & conſequenter ad terminum totalem, & adæquatum creationis, ergo nec forma cœleſtis, quia hæc multò magis pertinet ad complementum creationis, & exiſtentiæ materiæ cœleſtis, quam ſaltem naturaliter repugnat ſine hac forma eſſe. Idem verò quod de formis cœleſtibus dictum eſt, dici etiam debet de formis elementorum in prima ſui productione, vid. concreatas fuiſſe.

Objicitur 1. Formæ cœleſtes & elementares ſunt materiales, ergo pendent à materia, ergo educuntur, non creantur; quæ enim creantur, ſunt ex nihilo, & independenter à ſubjecto.

Reſp. Formas cœleſtes, & elementares pendere *in eſſe* à materia, non *in fieri*, quia illorum *fieri* eſt creatio & actio immediata Dei, quæ à ſubjecto non pendet, cùm ſit infinitæ virtutis. *Deinde* educi non eſt quocunque modo pendere à materia, ſed à materia, cui non repugnet transmutari, hoc verò repugnat materiæ cœleſti ſaltem naturaliter, ut dictum eſt. *Obji-*

Objicitur 2. Cùm terra v. g. in ignem convertitur, actio creativa, per quam fuit producta materia terræ, adhuc durat (conservatio enim & productio est una actio) non verò durat creatio formæ terræ, quia suppono hanc formam esse destructam, & consequenter cessavit actio ejus productiva; ergo creatio materiæ, & productio formæ terræ sunt duæ distinctæ actiones, ergo falsum est esse formam & materiam terræ unâ actione creativâ productas.

Resp. Creationem materiæ elementorum, v.g. terræ adhuc durare, non tamen extendi ampliùs ad formam terræ priùs concreatam, quia hæc, ut suppono, est destructa; sicut enim eadem lux est illuminatio, quæ duos colores illuminabat reddebatque visibiles, etiam unum illuminabit, si alterum subtrahas, ita etiam creatio, quæ ex nihilo materiam sub forma terræ produxit, eamdem materiam sub forma ignis conservabit, non quidem dando materiæ propriam existentiam (daret enim, nisi jam inveniret existentem sub nova & generata forma ignis) sed tantùm essentiam, quæ non potest aliter, quàm per creationem produci & conservari.

Alij respondent materiam, quæ fuit sub forma terræ v.g. creata, si deinde acquirat per generationem formam ignis, non conservari per creationem, sed tantùm per existentiam formæ recèns generatæ, nec ideo tamen materia generatur, quia non fit de novo, cùm jam ante novam generationem, novamque formam absolutè & completè fuerit.

V. *Quæritur 5.* Quomodo producantur accidentia supernaturalia?

Resp. Accidentia supernaturalia fiunt per actionem eductivam, ut opponitur creativæ, & dicuntur educi de potentia *obedientiali* subjecti, non naturali. Accidentia verò artificialia & intentionalia, v. g. species, simpliciter educuntur ex potentia materiæ. Vide circa hanc Conclusionem S. Thomam *3. contra Gent. c. 102. rat. 4.* & *q. un. de Virtut. a. 10. ad 13.* & *q. 3. de pot. a. 8. ad 3.*

Notandum quòd sicut lignum v.g. potest recipere non tantùm formas merè naturales v.g. caloris, sed etiam non naturales, hoc est, quæ à voluntate, intellectu & arte agentis pendent (Sicut

lignum poteſt recipere formam ſtatuæ, tabula raſa formam imaginis) ſic etiam, & multò magis poteſt potentia paſſiva creaturarum recipere non ſolùm formas merè naturales, ſed etiam ſupernaturales, v.g. Anima poteſt gratiam ſanctificantem, unionem ad verbum &c. & hæc potentia vocatur *obedientialis*; quamvis enim ſit abſolutè naturalis (eſt enim entitas & natura cujuslibet rei) non poteſt tamen reduci in actum, niſi à principio omnem naturam excedente, hoc eſt, Deo: & ſicut lignum recipit formam ſtatuæ ut ſubeſt agenti intellectuali, ſic Anima recipit gratiam ut ſubeſt agenti increato & omnipotenti, & ideo illius potentia vocatur *obedientialis*. Differt tamen multùm à potentia artificiali, quia hæc eſt ſimpliciter naturalis, illa ſimpliciter ſupernaturalis; hæc, vid. artificialis, ad paucos effectus & limitata (neque enim ex quolibet fit quodlibet, nec ex omni ligno Mercurius) obedientialis verò paſſiva illimitata & ad omnes effectus, adeò ut ne quidem divinâ potentiâ ſatiari & expleri poſſit, quò enim plus accipit, eò fit capacior. Vide S. Thom. eleganter *2. 2. q. 24. a. 7.* & *q. 29. de verit. a. 3.*

Quia tamen hujusmodi accidentia ſupernaturalia fiunt ex nihilo potentiæ naturalis, & per ſolam Dei virtutem, quæ eſt creativa, ideo ab aliquibus dicuntur creari, abſolutè tamen non creantur, ſed educuntur, quia naturaliter æquè ac formæ accidentales pendent à ſubjecto, & ſine hoc eſſe non poſſunt. Idem dicas de motu & forma violenter induċta, v. g. calore reſpectu aquæ; quantùm enim ad materiam, nulla forma eſt ei violenta, cùm omnes appetat; ſicut nulla figura eſt contraria ceræ, quia omnium eſt ſuſceptibilis.

Obiicitur. Materia habet potentiam receptivam animæ rationalis, eamque naturalem, & tamen anima non eſt producibilis ab ullo agente naturali, ergo falſum eſt eam dici potentiam obedientialem, non verò naturalem, quæ à nullo agente naturali reduci poteſt in actum.

Reſp. Potentiam materiæ ad animam rationalem eſſe naturalem, non quidem quaſi generetur ab homine, quamvis enim pyrus generet pyrum, & leo leonem, & inſtrumentum virtute agentis principalis poſſit effectum producere, qui aliàs vires inſtru-

ſtrumenti ſuperat, ut penicillus imaginem; non ideo tamen homo generat hominem, quoad animam rationalem, hæc enim eſt ingenerabilis, ut ſuo loco dicetur: & ut dicatur homo hominem generare, non requiritur ut omnes partes hominis generentur, ſufficit ut virtute generationis humanæ uniantur; ſicut ſtatuarius verè efficit ſtatuam, quamvis lignum ſtatuæ non producat; & leo dicitur leonem generare, quamvis materia leonis ſit ingenerabilis. Potentia ergo, quam habet materia ut animam recipiat, eſt naturalis, non obedientialis, quia quantum pertinet ad unionem animæ cum corpore, reducitur in actum per generationem, & cauſas naturales. Quòd verò dicitur poſſe inſtrumentum elevari ab agente ſpirituali ad producendam ſubſtantiam ſpiritualem, falſum omnino eſt, ut patet experientiâ, & ratio in aperto eſt, cùm oporteat aliquam eſſe proportionem inſtrumenti cum ſuo effectu; nec enim penicillo aliquis ſculpet, aut ſcalpro pinget; ſi ergo non poteſt inſtrumentum materiale ad quemlibet effectum materialem elevari, quantò minùs ad effectum & ſubſtantiam ſpiritualem? falſum ergo eſt, virtutem aut potentiam generativam ab anima elevari poſſe ad aliam animam rationalem generandam. Vide S. Thomam *2. contra Gent. c. 89.* & *4. contra Gent. c. 55.*

VI. *Quæritur 6.* An plures formæ poſſint recipi in eâdem materiâ?

Reſp. Eadem numero materia non poteſt *naturaliter* recipere plures formas ſubſtantiales, v. g. non poteſt in eâdem numero materia forma leonis & equi recipi, ſaltem naturaliter.

Ratio eſt 1. Experientia id docet; videmus enim generationem unius formæ eſſe alterius corruptionem, non verò id ſemper fieret, niſi aliqua naturalis repugnantia concurreret: Sic nec duæ facies in eodem ſpeculo, nec duæ figuræ in eadem cera, nec duo corpora in eodem loco conjungi poſſunt: Et hujus rei non videtur alia ratio, quàm limitatio naturalis *cum* materiæ, *tum* formæ; ſicut enim duæ formæ ita ſunt conſtitutæ, ut una neceſſariò non ſit alia, ita naturaliter una exigit aliquas diſpoſitiones, operationes & effectus, quos non exigit alia; v.g. forma leonis calorem exceſſivum, cor parvum, motum nec nimis velocem, nec

nimis tardum: Forma verò equi calorem temperatum, cor amplum, motum velocem &c. Sicut ergo naturaliter nulla res duobus contrarijs motibus cieri poteſt, ſic multò minùs naturaliter duas inclinationes contradictoriè oppoſitas exigere, quales ſunt exceſſivè, & non exceſſivè calere &c.

2. Quælibet forma ſubſtantialis materiæ conjuncta ſpeciem completam conſtituit, forma leonis leonem, forma equi equum &c. At quod ſemel completum eſt, naturaliter ampliùs compleri non poteſt, ut patet in vaſe pleno aquæ &c.

3. Petrus non eſſet unus homo, nec equus unus equus &c. ſi plures formæ in utroque eſſent; unitas enim eſt à forma, præſertim ſpecifica; ſi enim tres ſubſiſtentiæ increatæ & ordinatiſſimæ in una natura divina non denominant unam, ſed tres Perſonas, quantò minùs tres formæ creatæ denominarent unum hominem, aut equum?

4. Quod naturaliter fieri poteſt, aliquando eſt factum, nec enim oſtendi poteſt aliquis effectus naturalis, qui non aliquando fuerit; ſed nunquam factum eſt in eamdem materiam duas formas ſubſtantiales irrepſiſſe, quis enim vidit equo-leonem? hircocervum? hippo-centaurum &c.?

5. Forma ſubſtantialis duo eſſentialiter dicit, vid. quòd per ſe exiſtat, & quòd cum materia prima *unum per ſe* conſtituat: quæ duæ rationes ſeparari poſſunt, & diſtinguuntur; Angelus enim eſt ſubſtantia per ſe exiſtens, non tamen *unum per ſe*, cum materia conſtituens: Quòd ergo forma ſubſtantialis per ſe exiſtat, hoc habet *ut ſubſtantia:* Quòd *unum per ſe* conſtituat, habet *ut forma:* Sicut è contrà forma accidentalis, *ut eſt accidens*, non poteſt naturaliter per ſe exiſtere, *ut forma* non poteſt unum per ſe conſtituere, ſed unum per accidens & *ſecundùm quid*; albedo enim v.g. non conſtituit ſimpliciter hominem, ſed hominem album. Vide S. Thom. *1. p. q. 76. a. 3. & 4.* Sed ſi duæ formæ ſubſtantiales eamdem numero materiam informarent, neutra conſtitueret *unum per ſe*, quia non daret *ſimpliciter* eſſe, ſed inveniret compoſitum in ſuo eſſe completo, hoc eſt, cum alia forma ſubſtantiali, ergo neutra eſſet forma ſubſtantialis.

6. Sunt aliquæ negationes, quæ poſitis formis aliquibus poſiti-

positivis, ne divinitùs quidem impediri possunt, ne resultent, v. g. posito ente creato impediri non potest negatio infinitatis, aseitatis &c. quamvis ens creatum non sit negatio: Positâ formâ positivâ cadaveris impediri non potest privatio vitæ: posito numero in certa specie, v. g. binario, impediri non potest negatio tertiæ unitatis &c. ergo positâ formâ substantiali, v. g. leonis, impediri non potest exclusio & negatio alterius formæ in eadem materia, quia hæc exclusio est essentialis formæ substantiali; sicut enim binarius, quia est in certa specie numeri, excludit tertiam unitatem, sic forma leonis, quia est actus primus, materiæ non potest advenire post formam equi, quia si post, non est primus actus, nec dat primum & *simpliciter* esse, sed *secundùm quid*; & sicut quod est plenum, ne divinitùs quidem potest fieri magis plenum, quia plenitudo dicit exclusionem ulterioris capacitatis; ita quod per formam substantialem est completum, non potest magis compleri substantialiter.

Dices: Forma equi est completa tantùm in genere equi, non ergo repugnat, ut patiatur materiam per aliam formam compleri in genere leonis. *Contra:* Cur non eodem modo dicis, vas plenum aquæ posse vino adhuc magis impleri? Forma ergo substantialis cùm sit essentialiter actus primus materiæ, & det simpliciter esse, non potest dare esse secundarium, & post primum actum advenire, alioqui quî differret forma substantialis in modo informandi à forma accidentali? duæ enim formæ accidentales subjectum suum tantùm in alio & alio respectu afficiunt; albedo enim lac dealbat in genere tantùm albedinis, non dulcedinis; alioqui dici eodem modo posset, subjectum aliquod posse recipere contradictoria, non per eamdem quidem, sed diversas formas, & ita posse eumdem hominem secundùm eamdem partem & per diversas formas esse calidum & non calidum; per diversos motus currere & non currere &c. Si ergo diversitas for-, marum non potest efficere, ut idem sit calidum & non calidum, quomodo poterit efficere, ut forma leonis sit actus primus, & non actus primus? det simpliciter esse & non det simpliciter esse? compleat & non compleat?

7. Quod naturaliter est impotens ad aliquem effectum potens

potens fieri non potest, nisi ei aliquid addas; ***idem enim manens idem, semper facit idem:*** Et ideo videmus quoties aut instrumentum ab artifice ad opus artificiale, aut potentia naturalis ad effectum supernaturalem elevantur, semper eis aliquid addi. Materia ergo est naturaliter impotens, ut plures formas substantiales recipiat, ergo aliquid addi ei debet, ut possit recipere: *Vel* ergo ei alia materia addetur? & de hac iterum redit quæstio, nam & hæc est naturaliter impotens; & quamvis materia in immensum augeatur, semper est impotens naturaliter ad plures formas substantiales, ut patet in materia cœli & alijs materijs, quæ licèt auctæ, nunquam tamen duabus formis pares fuerunt: *Vel* id, quod materiæ addetur, erit aliqua dispositio? sed quæ ista? & cur inter tot generationes & dispositionum combinationes nunquam fieri naturaliter posset, ut hæc dispositio ad plures formas in materiam incurreret? Hæ rationes probant, ne quidem *de potentia Dei absoluta* posse plures formas in eadem numero materia recipi, quæ omnino videtur sententia S. Thomæ *1.p.q.76.a.3.& 4.* & *2.contra Gent. c. 58.* & *Quodlib. 1. a. 6.*

Objicitur 1 Corpus non est sola materia prima, sed addit formam substantialem *corporeitatis*, quæ perseverat cum anima etiam post ejus discessum (ut experientia docet, & patuit in triduo mortis Christi, cujus idem fuit corpus viventis & mortui, & consequenter eamdem formam *corporeitatis* habuit: & ideo communiter dicimus, hominem constare ex duobus, corpore vid. & anima) ergo saltem in viventibus, v. g. in homine, dantur duæ formæ substantiales essentialiter subordinatæ, vid. *corporeitatis* & animæ rationalis.

Resp. Hanc formam *corporeitatis* admitti quidem à Scoto & Scotistis, sed absque fundamento, & contra mentem Aristotelis, qui perpetuò docet *generationem unius esse corruptionem alterius, & corruptionem unius esse generationem alterius*; homine ergo, aut alio animali destructo alia continuò forma generatur, non verò manet eadem forma *corporeitatis*. *Deinde* si hæc forma *corporeitatis*, quamvis essentialiter ordinetur ad animam, potest tamen naturaliter ex mente Scoti sine anima perseverare post mortem, cur non etiam materia prima possit sine omni forma naturaliter dari,

cùm

cùm ex sententia Scoti & habeat propriam existentiam, & non magis ordinetur ad formam substantialem, quàm forma corporeitatis ad animam.

Dicendum est ergo, *corpus* nihil aliud esse, quàm materiam sub aliqua forma substantiali capacem trinæ dimensionis; eadem ergo anima, quæ dat esse vegetativum & sensitivum, dat etiam corpori esse formatum, & ita constituit materiam sufficienter organizatam in esse corporis: Sicut eadem albedo, quæ parieti dat esse disgregativum, dat etiam esse coloratum; non ergo corpus dicit formam substantialem distinctam à forma animæ, sed tantùm diversas formas accidentales, per quas organizatur. Homine mortuo succedit forma substantialis cadaverica, ne materia sine omni forma substantiali maneat; non enim minùs abhorret natura à vacuo substantiali, quàm à vacuo locali; si ergo ad hoc impediendum tot & tam mirabiles effectus, ac contra inclinationes particulares rerum natura molitur, adeò ut gravissima corpora momento ascendant, levissima momento labantur, parva & minimæ molis nullis viribus, nullisque machinis divelli possint, cur miramur, ad impediendum vacuum substantiale formam cadaveris momento gigni? maximè cùm materia sine omni forma existere haud possit, nec aliæ tam citò generari.

Sed quæ *causa efficiens* formæ *cadaveris?*

Resp. Temperamentum animalis, cum causa universali, sicut in alijs, quæ ex putrefactione nascuntur: sic igne extincto continuò fumus emergit, sic ergo cadaver animæ, ut fumus igni momento succedit. In triduo mortis Christi non fuit idem corpus in rigore philosophico, sed tantùm sensibiliter, & quoad materiam primam, ac divinam subsistentiam. Sicut verò quovis modo ignem extinguas, sive oleo, sive aquâ, lacte, vino &c. semper in carbones aut cinerem, aut fumum resolvitur, ita corpus viventis in formas cadaverum, quæ videntur esse ejusdem, non diversæ speciei, cùm eosdem habeant effectus. Vide Cajet. in *1. p. q. 76. a. 4.*

Objicitur 2. In corpore animalis, v. g. hominis, dantur formæ partiales ossis, sanguinis, carnis &c. quæ manent etiam animâ recedente, ergo saltem plures formæ partiales admitti possunt & debent.

Resp. In ossibus, carne &c. duo considerari possunt: *Primò* variæ dispositiones & temperamentum, quod ex accidentibus resultat: *Secundò* forma eorum substantialis, & hæc est ipsa anima; sicut enim hæc una dat esse vegetativum, sensitivum & rationale, sic etiam dat esse substantiale ossis, sanguinis &c. & sicut est radix ac principium tot operationum sensibilium, intelligibilium, & vegetabilium, quæ cessant recedente animâ, cur non possit esse radix earum operationum, quæ in ossibus ac sanguine visuntur? Non ergo est eadem forma substantialis ossis vivi & mortui.

§. IV.

De Toto Composito, & unione partium, ac subsistentia.

SUMMARIA.

1. *Rejicitur distinctio Scoti inter totum & partes simul unitas conficta.*
2. *Eodem jure unio modaliter à partibus unitis distincta reprobatur.*
3. *Respondetur ad rationes contrarias.*
4. *Præter materiam & formam unitas in toto composito substantiali subsistentia est admittenda.*
5. *In creatis realiter à natura distincta.*
6. *Nec in pura negatione:*
7. *Nec in individuatione natura specifica;*
8. *Sed in modo reali immediatè naturam substantialem afficiente consistens.*

9. Cui

9. Cui, si creata sit, immediatus influxus in actiones suppositi negatur.

10. Ad quas se tamen non merè per accidens habet.

11. Ut plures substantiæ partiales, ita plures subsistentiæ partiales totalem componunt.

12. Soli Divinæ, non verò creatæ personæ alienam naturam hypostaticè terminare conceditur.

SIcut res artificiales ex materia & forma unitis componuntur, ita res naturales. *Quærimus* ergo quid sit compositum naturale, & quid illius unio?

I. *Quæritur 1.* Utrum totum compositum distinguatur à partibus simul unitis?

Resp. Negativè. Est contra Scotum, aliosque, qui opinantur humanitatem v.g. esse aliam, & tertiam entitatem præter materiam, formam & unionem etiam collectivè sumptas, ab ijsque *realiter* distingui.

Ratio Conclusionis est 1. Auctoritas S. Thomæ *3. p. q. 76. a. 2. ad 2. & l. 3. contra Gent. c. 81.*

2. Entitas illa tertia, quam dicis ex partibus unitis resultare, vel est cum partibus identificata, vel eis unita, vel nec identificata nec unita, sed tantùm assistens, ut gubernator navi? si identificata? ergo non distinguitur ab eis realiter: Si unita? vel ex hac unione tertiæ entitatis cum partibus resultat aliud tertium compositum, vel non? si non? cùr ergo resultabit ex partibus priùs unitis? nec enim est ratio, cur ex ista unione resultet aliquod tertium, & non ex alia. Si verò resultat aliquod tertium? dabitur processus in infinitum. Si verò tertia illa entitas non unitur? ergo non facit cum partibus unum compositum, sicut nec auriga cum curru, nec navarchus cum navi.

3. Præscinde hanc tertiam entitatem vel *realiter* vel *intentionaliter*, & pone materiam, & formam hominis unitam, quæro an hoc sit homo, nec ne? si est homo? ergo tertia illa entitas est superflua ad constituendam essentiam hominis: Si non est homo? quid ergo erit? aliquid enim est; sed non est animal irra-

 tiona-

tionale, ergo erit animal rationale, ergo erit homo, aut si non est homo, quid ergo est.

4. Materia & forma hominis unitæ non additâ tertiâ illâ entitate vel sunt unum, vel non sunt unum? si non sunt unum, ergo nec sunt unitæ, effectus enim unionis est facere unum, & quidem unum per se, si partes se habeant ut potentiæ & actus primus. Si sunt unum? ergo vel unum unione simplicitatis, ut Angeli? & hoc non, quia illa unio est inter partes realiter distinctas. Vel unione compositionis? ergo jam habemus compositum, ergo compositum nihil addit supra partes unitas.

5. Pone materiam & formam hominis, hoc est, animam rationalem, mutuò unitas, ad quid est necessaria illa tertia entitas? ut homo habeat materiam? at jam habet: ut habeat formam hominis? & istam habet, nempe animam rationalem, præter quam nulla alia est hominis forma. Ut unionem? & hanc habet, ut suppono. Ut denique homo sit compositum? at positis materiâ & formâ unitis implicat non esse compositum, talis quippe entitas ex partibus realiter distinctis conflata non est simplex, ergo est composita.

Objicitur 1. Humanitas dicit totam perfectionem partium & unionis, & adhuc aliam & propriam perfectionem addit, ergo humanitas dicit aliquam à partibus distinctam perfectionem, ergo aliquam distinctam entitatem. *Antecedens probatur.* Anima dicat perfectionem v. g. ut 4. materia ut 3. unio ut 2. hos novem gradus perfectionis dicit humanitas, quia includit animam, materiam, & unionem: addit verò majorem & propriam perfectionem, quia humanitas dicit animam materiæ unitam, & è contrà: sed anima unita perficitur per unionem, ergo jam habet aliquem gradum supra perfectionem innatam, ergo si non unita dicebat perfectionem ut 4. unita dicet perfectionem ut 5. & materia si non unita dicebat perfectionem ut 3. unita dicet ut 4. ergo humanitas præter perfectiones singularum partium & unionis dicit majorem & distinctam perfectionem, ergo distinctam entitatem.

Resp. Materiam unitam habere majorem perfectionem, quàm non unitam, sed non à tertia aliqua entitate, sed à sola unio-

unione. *Adverte*, quando materia animæ unitur, non fit perfectior per identitatem & essentiam (nunquam enim potest cum anima identificari, aut mutare prædicata essentialia, essentiæ enim sunt sicut species numerorum, quibus nihil addi demive potest) sed tantùm perficitur intrinsecè per unionem & intimam possessionem (sicut aër per formam lucis, truncus per formam statuæ, tabula rasa & speculum per imagines rerum & vultuum quos repræsentat) materia igitur & forma unitæ non sunt plures perfectiones, quàm illæ ipsæ, quas singulæ habent, & quas sibi invicem communicant; si ergo anima sit perfecta ut 4. & materia perfecta ut 3. factâ unione anima erit perfecta ut 7. quia habet perfectionem propriam per identitatem, & perfectionem materiæ per unionem. Imò fieri potest, ut quæ separata nullam aut parvam habebant perfectionem, conjuncta habeant maximam, quia vid. ex mutua conjunctione resultant, aut perfectiores effectus (ut ex conjunctione lucis, & vitri calor intensus) aut perfectiores mixturæ (ut ex conjunctione radij cum vitro varij colores; ex conjunctione literarum varia nomina significantia; ex conjunctione linearum variæ figuræ) aut perfectiores proportiones (ut ex conjunctione sonorum) aut denique perfectiores relationes similitudinis, æqualitatis, ordinis &c.

Objicitur 2. Partes simul sumptæ causant compositum intrinsecè, quia sunt partes compositi, ergo non sunt compositum, quia causa non potest cum effectu identificari.

Resp. Partes simul sumptas non esse causam compositi, sed ipsum compositum; propriè ergo loquendo anima est causa formalis materiæ seu corporis, quia huic se communicat, & in illo velut subjecto suos effectus formales exercet: materia verò est causa materialis formæ, quia hanc recipit: compositum verò non est effectus partium unitarum, sed sunt ipsæ partes.

Objicitur 3. Materia non causat intrinsecè formam, v. g. animam rationalem, hæc enim est creata à solo Deo, neque unionem, quæ est à causa efficiente, neque hominem, quia homo essentialiter includit materiam, & sic materia causaret seipsam; ergo causat tertiam entitatem distinctam à partibus.

Resp. Materiam causare inadæquatè (hoc est, materialiter

 tan-

tantùm, non effectivè) & animam & unionem eas recipiendo, non producendo.

II. *Quæritur 2.* Utrum admittendus sit aliquis modus unionis, inter partes compositi Physici?

Resp. Non datur entitas aliqua modalis distincta à partibus, per quam formaliter, & substantialiter uniantur.

Nota. Certum est dari in homine unionem aliquam substantialem, separari enim possunt materia prima, & anima rationalis, & separatim existunt, & tunc homo desinit esse homo: *Quærimus* ergo, *quid* sit hæc unio?

Potest verò unio aut *effectivè* considerari, & sic est unitio potiùs & generatio seu productio unionis: aut *passivè*, & sic est receptio unionis: aut *relativè*, & sic est relatio consequens unionem, & resultans ex partibus unitis: aut denique *formaliter*, & sic est ipsa forma, per quàm partes dicuntur unitæ, & de hac negamus esse à partibus distinctam, aut tertiam entitatem.

Ratio est 1. Quia nulla est necessitas hujus tertiæ entitatis admittendæ, ut patebit ex solutione objectionum.

2. Potissima ratio admittendæ hujus unionis est, quia partes ex se indifferentes sunt, ut uniantur, aut non uniantur, ergo hæc indifferentia tolli debet per distinctam unionem: sed hæc ratio probaret, dari unionem unionis, & sic in infinitum, quia etiam materia v.g. est indifferens, ut recipiat unionem, ergo hæc indifferentia tolli debebit per aliam unionem: quodsi unio immediatè unitur materiæ, tollitque ejus indifferentiam, quia est essentialiter determinata, ut recipiatur in materia, ita, & multò magis forma immediatè unietur materiæ, quia forma est essentialiter determinata, ut actuet materiam plenè dispositam, cùm sit essentialiter actus, imò essentialiter actuans, quia actuat per seipsam suam entitatem communicando, & materia recipit per seipsam suam entitatem formæ substernendo, sicut unio unit per seipsam.

3. Magnes unitur ferro, & palea succino sine aliquo corpore tertio (nec enim clavis figuntur, aut funibus ligantur) propter intimam proportionem & sympathiam: atqui multò major est proportio & sympathia corporis ad animam, & ideo separationi acerrimè resistunt, nec sine amarissimo dolore disjunguntur;

tur; ergo immediatè & sine unione superaddita nectuntur, cur enim res tam amicæ, si intimè conjungantur, & dispositiones sint completæ, non sibi uniantur, suamque entitatem sibi communicent? planè id tam est incredibile, quàm si dicas, duos qui se ament ardentissimè, si mutuò sibi occurrant, non posse in mutuos amplexus ruere, nisi funibus vinciantur, nec viscum parieti hærere, nisi clavo figatur, nec hederam arbori, aut vites ulmo posse obduci, nisi funibus ligentur.

4. Unitas sequitur ens ut ejus proprietas: sed homo est ens reale, non modale, ergo est unum unitate reali, non modali, ergo non per unionem modalem à partibus distinctam, hæc enim dat tantùm unionem modalem; sicut locus, quia est accidens, dat acervo tantùm unitatem accidentalem: & similitudo quia est relatio, dat rebus relatis, v. g. duobus ovis, unitatem tantùm relativam.

5. Homo est formaliter homo per unionem corporis & animæ, ab unione enim dicitur homo generabilis, corruptibilis, mortalis &c. & sublatâ unione non ampliùs est homo; ergo ut resurgat idem numero homo, oportebit resurgere cum eadem numero unione: sed si unio est modus à partibus distinctus, non potest resurgere cum eadem numero unione, modus enim semel corruptus non potest idem numero reproduci, cùm dependeat essentialiter ab hac numero actione: in resurrectione verò unio non reproducetur eâdem numero actione, quâ producta fuit, producta enim fuit per generationem, reparabitur per creationem, aut aliam actionem miraculosam; in nostra verò sententia facilè intelligitur, quâ ratione idem homo sit resurrecturus; cùm enim nullæ partes essentiales per mortem destruantur, sed tantùm separentur, non materia, non forma, non unio, facilè divinitus redire in amplexum poterunt.

6. Anima rationalis est indifferens, ut det corpori gradum vitæ sensitivæ, aut vegetativæ, aut rationalis, & ideo corpori, ejusque partibus jam hunc, jam illum gradum vitæ communicat, pro varia corporis & partium dispositione, & tamen ad determinandam animam ad hunc vel illum vitæ gradum non opus est aliâ vitâ aut formâ vitali, sed solâ variatione dispositionum,

ergo,

ergo, & multò minùs, eadem anima, quamvis sit indifferens, ut sit unita vel non unita, ut tamen determinatè uniatur, non opus habebit aliâ & distinctâ formâ unionis, sed tantùm alijs & alijs dispositionibus.

7. Videtur esse aperta Aristotelis & S. Thomæ sententia, uterque enim non tantùm contra Platonem negat animam mediante aliquo corpore uniri, sed expressè docet nullam aliam rationem, aut nexum esse, per quem forma uniatur materiæ, quàm *ipsam formam.* Et: *Forma per seipsam facit rem esse in actu:* & *forma secundùm seipsam unitur materiæ ut actus ejus, nec est aliquid aliud uniens, nisi agens, quod facit materiam esse in actu.* Vide Aristot. 8. *Metaphys. text. 16.* & *2. de Anim. text. 7.* ubi S. Thom. & *1. p. q. 76. a. 7. in Corp.* & præsertim *ad 2.* ubi: *Subtracto spiritu deficit unio animæ ad corpus, non quia sit medium, sed quia tollitur dispositio, per quam corpus est dispositum ad unionem.* Ubi vides Sanctum Doctorem, ubi ex proposito agit de modo, quo materia formæ unitur, nihil aliud requirere, quàm materiam, formam, & dispositiones, nunquam verò distinctæ unionis modalis meminisse, nec ad eam recurrere, ut ostendat, quomodo materia & forma uniri possint, sed ad hoc solum, quòd materia sit potentia, forma sit actus. Mirum igitur est, Thomistas aliquos admittere unionem distinctam, quam S. Thomas aut ignoravit, aut non admisit.

III. *Objicitur 1.* Unio Hypostatica, quâ Humanitas Christi Verbo conjungitur, est aliquid ab utroq; distinctum, ut habet Cursus Sangallensis, ergo etiam unio quâ corpus animæ, materia formæ unitur.

Resp. Latam esse disparitatem, nam, ut docet Plato in Timæo, *vincula, quibus res uniuntur, sunt proportiones, quas habent ad invicem,* & ideo unio materiæ cum forma est utriusque mutua, essentialis & intima proportio ac coaptatio in ratione actûs & potentiæ, quæ inter Deum & hominem haud reperitur, nulla enim est proportio finiti ad infinitum: sicut ergo faciliùs conjunguntur quæ sunt vicina, quàm quæ maximè distant, ita faciliùs anima corpori, quàm Deo.

Objicitur 2. Separatio est signum realis distinctionis: sed materia & forma existere possunt sine unione, ut patet in anima rationali post mortem,

Resp.

Resp. *Esse unitum* duo dicere, formam vid. in subjecto, & subjectum esse capax effectûs formalis, & communicationis formæ; quando ergo anima à corpore separatur, pereunt dispositiones & capacitas materiæ, ut possit formæ communicari. Sic quamvis anima sit essentialiter vita, non tamen denominat pilos viventes, quia hujus effectûs formalis & denominationis sunt incapaces: & gratia quamvis sit essentialiter gratum faciens, si tamen uniatur lapidi, non eum denominat gratum, quia hujus effectûs & denominationis est incapax: eodem igitur modo, quamvis forma essentialiter & per seipsam uniatur materiæ, & è contrà materia formæ, non tamen hunc effectum formalem sibi tribuunt, nisi supponatur in extremis mutua capacitas & dispositio, ut sibi communicentur. Quamvis ergo post mortem maneat tota entitas unionis (materia vid. & forma) & hæc nunquam ab extremis separetur, non manet tamen *esse unitum* & unio formaliter, quia hæc præter entitates extremorum dicit insuper mutuam communicationem, hoc est, formam in materia capaci & disposita. Ergo materia sola non est unio, sed materia recipiens formam; nec sola forma est unio, sed forma informans materiam: non verò informat nisi materiam dispositam (sicut anima non animat nisi partes dispositas) & ideo dispositiones requiruntur non ut unio formalis, sed ut necessariæ conditiones ad unionem: sicut in relativis terminus necessariò requiritur ad relationem, non quidem ut pars essentialis, sed ut necessarium connotatum relationis. In forma igitur ad Argumentum

Respondeo: Unio potest separari ab extremis quoad suam entitatem, *nego*; quoad effectum formalem & denominationem ex hoc ortam, *concedo*; hic enim supponit mutuam capacitatem & dispositionem.

Dices: Potest Deus unire formam materiæ omnino indispositæ, ergo dispositiones non requiruntur ad hoc, ut partes dicantur unitæ.

Contra: Deus non potest producere sine termino relationem, v. g. efficere ut Petrus sit Pater, nec tamen habeat filium; ut Petrus sit major Paulo, nec tamen Paulus existat; quid ergo miraris, si non possit formam unire materiæ omnino indispositæ?

Aliqua ergo dispositio est unioni partium omnino necessaria, vid. propinquitas & indistantia extremorum, nam quæ distant, implicat esse unita: aliæ dispositiones suppleri possunt per divinum concursum & voluntatem, in quo casu dispositiones sunt *eminenter* completæ, quia voluntas Dei est loco omnium dispositionum; sicut enim potest Deus florem in hyeme, glaciem in igne tueri ac conservare, ita & animam in corpore truncato, & cordis, aut capitis experte.

Dices: Potest Deus completis omnibus dispositionibus adhuc unionem impedire, ergo unio non est materia & forma cum dispositionibus.

Contra: Non potest Deus positis duobus parietibus æquè albis impedire relationem similitudinis, quamvis hæc sit realiter ab extremis distincta, ergo quid mirum, si non possit unionem impedire inter formàm & materiam plenè dispositam, cùm unio sit à partibus indistincta? difficilius enim est separare indistincta, quàm distincta: si ergo Deus non potest quod facilius est, cur possit difficiliùs? *Deinde nego suppositum*, omnes vid. dispositiones esse completas, Deo suum concursum negante & contrarium volente, hæc enim est maximè necessaria & omnium prima conditio, ut Deus velit, nam causa secunda non agit, nisi cum prima; sicut in horologio nulla rota movetur primâ torpente.

Objicitur 5. Non datur transitus de contradictorio ad contradictorium sine medio distincto, ergo materia & forma non transeunt de non unitis ad unita sine media unione.

Resp. Dari medium ab extremis distinctum, vid. actionem generantis, dispositiones, & alia, quibus positis extrema sibi uniuntur, & quibus ablatis uniri cessant, sicut in sententia Adversariorum sublato termino cessat & corrumpitur modus relationis: & mirum est ab Adversarijs intelligi posse, quomodo patre meo apud Indos mortuo, ubi mercaturam exercuit, continuò in me (qui sex mensium spatio ab illo in Europa disto) pereat entitas & realitas relationis, nullâ in me penitùs factâ mutatione, sed tantùm in loco adeò distante; si ergo possum transire de esse filij ad non esse filij nullâ hujus mutationis causâ in me existente, sed tantùm in Indijs, cur non possit anima transire *de esse* unionis *ad*

non

non esse unionis factâ mutatione dispositionum in corpore propinquo? an quotidie non videmus fieri, ut anima quamvis digito v. g. intimè unita jam illum animet, jam non animet, sed tantùm informet nullâ animæ, sed dispositionum mutatione?

Objicitur 4. Generatio physica est vera actio, ergo habet verum & realem terminum, sed non materiam, quia hæc est ingenerabilis; non formam, quia in generatione hominis anima creatur, non generatur; non dispositiones, quia hæ sunt ante generationem, non ergo sunt terminus generationis, ergo unio.

Resp. Per generationem immutari materiam recipiendo vi generationis diversas dispositiones, & organizationes, ac formam embryonis, ac tandem animam rationalem; habet ergo generatio pro suo termino non tantùm dispositiones, & organizationes varias, sed etiam formam & terminum substantialem, vid. embryonis, ac tandem animam rationalem, quæ licèt creetur, infunditur tamen intuitu præcedentis, & completæ generationis, & quatenus est forma, dependet à materia disposita, & consequenter à generatione; patet ergo etiam seclusâ unione modali optimè generationi suum terminum substantialem assignari. Vide de hoc argumento S. Thomam *1. p. q. 118. a. 2. ad 4.* & *l. 2. contra Gent. c. 89.* & *in quæst. disput. q. 1. de An. a. 1.* & Conimbr. *de Generat. l. 1. c. 4. q. 13. a. 1.*

Objicitur 5. Si anima ex *non esse uniti* ad *esse uniti* transire potest sine ulla mutatione intrinseca, & nullam novam entitatem recipiendo, sed tantùm factâ mutatione in connotatis & dispositionibus, sequitur & hominem posse transire de non currente in currentem, de non albo in album, de non vidente in videntem sine alia & nova entitate aut actu, quod absurdissimum est.

Resp. Manifestam esse disparitatem; homo enim non essentialiter albedo, aut cursus, aut visio &c. est, & ideo indiget alio, *quo* sit albus &c. ipsa verò albedo non indiget aliâ albedine, ut dealbet; sic forma est essentialiter actus, & ideo non indiget alio, ut actuet; & materia est essentialiter potentia receptiva, & ideo non indiget alio, ut recipiat; quemadmodum lapis ut lapidi hæreat, indiget alio, vid. cæmento, quia lapis non est naturaliter adhæsivus; at verò ferrum ut magneti, palea ut succino,

 viscum

viſcum ut tabulæ, hedera ut plantis hæreant, non indigent alijs vinculis aut nexibus, quia naturaliter uniuntur, hærentque.

Objicitur 6. Non poteſt idem eſſe uniens & unitum: Sed extrema ſunt, quæ uniuntur, ergo non ſunt unio, *quâ* uniuntur.

Reſp. Lux eſt id *quod* videmus & *quo* videmus: gluten id *quod* glutinat & *quod* glutinatur; cur non etiam materia & forma id *quod* unitur, & *quod* unit? Sicut ergo gluten quia naturaliter eſt tenax, ſeipſum ſine alio glutine unit & unitur, ſic materia formæ & forma materiæ.

Objicitur 6. Nos in Logica lib. 1. c. 3. §. 4. admiſiſſe modos, cur ergò hîc iterum negamus?

Reſp. Noſtram ſententiam *tunc* fuiſſe, ens modale non poſſe *univerſim* proſcribi, ſed debere neceſſariò ens aliquod modale admitti, ut patet in *ſubſiſtentia* ſubſtantiæ, & *inhærentia* accidentis. Cæterùm quæ in particulari entia modalia ſint, vel non ſint, ad ſua loca remiſimus, ut ibi in fine notatum eſt. Quodſi in decurſu de unione, ut modo ab extremis diſtincto, aliquid diximus, id exempli gratiâ juxta aliorum ſententiam diximus: quæ verò ſit propriè mens noſtra de unione, hîc loci ex inſtituto aperire neceſſe fuit. Non ergò *nunc* negamus dari ens modale, quod *olim* dari oſtendimus; ſed negamus unionem inter entia modalia numerandam eſſe.

Ex hactenus de unione & Compoſito dictis animadvertere licet, magnum diſcrimen inter animam rationalem, & alias formas eſſe; anima enim rationalis propriè *eſt*, retinet enim ſuum *eſſe* à corpore ſeparata; poteſt etiam *operari* corpore abſoluta, & ideo non habet ſuum *eſſe* dependenter à corpore. Aliæ verò formæ materiales propriè nec per ſe *fiunt*, nec *ſunt*, nec *operantur*, ſed ſolum compoſitum, ut ſæpè docet S. Thomas *in quæſt. diſput. q. 1. de virtut. a. 11.* & Ariſtoteles *7. Metaph. text. 26. 27. 32.* & *ratio* eſt, quia non habent *eſſe* niſi in compoſito, & ita non tam ipſæ *fiunt*, quàm ipſis aliquid *fit*.

IV. *Quæritur 3.* Utrum in compoſito ſubſtantiali ſit admittenda ſubſiſtentia?

Reſp. Præter materiam & formam unitas datur in toto compoſito ſubſtantiali ſubſiſtentia, quæ eſt ultimum complementum, & ultima perfectio compoſiti ſubſtantialis.

Hæc

Hæc Conclusio est certa, & patet ex mysterio Incarnationis, in qua Christus assumpsit naturam humanam non assumptâ Personâ seu subsistentiâ (hæc in natura intellectuali vocatur Personalitas) & ideo Christus non assumpsit hominem (hoc enim est nomen concretum, & significat naturam perfectam, ac subsistentem) sed humanitatem. Est ergo subsistentia enti substantiali, quod subjectum enti accidentali: sicut accidens extra subjectum non dicitur in concreto, sed in abstracto, sic extra suppositum natura humana v.g. non dicitur homo, sed humanitas: & sicut illud extra subjectum potest huic, & huic, & alijs subjectis communicari, sic natura humana non subsistens potest alijs suppositis communicari, sicut natura humana de facto communicatur Verbo Divino. Differunt tamen *suppositum* & *subjectum*, quòd subsistentia sit proprietas naturæ substantialis; quòd tantùm terminet substantiam, eamque velut includat, reddatque incommunicabilem, & ideo se habet ad substantiam, sicut punctum terminans ad lineam, cortex ad arborem, folliculus ad florem, ripa aut crepido ad fluvium. De terminis subsistentiæ, Hypostasis, Personæ, Suppositi vide Suar. eruditè *d. 34. Metaph.*

Ratio ergo ponendæ subsistentiæ est ista, quia natura *ut sic* est communicabilis, ut patet ex mysterijs Trinitatis & Incarnationis; ergo ut sit incommunicabilis, hoc est, ut sit mea & non tua, indiget subsistentiâ.

V. *Quæritur 4.* Quomodo subsistentia distinguatur à naturâ?

Resp. Subsistentia creata distinguitur *realiter* à natura.

Ratio est 1. Quia Verbum assumpsit naturam humanam, non subsistentiam, ergo subsistentia non est natura humana.

2. Hæc Humanitas in Christo est singularis & creata; & tamen non est suppositum increatum, ergo suppositum non est natura.

3. Natura realiter est communicabilis, suppositum est realiter incommunicabile, ergo aliud realiter est natura, aliud suppositum.

4. Ita communiter docent contra Eutycheten Patres apud Suar. *d. 34. Metaph. Sect. 2. n. 6.* Vide S. Bernardum *serm. 80. in Cantic.*

VI. *Quæritur 5.* Utrum subsistentia consistat in mera negatione; vel in aliquo positivo?

Resp. Subsistentia non est pura negatio, sed est aliquid positivum. Docet Scotus subsistentiam & Personam seu suppositum nihil aliud esse, quàm negationem dependentiæ actualis & aptitudinalis ad aliquod suppositum, & ideo Humanitatem Christi non habere propriam subsistentiam, quia nec dependet, nec potest dependere à supposito proprio & creato; nec animam rationalem esse in supposito, quia est apta dependere à supposito, & quando unita est corpori, actu est in supposito. Humanitatem verò Petri esse in supposito, quia non est apta uniri v. g. Verbo Divino, saltem naturaliter; nam aptitudo obedientialis ex mente Scoti non tam est aptitudo, quàm non repugnantia.

Sed pro nostra sententia contra Scotum *ratio est 1.* auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 30. a. 4.* 2. Verbum assumpsit naturam humanam eámque univit realiter suæ Personalitati, non verò naturæ divinæ, ergo Personalitas ut sic non est negatio, hæc enim non potest esse terminus realis unionis; quis enim umbræ aut tenebris aliquid uniat? 3. Subsistentia ut sic est aliqua perfectio complens substantiam, ut patet in Trinitate & Incarnatione; quis enim neget Humanitatem Verbo unitam perfectiorem esse, quàm non unitam? sed mera negatio nulla est perfectio, cùm nihil sit. 4. Negatio rei innata ab eáque inseparabilis fundatur in aliquo positivo (v. g. quòd intellectus creatus non habet naturaliter congenitum lumen gloriæ, fundatur in ejus modo intelligibili, qui est per abstractionem phantasmatum, & circa ens finitum ac species creaturarum, & ideo hæc carentia luminis gloriæ, ac Visionis beatificæ, tolli debet per aliquam formam positivam) sed incommunicabilitas non fundatur in natura ut sic, hæc enim ex se est communicabilis (ut patet in SS. Trinitate & Incarnatione) ergo in aliquo alio positivo, hoc est, subsistentia. 5. Subsistentia est negatio dependentiæ non cujuscunq; (certum enim est omnem subsistentiam in genere causæ efficientis, materialis, & finalis, sicut res quælibet creata, ab alio dependere) sed dependentiæ Personalis; sed de hoc ipso est quæstio, quid sit *Persona,* & *esse Personale,* idem ergo per idem explicatur, perinde ac si quærenti,

renti, & ignoranti, quid sit Vitrum? responderes esse substantiam Vitream. *6.* Dependere est imperfectio, independere perfectio: sed dependentia est aliquid positivum, ergo multò magis independentia; si ergo subsistentia est negatio dependentiæ, hoc est, independentia, necessariò aliquid positivum erit, quamvis per vocem negativam explicetur, sicut infinitas, immensitas &c. *7.* Subsistentia naturalis non est pura negatio unionis hypostaticæ & personalis, hæc enim convenit etiam accidentibus, ergo erit negatio tantùm privativa, ergo convenit naturæ ut capaci unionis hypostaticæ: sed natura non est naturaliter capax hujusmodi vnionis, sed tantùm supernaturaliter, & secundùm potentiam obedientialem, ergo subsistentia naturalis convenit naturæ tantùm supernaturaliter, quod implicat in terminis. *8.* Subsistentia est id, per quod substantia constituitur totalis, & completa; sed non potest substantia constitui completa per non substantiam (sicut paries non constituitur perfectè & complerè, albus per non album, nec aër constituitur perfectè lucidus per non lucidum) ergo non potest constitui completa per negationem, hæc enim est non substantia.

Objicitur: Si subsistentia est aliqua perfectio positiva, ergo natura humana in Christo, quæ carebat propriâ subsistentiâ, fuit in statu violento; appetere enim aliquid, nec frui posse, est aliqua naturæ violentia.

Resp. Naturam humanam in Christo nec appetivisse propriam ac naturalem subsistentiam, nec fuisse in statu violento; subsistentia enim Verbi communicabat naturæ assumptæ omnem perfectionem subsistentiæ creatæ, imò longè majorem, quid ergo appeteret jam plena? & quomodo non plena, habens ipsam plenitudinem? sicut ergo sicui debeas nummum, & solvas centum aureos, non haber quod exigat, quia in centum etiam unum continetur, & ita debitum expungitur, sic subsistentia divina continens *eminenter formaliter* omnem perfectionem subsistentiæ creatæ, totum debitum & appetitum naturæ perfectè exolvit, & compensat.

VII. *Quæritur 6.* Utrum subsistentia sit ipsa individuatio naturæ specificæ?

Resp. Negativè. Ratio est, tum quia individuatio identifica-

tur

tur cum natura, non verò ſubſiſtentia, ut ſupra dictum: *Tum* quia Verbum aſſumpſit naturam individuam, non communem, non verò aſſumpſit naturam ſubſiſtentem; *tum* quia in SS. Trinitate Divinitas eſt maximè una & ſingularis in natura, non verò in Perſonis.

VIII. *Quæritur 7.* An ſubſiſtentia ſit modus naturæ ſuperadditus?

Reſp. Subſiſtentia eſt modus aliquis realis immediatè naturam ſubſtantialem afficiens, cujus effectus formalis eſt, reddere naturam terminatam & completam, ex quo ſequitur alius effectus formalis negativus, ut vid. talis natura reddatur alteri ſuppoſito incommunicabilis.

Ratio eſt 1. Subſiſtere eſt exiſtere per ſe, & independenter ab alio ſuſtentante, cui opponitur inexiſtere: quamdiu ergo ſubſtantia (quæ definitur ens per ſe exiſtens,) non ita per ſe & independenter exiſtit, erit incompleta & in ſtatu imperfecto; complebitur verò, cùm ita per ſe & independenter exiſtet; hic ergo eſt ultimus terminus naturæ ſubſtantialis.

2. Accidens quia eſt eſſentialiter ens in alio, tamdiu eſt in ſtatu incompleto, quamdiu caret modo actualis inhærentiæ, per quem fiat actu in alio, ergo etiam oppoſito, ſed proportionali modo tamdiu ſubſtantia eſt in ſtatu incompleto, quamdiu modo caret, quo reddatur per ſe ſubſiſtens & independens ab omni alio ſuppoſito.

3. Natura humana in Chriſto ideo non habet propriam ſubſiſtentiam, quia licèt nihil eſſentiale ei deſit, unitur tamen alteri, hoc eſt, Verbo, à quo ſuſtentatur, ergo ſubſiſtere nihil aliud eſt, quàm naturam eſſe terminatam & completam, & ab alio non ſuſtentari.

4. Res omnes habent ſuas perfectiones accidentales, quibus compleantur & terminentur: linea puncto, corpus ſuperficie, flos colore & odore, ſol luce &c. ergo etiam ſubſtantia habebit aliquod complementum ſubſtantiale ac diſtinctum, per quod compleatur; & ob hanc rationem negat D. Thomas fieri poſſe, ut ſubſtantia ſit ſua ſubſiſtentia *3. p. q. 2. a. 3.* Cùm ergo ſubſiſtentia ſit ultima perfectio & terminus naturæ ſubſtantialis, hoc ipſo

ipso reddit naturam alteri supposito incommunicabilem, quod enim plenum est, impleri ampliùs non potest.

IX. *Quæritur 8.* Utrum subsistentia sit immediatè operativa?

Resp. Subsistentia creata non habet proprium & immediatum influxum in actiones suppositi, & ideo si divinitus conservaretur natura sine omni subsistentia, posset omnes operationes elicere suæ naturæ congruas, v. g. humanitas non subsistens posset sentire, intelligere &c.

Ratio est 1. Si aliqua subsistentia est activa, maximè divina erit, utpote infinitè perfecta, & idea subsistentiæ creatæ: sed subsistentiæ divinæ non sunt activæ nec ad intra nec ad extra: *non ad extra,* quia rerum creatio & productio naturæ ac voluntati divinæ, non Personis attribuitur, & ideo opera Trinitatis ad extra sunt tribus Personis communia. *Non ad intra, tum* quia Persona procedens assimilatur producenti quoad naturam, non quoad Personam: *tum* quia subsistentia est ultimus terminus naturæ, & ita pertinet ad conditionem individualem potiùs, quàm specificam: id autem quod pertinet ad esse individuale, non est principium, & virtus agendi, aliàs Petrus generaret Petrum, & Pater in divinis generaret Patrem. Vide S. Thom. *1. p. q. 41. a. 5.* & *q. 2. potent. a. 2.* ad *5.*

2. Humanitas Christi non habet humanam subsistentiam, & tamen habuit omnes humanas ac vitales actiones, ergo subsistentia humana non est principium humanarum & vitalium actionum. *Nec dicas,* hunc influxum subsistentiæ humanæ fuisse à subsistentia divina suppletum. Actiones enim vitales suppleri non possunt à principio extrinseco (vita enim est, quo ab intrinseco movemur) & alioquin omnes actiones Christi fuissent Theandricæ, nullæ verò humanæ: si ergo etiam in Divinis actiones sunt suppositorum, ac etiam in Christo, quamvis subsistentia non sit principium agendi (Deus enim est, qui creat, qui nascitur, qui moritur) cur non etiam in alijs rebus creatis?

3. Natura substantialis se habet ad subsistentiam sicut forma accidentalis ad subjectum; sed forma accidentalis est adæquatum agendi & operandi principium, non subjectum, ut patet in accidentibus Eucharisticis à subjecto separatis, quæ æquè ac subjecto conjunctæ operantur, & calor in aqua calefacta non

calefacit in virtute aquæ, quæ potiùs resistit calefactioni, & tamen actio denominat suppositum, dicimus enim aquam calefacere.

4. Patet inductione, nullam entitatem modalem esse principium, & causam agendi, sed tantùm conditionem aut necessariam, aut utilem, ut in *Ubi*, in *Unione*, in *Relatione*, alijsque modis constat.

5. Nec actio purè accidentalis tendit ad productionem subsistentiæ, ut patet, nec generatio substantialis (ut in humana Christi conceptione) ergo subsistentia non requiritur ad terminum actionis, ergo nec ad actionem, ergo nec ad agendum tamquam principium agendi.

6. Subsistentia est purus naturæ terminus, ergo non ad agendum, sed ad terminandum & complendum data, sicut punctum in linea non est quantitas, sed terminus quantitatis: & litus in mari non est mare, sed limes maris &c.

7. Certum est aliud esse naturam, aliud subsistentiam (nam Christus totam naturam humanam, omnésque ejus operationes, non verò subsistentiam assumpsit) ergo subsistentia non est natura, ergo subsistentia non est principium motûs & operationis (hoc enim est natura) alioqui si subsistentia æquè influit in operationes, actusque amoris, cognitionis &c. quid illi deest, quin sit natura, aut pars ac potentia naturalis?

X. *Quæritur 9.* Utrum ergò subsistentia prorsus nullo modo ad agendum concurrat?

Resp. Quamvis subsistentia non sit principium agendi, non tamen se habet ad actionem merè concomitanter & per accidens, sicut pileus ad ambulandum, scipio ad navigandum. Vide S. Thom. *1. p. q. 39. a. 5. ad 1.* & *q. 49. a. 1. ad 3.* & *3. p. q. 19. a. 1. ad 3. & 4.*

Ratio est 1. Ex communi loquendi modo; dicimus enim, homo cantat, non humanitas; homo ambulat, currit, studet &c. ergo suppositum non merè per accidens se habet ad operationem; alioqui sicut propriè de Musico pingente dicere possum, *Homo pingit*, tacendo quòd sit Musicus, quia Musica ad pingendi actum se habet merè per accidens; ita propriè dicerem, *Humanitas ambulat, comedit &c. &c.* Si ad has actiones suppositum se merè concomitanter & per accidens haberet,

2. Si

2. Si persona & subsistentia tantùm per accidens & concomitanter se habet ad operationes, tollitur in Christo communicatio idiomatum, nec potero dicere: *Deus moritur, Deus nascitur, Deus orat &c.* sicut non possum dicere: *Dulcedo lactis videtur*, quamvis dulcedo per accidens conjungatur albedini, & visibilitati lactis.

Dices: Hæc propositio est vera, *Musicus pingit*, quamvis Musica se tantùm per accidens habeat ad actionem pingendi.

Resp. In hoc termino, *Musicus*, id quod in recto importatur, est homo, & homo non se habet per accidens, sed per se ad actum pingendi; si ergo persona se tantùm per accidens habet ad operationem, sicut dulcedo lactis ad visionem, sicut propriè loquendo hæc est falsa, *Dulcedo lactis videtur*, ita & hæc, *Deus nascitur, Deus est Filius Mariæ &c.* quod tamen est hæreticum.

3. Subsistentia pertinet ad complementum rei & substantiæ ejus, ergo pertinet ad esse: sed esse est prius, quàm operari; & esse non se habet per accidens ad operationem; & sicut esse agentis non comparatur per accidens ad ejus operationem, ita nec ejus complementum intrinsecum, ac substantiale. Subsistentia ergo pertinet ad actionem non sicut potentia aut virtus agendi proxima, sed sicut esse.

XI. *Quæritur 10.* Utrum materia, & forma habeant proprias subsistentias?

Resp. Dantur subsistentiæ partiales, ex quibus una totalis ac completa subsistentia componitur, sicut ex pluribus partialibus substantijs una substantia totalis.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *1.p.q.75.a.2.* ubi ex proposito hanc quæstionem tractans, an pars, anima vid. humana, subsistat? *ad 1. & 2.* respondens distinguit inter subsistens completum & incompletum, & animam dicit subsistere, ut incompletum, quamvis propriè tantùm id subsistere dicatur, quod est totum & completum; partes enim sive integrales sive essentiales non existunt in se, sed in toto (materia in forma, forma in materia) & sunt communicabiles suis compartibus, & ideo nomen subsistentiæ propriè toti attribuitur, sicut & esse: Si tamen rem, non nomen spectemus, etiam anima suam habet subsistentiam,

non *simpliciter*, sed *secundùm quid*, & partialem: & secundùm hanc distinctionem loco citato expressam intelligendus est S. Thomas, cùm alibi subsistentiam partibus negat, ut *3. p. q. 2. a. 2. ad 3.* & *1. p. q. 39. a. 1.*

2. Anima in Christo à corpore separata utique subsistebat in Verbo, ergo Verbum supplebat defectum subsistentiæ creatæ, non quidem totalis & completæ, ergo partialis & incompletæ.

3. Anima separata naturaliter existit & operatur, ergo & subsistit; nulla enim substantia naturaliter existit & operatur nisi subsisten, cùm subsistentia sit proprietas substantiæ, & naturaliter ad operandum requisita, ut suprà dictum.

4. Si non dantur subsistentiæ partiales, ergo unica erit subsistentia totalis, quæ tota sit in toto composito, & tota in qualibet ejus parte, qui modus existendi est spiritualis, nec enti & composito materiali potest convenire: & quæso ubi tandem est hæc subsistentia totalis & simplex? non in capite, non in manu, non in pede, non in materia, non in forma, ubi ergo? negant enim partes subsistere nisi in toto, sed partes sunt totum, ergo partes subsistunt in partibus.

Objicitur: Subsistentia est incommunicabilis, ergo indivisibilis; nam si divisibilis, una pars subsistentiæ alteri unitur & communicatur.

Resp. Sicut substantia est ens per se existens, & substantia partialis existit in altera comparte, v. g. forma in materia; sic quoque subsistentia partialis potest communicari alteri subsistentiæ partiali, est enim de natura partis, ut communicetur: totalis ergo incommunicabilitas est effectus solius subsistentiæ totalis; & quælibet partialis subsistentia sicut tendit ad componendam unam totalem subsistentiam, ita etiam ad omnimodam & plenam incommunicabilitatem, & ideo S. Thomas *3. p. q. 6. a. 5. ad 1.* docet, partes priùs à Verbo assumptas esse, quàm totam Humanitatem; non ergo subsistentia partibus repugnat, alioqui non priùs ad partes, quàm totum ordinaretur; quia tamen subsistere est in se, non in alio existere, & partes non per se subsistunt, sed in toto, ideo meliùs dicitur totum, quàm partes subsistere. Vide S. Thomam *1. p. q. 75. a. 3.* Suar, *d. 34. Metaph. Sect. 5.* Et partes separatæ

ratæ licèt sint subsistentes, non tamen sunt suppositum, hoc enim pertinet ad totum. S. Thom. *1. p. q. 29. a. 1. ad 5.*

XII. *Quæritur 11.* An eadem natura creata possit terminari pluribus subsistentijs?

Resp. Non potest ulla persona creata alienam naturam assumere & hypostaticè terminare.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *3. p. q. 3. a. 1. ad 2.*

2. Non esset mysterium Incarnationis ineffabile, ut SS. Patres loquuntur, si daretur in natura potentia naturalis aut obedientialis ad hanc unionem.

3. Subsistentia est modus naturæ propriæ, essentia verò modi talis est, ut non sit indifferens, sed essentialiter terminatus ad suam naturam cujus est modus, implicat enim me sedere per alterius sessionem &c.

4. Non minùs videtur esse limitata perfectio subsistentiæ creatæ, quàm perfectio essentiæ: sed natura unius non potest esse natura alterius, nec forma unius forma alterius v. g. forma equi non est forma leonis, ergo nec subsistentia unius subsistentia alterius: Sicut enim essentia est limitata ad unum, ita & subsistentia creata, quæ est modus, modus autem est essentialis determinatio ad unum, alioquin alio modo egeret, quo amitteret indifferentiam, & indueret determinationem: ex hac ratione patet, cur possit Persona Divina assumere naturam humanam, & non è contra Persona humana aliam naturam creatam, quia vid. subsistentia creata est modus, non Divina.

§. V.
De Terminis Magnitudinis & Parvitatis.

SUMMARIA.

1. *Omni speciei viventium præfiniti sunt termini intrinseci magnitudinis & parvitatis.*
2. *Similiter non viventia ex vi suæ generationis determinatam habent quantitatem.*
3. *Cujus intrinsecum habent terminum vi generationis & conservationis.*

CErtum est dari aliquos magnitudinis, & parvitatis terminos naturales, quis enim formicam vidit elephanti, aut elephantem formicæ parem.

I. *Quæritur* ergo 1. An aliqui rebus naturalibus sint termini præfiniti?

Resp. Cuilibet speciei *viventium* quoad generationem aliqui sunt termini intrinseci magnitudinis & parvitatis præfixi, ita ut nec sub majori, nec minori quantitate possint existere; v. g. si maxima quantitas, sub qua homo gigni possit, sit 15. pedum, minima verò unius pedis (exempli causâ id pono, alioquin humanum corpus, cùm perfectè organizatum est, & animam accepit, non excedit apem, teste Macrobio: & Nicephorus *Lib. 12. hist. Eccles. c. 37.* narrat, sub Theodosio Pygmæum non majorem perdice annos viginti vixisse) nullus homo supra aut infra illam gigni poterit, & quantitas 15. pedum dicetur *maximum quod sic* & terminus *intrinsecus* magnitudinis, quia sub hoc homo naturaliter esse potest, & sub majori non potest; quanti-

tas

tas verò proxima ſupra 15. pedum dicitur terminus *intrinſecus* magnitudinis, ſive *minimum quod non*, quia ſub quavis minima parte maximam magnitudinem excedente nulla res poteſt exiſtere. *Econtrà* magnitudo unius pedis dicitur *minimum quod ſic*, ſive terminus *intrinſecus* parvitatis, quia ſub iſto homo eſſe poteſt, ſub minori non poteſt: quidquid verò infra pedem eſt, dicitur *maximum quod non*, ſive terminus *extrinſecus* parvitatis, quia ſub illo eſſe homo non poteſt, poteſt tamen ſub quavis majori quantitate.

Ratio Concluſionis eſt 1. Auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 7. a. 3.* & *4. contra Gent. c. 11.*

2. Res viventes non poſſunt naturaliter gigni ſub quavis quantitate (pone enim hominem tam magnum, vaſtumque generari, cujus collum à ſtomacho 30. dierum ſpatio diſtet, quando illuc cibum traijciet? quando potum? annon priùs fame, ſitique conficietur, quàm cibo, potuque tam longum iter emenſis? talis eſt Angelus, quem in tertio cœlo ex gemmis materiato Mahomet in libro Azar, Alcorani appendice, vidit, librum dextrâ tenentem, à qua ad ſiniſtram ſeptuagies mille dierum iter erat. Horto quoque deliciarum Angelos in excubijs locat, quorum aliqui bovino capite armati, & in capite cornua viſuntur quadragies mille nodis intexta, & ab uno ad aliud cornu iter quadraginta circiter dierum eſt, ſi equo vehare. Idem Mahomet in Alcorano terram diebus 10. creatam dicit, & bove candidi velleris velut Atlante ſuſtineri, cujus caput Orientem teneat, cauda Occidentem *)* Sume ergo quantitatem maximam, ſub qua homo generari non poſſit, eamque minue, usque dum venias ad primum punctum 15. pedum, quæ eſt *maximum quod ſic*, tunc utique poſitis omnibus neceſſarijs homo generabitur, quid enim impediat? ergo datur *maximum quod ſic*: & idem proportionaliter dicas de *minimo quod ſic.* Et hæc ratio procedit de terminis intrinſecis conſervationis naturalis; ſicut enim anima eſt limitatæ virtutis, nec in quolibet puncto corporis poteſt conſervari, ita & virtus nutritiva.

Quodſi vivens in eam molem excreſcat, in qua nequit conſervari, dabitur terminus externus magnitudinis, dabitur enim pun-

punctum aliquod temporis, in quo verum sit dicere, *Nunc non est vivens, & immediatè antè fuit:* Viventia enim & quæ per motum non fiunt, desinunt per ultimum *sui non esse.*

Dices: Ponatur Petrus in maxima, quam potest habere quantitate, quæ sit 15. v. g. cubitorum, poterit utiq; nutriri, ergo & augeri: & si ab apicula pungatur, intumescet, ergo poterit egredi terminos maximæ quantitatis.

Resp. Datâ maximâ quantitate nullum ampliùs augmento locum fore, sicut enim perfecta æqualitas, ut in lancibus perfectè libratis, non admittit ullum vel minimum pondus: & vas perfectè plenum nec guttam aquæ quin redundet, ita quantitas & magnitudo ad ultimum terminum perducta non potest augeri nisi subjecto destructo.

II. *Quæritur 2.* Utrum *non viventia* ex vi suæ *generationis* & formæ habeant determinatum intrinsecum terminum magnitudinis.

Resp. Affirmativè. Ita S. Thomas *1. p. q. 7. a. 3. Ratio est 1.* Ad determinatam formam sequuntur determinata accidentia, sicut enim natura parvo corpori formicæ non dedit maximum caput elephantis, ita nec formæ determinatæ indeterminatas proprietates aut dispositiones.

2. Docet experientia & communis sententia, qualitates, v. g. calorem, certis terminis definiri, ultra quos non crescunt, v. g. ultra gradum octavum; cur non idem dicamus de Quantitate?

In *Adgeneratione* autem & *incremento*, quod fit per extrinsecam appositionem, non viventia haud videntur habere certum terminum magnitudinis & quantitatis. Aristoteles *2. de An. text. 41.* ubi D. Thom. *tum* quia nunquam videmus ignem aut aquam maximam, quæ non possint augeri; *tum* quia dato igne maximo poterit utique stuppam comburere (cur enim non possit ignis maximus, quod potest minimus?) eamque in se convertere, quo casu augebitur. *Tum* quia augmentum extrinsecùs appositum non consequitur materiam & formam præexistentem, sed novam materiam & formam secum affert, novamque agendi virtutem, ut patet, cùm ignis apposito ligno augetur. *Secùs* est in viventibus, apposito enim v. g. cibo virtus nutriendi, quæ non in cibo, sed

ſed ſtomacho eſt, non augetur cum cibo, ſed potiùs & paulatim delibatur, calido naturali & humido radicali conſumptis, imò virtus animalis continuâ reactione plus perdit, quàm nutritione acquirat, alioqui poſſet homo naturaliter immortalis reddi; ſicut patet in vino, cui aqua miſcetur, quamvis enim guttæ aquæ in vinum convertantur, tamen continuâ actione & reactione forma vini tandem corrumpitur.

III. *Quæritur 3.* An *non viventia* habeant terminum intrinſecum parvitatis vi generationis & conſervationis?

Reſp. Affirmativè. Juxta eundem S. Doctorem, *1. p. q. 7. a. 3.* & *1. Phyſ. lect. 9.* v. g. aſſignari poteſt minima caro, & minima aqua.

Ratio eſt 1. Quia licèt corpus mathematicum poſſit in infinitum dividi, cùm ſolâ quantitate conſtet, non tamen corpus naturale quod conſtat formâ, quæ cùm ſit determinata, non poteſt ſub qualibet quantitate conſervari.

2. Res minimæ quantitatis non poteſt operari, ergo nec poteſt eſſe, hoc enim eſt propter operari.

3. Experientia monſtrat, ignem v. g. ſi in minimas partes abeat, illico extingui.

Objicitur. Detur minima pars ligni v. g. hæc eſt adhuc in infinitum diviſibilis (nec enim admittimus in quantitate puncta indiviſibilia) illi ergo applicetur ignis maximus, priùs inducetur calor ut 8. (& conſequenter forma ignis) in ejus medietatem, ignis enim agit uniformiter difformiter, priùs in proximas, quàm remotas partes; ergo jam forma ignis generari poteſt in parte minimâ minori, ergo non habet terminos parvitatis.

Reſp. In dato caſu minimam eam particulam ſimul & ſemel incenſum iri, ſicut minimus terræ floſculus nullo poſito obſtaculo ſimul & ſemel totus illuminatur, quis enim neget minimum ſtupæ filamentum non poſſe momento igneſcere?

Vel dicas medietatem minimi recepturam quidem calorem ut 8. non tamen formam ignis defectu capacitatis & quantitatis ad hanc formam neceſſariæ. Idem dicas, ſi alimentum pervenerit ad minimam ſui partem, virtus nutritiva non convertet priùs medietatem illius minimi, ſed totum hoc; vel ſi priùs in medieta-

dietatem omnes diſpoſitiones ſint inductæ, nondum iſta medietas convertetur, niſi alterâ medietate penitùs diſpoſitâ, & converſioni aptatâ, & ita nunquam verum erit dicere, formam viventis induci & generari infra terminum juſtæ & naturalis parvitatis.

Quamvis ergo concedatur quantitatem ſecundùm ſe dividi poſſe in partes ſemper minores, non tamen partes illæ ſic ſeparatæ poſſunt exiſtere, nec corrumpi, ſicut nec quantitas cœli dividi poteſt, quâ forma cœli incorruptibilis; nec in irrationalibus dividi anima à corpore niſi corrumpatur; ita nec terminus parvitatis naturalis ſecari in partes poteſt, quin & partes & forma corrumpantur.

§. VI.

De Natura, Arte, & Violento.

SUMMARIA.

1. *Quid ſit & quibus competat natura?*
2. *Explicantur axiomata, quæ de natura circumferuntur.*
3. *Errant, qui naturam caſu & nullius finis gratiâ laborare contendunt.*
4. *Bruta propter finem ſolùm* materialiter *operantur.*
5. *Mirabiles brutorum inſtinctus ductum rationis imitantes, non aſſequentes.*
6. *An in brutis ſicut fletus & lachrymæ, ſic riſus & gaudium.*
7. *Natura quamvis non poſſit eſſe principium operationis miraculoſæ,*
8. *Miranda tamen eam producere experientia docet:*

9. *Præ-*

9. Pracipuè in hominibus, ubi de somnijs, chiromantia &c.
10. Astrologia Judiciaria rejicitur.
11. Solvuntur objectiones ab exemplis & praxi petita.
12. De opposito naturæ, quod est violentum.
13. Quid inter naturam & artem intersit?
14. Ars per se opera naturæ non efficit.
15. Æquè tamen ac ista miranda proponit.
16. Sed nunquam potuit conficere demonstrationem quadraturæ circuli, lumen, & motum perpetuum.
17. Neque etiam potest per artem Alchimicam verum aurum produci.

HActenus de rerum principijs, eorumque terminis *in esse*; jam agendum de principijs rerum naturalium *in operari*, quo respectu propriè *natura* appellantur. Varijs modis accipitur hoc nomen naturæ; aut enim significat Deum, quem dicunt *Naturam naturæ*, seu *naturam naturantem*: aut totam rerum universitatem: aut materiam & formam: aut causas naturales: aut rei essentiam & quidditatem, quæ definitione explicatur: aut nativum calorem, & temperamentum: aut dēnique principium illud, quo res omnes ab intrinseco ad generandum & operandum moventur, de quo solùm jam acturi sumus: quamvis enim ipsa essentia sit radix operandi, propriè tamen ut dat esse, vocatur essentia, ut est principium operandi, vocatur natura. Vide S. Thom. *1. p. q. 29. a. 1. ad 4.*

I. *Quæritur 1.* Quid sit *Natura?*

Resp. Natura bene definitur, *Principium & causa motûs & quietis ejus in quo est primò & per se, & non per accidens.*

Dicitur 1. Principium, quia natura est prima radix operandi, potentiæ verò & facultates, v. g. calor in igne, intellectus in anima, non sunt prima radix, sed aliam supponunt, hoc est, naturam.

2. Et causa, quia privatio est quidem principium, sed non causa motûs, & ideo nec natura.

3. *Motûs & quietis*, non quòd natura utrumque, sed alterutrum petat: in empyreo & globo terrestri est causa solius quietis; in cœlis solius motûs localis: in gravibus & levibus est causa utriusque.

Per quietem intellige non solam carentiam motûs, sed etiam possessionem termini: per motum non solùm localem, sed alterationis, & quemlibet corporeum, & ideo formæ separatæ, quia motu corporeo & physico carent, non huc spectant.

4. *Ejus in quo est;* Natura enim dicitur respectu motuum ab intrinseco provenientium; quamvis enim ignis calefaciat aquam, & hæc calefactio sit naturalis, quia juxta inclinationem ignis, & tendit ad generationem naturæ, hoc est, alterius ignis, propriè tamen ignis non est natura aquæ quam calefacit, nec sol, aut Angelus, aut Deus natura suorum effectuum, quos extra se producunt.

5. *Per se, & non per accidens.* Medicus sanat seipsum, sibique medetur, & tamen hæc sanatio non est naturalis, sed artificialis, poterat enim ab alio sanari; *per accidens* ergo est, quòd principium curationis sit intrinsecum: nec talis curatio quoad modum est à principio primo & intrinseco, hoc est, ingenito, sed acquisito & extrinseco, quoad substantiam tamen talis effectus, sicut omnes alij artificiales, est naturalis.

II. *Quæritur 2.* Quibus rebus conveniat esse naturam?

Resp. 1. Compositum ut includens personam & subsistentiam; v. g. homo non est natura, sed naturatum; subsistentia enim non est causa operationis, ut suprà dictum, & in Christo sunt duæ naturæ, & una Persona, in Deo autem una natura & tres Personæ.

Humanitas verò ut separata à subsistentia secundùm aliquos non est natura, quia non est primum principium motûs, sed principiatum ex materia & forma: secundùm alios est natura totalis, quæ sicut propriè habet *esse*, ita etiam propriè dicitur *operari*, & principium motûs esse.

2. De *Forma* non est dubium esse naturam, maximè si forma sit vitalis, tunc enim ab intrinseco se movet augendo, nutriendo, progrediendo.

3. *Ma-*

3. *Materia* etiam est natura, est enim principium passivum generationis, & omnium motuum, qui in ea recipiuntur; motus tamen, quo lapis sursum proijcitur, materiæ quidem, si absolutè & secundùm se spectetur, non sub tali forma, est naturalis, quia materia secundùm se appetit omnem formam: si verò spectetur sub tali forma lapidis & gravitatis, est motus violentus, quia *ut sic* non dicit inclinationem, sed potiùs repugnantiam ad talem motum: & quia materia in genere principij passivi est primum, & à forma hoc non habet, univocè participat rationem naturæ.

4. *Anima rationalis* etiam *ut rationalis*, etiam *ut separata*, habet rationem naturæ, est enim forma entis naturalis, hoc est, hominis, estque principium internum motuum rationalium, vid. intelligendi, volendi, flendi, ridendi &c. qui non sunt motus purè spirituales, cùm naturaliter ab organis & dispositionibus corporeis pendeant, & anima etiam separata naturaliter inclinatur, ut sit & operetur in corpore, sicque est vera forma physica, habetque physicas & naturales operationes.

5. *Cœli* quoque motus est naturalis, *tùm* ex parte materiæ, quæ est omnium formarum naturaliter receptiva, *tum* ex parte formæ, quæ cùm sit perfecta, & in perfecto statu, non inclinat, ut activè se moveat ad locum (nec enim perficitur motu locali) sed ut passivè moveatur, quia est principium generationum & alterationum sublunarium, quæ per motum localem cœli peraguntur; & ideo post diem Judicij cœlum naturaliter quiescet, sublatis enim generationibus sublunarium forma cœli ad motum localem non inclinabit; ergo & motus & quies cœlo sunt connaturales, sub diverso tamen statu, sicut lapis in centro naturaliter quiescit, extra centrum naturaliter movetur. Vide S. Thom. *1.p.q.70. a.3. ad 4.* & *3.cont.gent. c.23.* & *q.5. de pot. a.5.* Si pars cœli ab eo avulsa in terra poneretur, naturaliter sursum ascenderet, non quia levis (cœlo enim nec gravitas nec levitas debetur, quæ sunt qualitates elementares) sed quia supremus locus illi naturaliter, & titulo creationis debetur. Cœlo empyreo naturalis est quies tamquam loco quietis, & æternæ ac immutabilis felicitatis.

6. *Angeli* non habent naturam & motum physicum, hoc est,

imperfectum & divisibilem, ac intra materiam sensibilem. Vide S. Thom. *1. p. q. 105. a. 4.* & *1. 2. q. 9. a. 6.* Non defuêre tamen gravissimi ac SS.mi PP. ac DD. qui docuêre Angelos naturaliter esse corporeos, corpore tamen adeò subtili tenuique, quale est aëris, aut lucis, ut in comparatione hominum spiritus dici debeant. Ita S. Ambr. *l. 4. de arca Noë.* Orig. *1. de princip.* Basil. *c. 16. de Spiritu Sancto.* Justinus M. *in Apolog. 1.* Aug. *l. 11. de Civit. c. 23.* & *l. 12.* & *15.* Lactant. *l. 2. Divin. Instit.* Bern. *l. 5. de Consid.* Cajet. *c. 2. ad Ephes.* & ideo Angelos odio ac amore rerum corporearum tangi *Gen. 6.* ubi septuaginta sic habent: *Ingressi sunt Angeli Dei ad filias hominum.* Et Tertull. ad illud ad *Cor. 1. Mulieres velentur propter Angelos Dei; Debet,* inquit, *adumbrari facies tam periculosa, quæ usq; ad cœlum scandalum jaculata est.* Fumis etiam ac odoribus fugari, *Tob. 6.* musicâ deliniri, *Reg. 16.*

Verùm Angelos esse omnino incorporeos videtur definitum in Concil. Later. *c. firmiter de Summ. Trinit.* & in ultimo Lateranensi sub Leone X.

II. Multa sunt de natura *Axiomata* ex libris Aristotelis desumpta, passim in scholis circumferri solita, quorum explicationem breviter dabimus.

Primum in omnibus rebus naturalibus Numen inest. Arist. *2. de part. animal. c. 7.* omnis enim creatura Creatorem, à quo est, aliquo modo adumbrat, & spirat; sicut omnis umbra aliquid solis habet, motum vid. & situm: & omnis aqua ex floribus expressa aliquid habet sui floris, odorem vid. & virtutes medicas; ut ergo, quod notat Tertullianus, in statua Jovis Olympici *Phidiæ Artificis manus adorabantur* (nec enim Phidias, ut reliqui sculptorum, nomen suum operum basi inscribebat, *Phidias sculpsit*, sed ex elegantia & artificio notabatur) ita Creator ex creaturis.

2. Natura nihil frustra facit. l. 1. de Cœlo. c. 4. Quid in homine unguibus, pilisque vilius? Ungues natura homini dedit, ut subtilissimas venas, quæ illic concurrunt, muniret: pilos capiti, ut cerebri humiditatem, ac commissuras foveret, tegeretque, & ut à nimio frigore ac calore custodiret, & ideo cùm cerebrum hominis proportione maximum, ac humidissimum sit, homo omnium animantium capite maximè piloso est. Vide Arist. *l. 2. de part. animal. c. 13.* & *14.*

3. Sem-

3. ***Semper natura rei melioris auctor est, quoad ejus fieri potest.*** Arist. *l. 2. de part. animal. c. 14.* & *2. de cæl. c. 1. text. 34.* & ideo quia homo erectâ est facie, & idcirco potest ab inferiore etiam parte & superiore aliquid in oculos incidere, duobus cilijs oculum hominis vallavit, aliorum animalium uno tantùm. Sic quia res corruptibiles non possunt semper esse, & tamen esse est meliùs, quàm non esse, providit natura generationes, per quas res in suo effectu, & specie conservantur; & ideo quæ citò delentur, ut muscæ, bruchi, aves, numerosissima sunt, numero compensante brevitatem vivendi.

4. ***Quæ per naturam insunt, non mutantur:*** nec enim ignis calorem, corvus nigredinem, æthiops colorem mutant, nisi fortior causa ab extrinseco urgeat.

5. ***Natura non deficit in necessarijs.*** Aristot. *2. de part. an. c. 7.* Hippopotamus cùm gravari se morbo sentit, arundinum scissuras observat, & acutissimâ venam in crure pungit, sanguinemque minuit, ac plagam limo obducit. Palumbi, graculi, merulæ superfluos humores purgant degustatis lauri folijs. Cervi dictamno sagittas pellunt. Halcyoni ad oram maris nidulanti sternuntur venti & jacent undæ, ne partum opprimant. Cinclus quia debilis volatu, ne deficiat, quo tempore ad nos redit, milvi scapulis suscipitur. Cuculus in alienis nidis parit, ne tamen alijs avibus onerosus sit, providit natura, ut solus ferè singula tantùm ova pariat. Parit verò in Motacillæ tantùm, Luteolæ & Alaudæ nidis, quia ovum istarum ovis simillimum edit, & ita furtum similitudine tegit, aliàs prodendus. Ideo autem fœtum in alieno deponit, quia se invisum alijs avibus novit, ova & stirpem deleturis, nisi falleret. En tibi naturæ solicitudinem, avium ignavissimæ ac turpissimæ necessaria ministrantis.

6. ***Natura superfluis abstinet, & defectum unius alio beneficio compensat.*** Exemplum est in talpa, cui aspectum negavit natura, utpote sub terra, & in tenebris degenti haud necessarium: aspectum tamen auditu compensavit, qui illis etiam terrâ obrutis acutissimus est.

7. ***Natura in rebus præstantibus sæpè parca & frugalis est.*** Patet in sole, luna, gemmis, phœnice, & una tantùm hominis specie, cùm aliorum animalium sint innumeræ. 8. *Na-*

8. *Natura est rapax similium.* Patet in magnete, qui ferrum: succino, qui paleas: vite, quæ ulmum: igne, qui naphtham: stirpibus, quæ aquam: auro, quod hydrargyron: sole, qui heliotropium ad se rapiunt: & in corpore humano quælibet pars sibi similia ex alimento adsugit.

9. *Natura non operatur per saltum:* procedit enim per media ad extrema, ut videre est in Anni temporibus, in rerum generationibus, in motibus de loco ad locum, de gradu ad gradum &c.

10. *Natura est æqualitatis amica.* Arist. *l. 2. de Cœl. c. 12.* Exemplum est in supremo cœlorum orbe, qui paucioribus motibus cietur, & ideo stellis abundat: cœli verò planetarij pluribus motibus cientur, sed uno astro notantur. Cætera animalia vestitu & armis natura protexit, solum hominem nudum & inermem edidit, quia illi ratio pro vestitu & armis est. Radices herbæque amaræ, quia alimento non serviunt, ideo plerumque medicinales sunt, & vim sanandi purgandique habent. Ægyptus ob nimium calorem pluvijs destituitur, sed Nilus per æstatem exundans, limoque fœcundans pluvias compensat. Insula Ferri, una ex Canarijs, cùm aquâ dulci careat, arborem tamen ingentem habet, ex qua imber perpetuò desudans potui sufficit. Balæna quia visu hebeti, pisciculum oblongum ducem habet, ne scopulos, aut brevia incidat.

11. *Natura unitatis est amica,* & ideo omnia ad unum reducit; omnes motus ac generationes ad motum primi mobilis: omnes partes corporis unâ pelle & nodo unionis connectit; omnes ramos ad unam radicem, omnes rivos ad unum fontem, omnia elementa ad unam harmoniam & proportionem, omnes numeros ad unitatem, omnes nervos ad unum cerebrum, omnes motus & appetitus tam innatos, quàm elicitos ad unum finem reducit, & ideo omnia naturaliter divisioni repugnant, & omnia, quantùm necessitas patitur, ad figuram rotundam, quæ maximè est una, aspirant, ut in cœlis, elementis, lapidibus, arborum truncis, floribus, fructibus patet.

III. *Quæritur 3.* Utrum natura propter finem operetur?

Resp. Nihil in natura casu & fortuitò contingit, sed omnia certi alicujus finis gratiâ. Non potest hæc Conclusio meliùs pro-

probari, quàm rerum omnium, quæ fiunt rationes, & fines ſpectando, naturâ in examen vocatâ.

Interroga ſolem, cujus gratiâ ipſe ſit conditus? non ſanè in ſui bonum, quod nec ſentire poteſt, nec eo frui; ſicut ergo nec ſurdo canitur, nec cæco pingitur, ita nec ſoli, nec alteri corpori ſua bona ignoranti, nec capienti, natura, & naturæ Conditor laboravit; cui ergo tantum lucis? ut noctem ac tenebras deleat, & quæ ex tenebris mala ſunt; ut tot alias ſtellarum myriadas velut totidem faces extincto die accendat. Cui motum velociſſimum & quotidianum? toti mundo intra 24. horarum ſpatia illuſtrando. Cur quotidie mergitur, quotidie ſurgit? ut noctem quieti, diem labori aptet. Cur proprio motu ſub ecclyptica incedens, mediamque ſecans æquinoctialem nunc ad Septentrionem, nunc ad Auſtrum 23. gradus cum dimidio extra lineam æquinoctialem inclinat? ut quatuor anni tempeſtates vario ad nos acceſſu, receſſúque conficiat; ſicut enim quotidiano motu in quatuor partes diem diſtinguit, noctem vid. manè, meridiem, & veſperam, ita annuis motibus annum in quatuor tempeſtates, hyemem, ver, æſtatem, autumnum: *hyems* ſuo frigore terræ, ſtirpium & ſeminum calorem introrſum agit, prohibétque, ne ante tempus erumpant: pluvjis ac nivibus irrigat, humectat, ne areſcant. *Ver* ſuo tepore omnia foras evocat, in gemmas, in frondes, in flores, in culmos caulésque format. *Æſtas* vi caloris nimium humorem decoquit, abſumítque: craſſa extenuat, cruda maturat, aërem purgat &c. *Autumnus* temperato mixturâ modici frigoris calore terram ac animantes reficit, agros ad nova ſemina diſponit, itinera ac navigationes aperit &c. Sol ergo & ſtellæ totumque cœlum anno, annus homini ſerviunt.

Cur venti? ut aërem ventilent, alioquin otio corrumpendum, ut patet in locis vento impervijs & obſeratis: ut reſpirationi animalium ſerviant, ut nubes ex maris vaporibus ferè denſatas in omnem terram ad pluvias & umbras deferant; maris enim ſemper in ſolem expoſiti vapores multi tenuesque præcipua nubium materia ſunt, quæ niſi vi ventorum aliò deferrentur, perpetua ſoli ariditas & ſterilitas eſſet: à ventis navigatio, ſine qua ſublatis commercijs quanta rerum omnium penuria? ſi ergo modicum

dicum maris vaporem in tot commoda Deus & natura aptavit, quid de alijs ac majoribus dicemus? & quid in Mundo erit inutile, exiguo terræ, marisque fumo in tot obsequia & beneficia parato?

Cur pluviæ, imbres, nivesque? ut terram rigent, ut potum animantibus & refrigerium, stirpibus alimentum præbeant, ut flumina, fontesque impleant (videmus enim cessante diu pluviâ paulatim deficere; si ergo multos annos nec pluere, nec nives liquari, fontes & flumina exarescent) ut terras & fruges fœcundent; habent verò hanc fœcunditatem pluviæ & à spiritu caloris, quem à sole impressum habent, & à vapore pingui ac oleoso, qui ex mari, campis, silvis terrisque uliginosis vi solis elevatur & in aquam solvitur, & ideo longè magis à pluvijs quàm humana rigatione fruges proficiunt: stillatim verò cribratimque ac in tenues globulos guttatæ cadunt, ne fruges impetu obruant, & ita sine damno copiosiùs aquam ferunt, globosâ figurâ & minùs premente, & plus materiæ capiente: reliquiæ interim nubium steriles soli obtenduntur, ne aquam recenter fusam priùs absorbeat, quàm in terræ ac radicum intima pervenerit.

Cur terra supra aquas contra naturam gravissimi elementi elata? ut habitari, ut coli possit: à mari plerumque in montes exurgit, quibus eluviones prohibentur, regna dividuntur, flumina profunduntur, marmora, metalla, gemmæ, herbæ, radices, medicinæ, vina, ligna, arbores generantur.

Cur mare salsum? ut nutriendis multis magnisque piscibus sufficiat. Cur elementa contrarijs qualitatibus instructa? ut in se mutuò agant, ex terra enim oritur aqua, ex aqua aër, ex aëre ignis; deinde ex igne aër, ex aëre aqua, ex aqua terra, & ita perenni hoc mutuoque conflictu elementa dum corrumpuntur & generantur, perpetuùm durant.

Observat Galenus, in corpore humano ossa reperiri supra 200. quorum quodlibet ad 40. scopos seu diversos fines, usus que destinatur, adeò ut octies mille scopi in solis ossibus adducendis, explicandis, commovendis numerari possint.

Doctor Viringus longâ experientiâ in solo corpore humano quodlibet ossiculum quamvis exiguum functiones habere notat

notat supra 280. & ita universim 56000. Idem Galenus musculos numerat ad 600. quorum singuli 10. scopos, universim 6000. habent.

Araneus cur tanto artificio telam & maculas nectit? ut muscarum aucupio vivat: Cur formicæ semina priùs arrodunt, quàm recondant? ne in fruges & herbam exeant pastui inepta. Patet ergo universali inductione, naturam nihil casu & fortuitò aut præter finem operari; aut si hoc negas, minimi vermis, aut muscæ, aut flosculi, aut folioli texturam, fibram, capillamentum ostende, qui finis alicujus gratiâ, usuique non sit. Quæ finem aliquem destinatum non habent, fortuita sunt & casu fiunt; fortuita verò rara sunt, nec semper eadem, natura verò plerumque eadem, & rarissimè alia: semper soli idem cursus, semper rosæ idem color, semper lusciniæ idem cantus, non ergo hæc casu fiunt, sed certum ob finem. Quæ casu eveniunt & non ex intentione certi finis, nec eodem tempore, nec eodem modo, nec ijsdem contingunt; ut quia thesaurum reperire casus est, non semper hoc æstate, non semper in horto, non semper pauperi contingit: sed naturalia eodem semper modo, & ab ijsdem causis proveniunt, nisi vid. potentior causa obstet, quod rarò est. Uvæ non ex ficu, non ex pomo, non hyeme, non vere, sed ex sola vite, solâ æstate, vel autumno: postquam cultæ, putatæ, adstrictæ, depampinatæ, decoctæque à sole sunt, tandem maturantur; priùs lachrymæ, tum gemmæ ac flores, tandem botri ac uvæ; non ergo casu natura, sed in certum finem laborat. Vide S. August. *l. 1. de Ord.* S. Chrys. *opusc. de Provid.* S. Athan. *Orat. adv. Idol.* SS. Basil. & Ambr. *l. Hexam.* Theodoret. *serm. de Prov.* Lactant. *l. de Op. D.* & *l. de Ira Dei. c. 1.* Sen. *l. de Provid.* Cic. *l. 2. de nat. Deor.*

Objicitur 1. Si natura propter finem agit, ergo maximè homini providisset creaturarum omnium nobilissimæ: at homini pessimè providit; solus tot morbis, tot curis, tot insidijs, tot injurijs ac paupertate, & quod pejus est, tot noxijs cupiditatibus premitur, quibus ratio etiam invita subinde vincitur; quis ergo credat naturam adeò negligentem rerum humanarum, alia curare quæ infra hominem sunt? Vide Plin. *l. 7. c. 1.*

Resp. 1. Morbos, paupertatem, infortunia quæ homini ob-

veniunt, immortalitate compensari: nulli astrorum fœdiores eclypses sunt, quàm soli, lunæque, & tamen pulcherrima, ac felicissima sunt. Ærumnæ quas homo patitur, aut illi ad palmas, & victorias, ac virtutum exercitia cedunt, aut à vitijs tuentur; quis enim flagitijs modus esset homine à morte, à morbis, à miserijs securo? aceto ergo & sale perfunditur, ne corrumpatur, ac instar rosæ inter spinas custoditur.

2. Cupiditates, quæ cum homine nascuntur, bonæ sunt, & in bonum finem à natura destinantur: si nemo doleat, quis remedia morbis, malisque quærat? si nemo irascatur, quis injurias vindicabit, quis militabit? si nemo amet, ubi veræ amicitiæ, & casta conjugia? si nulla honorum ac dignitatum cura, ubi pudor, verecundia, ac alia peccandi retinacula? sublatis ergo omnibus à natura cupiditatibus, non homines, sed statuas habebis: atq; ut mare nullis agitatum ventis torpet, jacetque, & pejor omni tempestate est longa malacia; sic omnium cupiditatum, & affectuum nimia quies.

Notant Plinius & Seneca, marmori à maculis, cedro à nodis, crystallis à fragillitate pretium esse: *Cedri*, inquiunt, *lignum eò pretiosius censetur, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit: in murrhinis verò & crystallinis ipsa fragilitas pretium accendit:* hoc ergo sunt cupiditates in anima, quod maculæ in marmore, nodi in cedro, fragilitas in crystallo: dotes ac perfectiones naturæ sunt, si virtuti ac rationi serviant: si verò degenerent ac ultra metas excurrant, non naturæ hoc vitium, sed hominis ac voluntatis fræna nimiùm laxantis: si equum in præcipitia, navim in scopulos agas, non equi, non navis, sed regentis insania est: possunt industriâ & labore rupes aceto molliri, leones domari, mare ac tempestates vinci, idque lucri alicujus incertâ spe; cur non cupiditates & amores vinci, nec rupibus duriores, nec leonibus, ac mari sæviores, præsertim æternâ felicitate in præmium propositâ, & Dei gratiâ unà laborante?

Objicitur 2. Multa in Mundo fiunt præter ordinem & finem, imò & noxia, ut monstra, eclypses, eluviones, tempestates, venena, ac alia mille cum naturæ tum hominum peccata.

Resp. 1. Nihil præter ordinem fieri, etiam cùm ordo alioqui

qui turbari videtur; defectus enim causæ particularis pertinet ad ordinem & harmoniam totius naturæ, ordo enim naturæ est, ut causa debilior potentiori cedat, ut subtractâ aut minutâ materiâ corpori necessariâ corpus ipsum fœdetur, ut unum corpus aliud obumbret; hinc monstra corporis materiâ aut minutâ, aut abundante; hinc eclypses, nam terra lunam, hæc solem inumbrat: hinc eluviones & tempestates, ventis aquisque litora ac ripas superantibus. Venena sunt non solùm serpentibus salutaria, sed etiam homini ac alijs animantibus; quis enim nescit serpentibus ciconias, coturnices, turdos, cervosque ali? Expetuntur etiam venena ad colores miscendos, parandasque præstantissimas medicinas: theriaca ex venenis est: bufones triti & in amuletum compositi præstantissimum pesti remedium: multi carne ac vino viperino usi à lepra sanati: lapis Bezoar præstantissimi in medicina usûs, quique cùm rarior esset, vix ducentis aureis obtineri à mercatoribus poterat, quamvis exiguus: quid aliud est, quàm lachryma cervi postquam serpentes voravit, & veneno urgetur, in aquas se mergentis? Vide Nieremb. *hist. natur. l. 9. c. 60.* & Kircher. *artis magnet. l. 3.* Plin. *l. 19. c. 6.* Nihil ergo sic noxium, quod non etiam salubre sit, nec enim natura malum intendit, imò serpentes ac alia venenata ideo providit, ut illa ex terris, ex frugibus, ex aëre omnes succos pestiferos, noxiosque ad se velut in spongiam attraherent, ne hominibus damno essent: & cùm tantùm nocere possint, instinctu tamen naturæ timida sunt, latentque, ut damno minori sint. Serpentes quoque aquas ingressuri venenum ponunt, ne animantibus haustum lethalem reddant. Natura ergo etiam in venenatis certos fines, modumque servavit.

2. Oportuit in Mundo aliqua esse, quæ nocerent, quis enim hostes, maleficos, morbos arceret, si nihil esset quo læderentur? si ignis nunquam urat, aqua nunquam mergat, ferrum nunquam vulneret, quæ sceleratis pœnæ, ac supplicia erunt? quis cœlum appeteret, si nihil in mundo amari esset? quis ad Deum refugeret nulli obnoxius periculo? *Deinde* pulchritudo ac pretium bonorum crescit ex oppositis malis. Quod ergo picturis sunt umbræ, floribus, herbisque medicatis sapores ingrati, hoc sunt illa,

quæ in matura mala videntur, ſed non ſunt, cuſtodiunt enim & ſanant, dum dolent, augéntque pulchritudinem, cui miſcentur ſuâ fœditate. Vide Plin. eleganter *l. 22. c. 6. circa fin.*

3. Peccata hominis quod attinet, non ſunt naturæ, ſed voluntatis errores, de quibus alibi. Vide S. Aug. *1. de Gen. contra Manich. c. 16.* S. Ambroſ. *l. 3. Hexam. c. 9. & 6. c. 6.* S. Hieron. *l. 2. contra Jovin.* Damaſc. *l. 2. Fidei Orthod. c. 10.*

Varij autem ſunt rerum creatarum fines, bonum vid. privatum cujusque rei, bonum commune, bonum hominis, cui aliæ creaturæ omnes ſerviunt, ordo & pulchritudo totius naturæ, ac tandem adumbratio & gloria Creatoris, de quo vide S. Thom. *3. contra Gent. à cap. 17.* & *1. p. q. 103. a. 2.* & *in c. 4. de divinis nominibus.* Quamvis verò naturæ inſenſibiles fines non cognoſcant, nec etiam proportionem mediorum, quib⁹ finis attingitur, quia tamen habent impetus naturales in certum finem à Creatore directos, ideo dicuntur propter finem agere; ſicut ſagitta in ſcopum, navis in portum fertur, non quòd ſagitta ſcopum, aut navis portum eligant, ſed quia motum ad hos fines recipiunt. Vide S. Thom. *l. 3. contra Gent. c. 24.* & *1. p. q. 59. a. 1.* quo ſenſu Ariſtoteles dixit, *opus naturæ eſſe opus intelligentiæ*, non quod omnis natura intelligat, ſed quia omnis natura à cauſa intelligente in ſuos, certosque fines dirigitur, cujus rei elegantem ſimilitudinem dat B. Auguſt. *Serm. 2. de temp. Pictor*, inquit, *eâdem arte facit murem; & montem, & elephantem; diverſo quidem opere, ſed arte unâ.*

IV. *Quæritur 4.* An Bruta agant *formaliter* propter finem?

Reſp. Bruta quamvis ſuarum operationum aliquem finem præfixum habeant, *formaliter* tamen & propriè non agunt propter finem, nec diſcurſu & ratione utuntur. Eſt communis contra Philoſophos antiquos & aliquos Scotiſtas, quibus acceſſit Lipſius. Ij ſunt Plato, Pythagoras, Anaxarchus apud Plutarchum *5. de placit. c. 20.* ipſe Plutarchus *opuſc. quòd bruta animalia &c.* Plinius *l. 8. c. 1.* Lipſius *centur. 1. miſcell. epiſt. 50.* Sed noſtræ Concluſionis

Ratio eſt 1. Auctoritas S. Thomæ *in quæſt. diſp. quæſt. de proph.* & *2. 2. q. 13. a. 2.* & *q. 172. a. 1. ad 3.* & *q. 24. de verit. a. 2.*

Ratio eſt 2. Si bruta ratione utuntur quamvis imperfectâ, ergo habent animam rationalem, ergo ſpecie ab hominibus haud diffe-

differunt; ergo aut anima rationalis bruti est spiritualis & immortalis æquè ac hominis, aut anima hominis æquè corporea & mortalis ac bruti; quòd enim homo perfectiùs bruto ratiocinetur, non arguit distinctionem specificam formæ, aut spiritualitatem, nam & elephas longè perfectiùs & cognoscit, & agit quàm vermiculus aut papilio, non ideo tamen animâ immortali prædirus est: & ad majorem tantùm agendi perfectionem sufficiet in homine major organorum perfectio: sicut enim quòd pictor malleo pingere non possit, ferrarius penicillo non cudere, textor molâ non texere, non artificum aut artium, sed instrumenti defectus est; ita quòd brutum non ita perfectè ut homo ratione ac libertate uti posset, non formæ, sed organorum defectus esset: hæc ergo sententia eò spectat, ut spiritualitas & immortalitas animæ rationalis negetur.

Ratio est 3. Quæ ratione utuntur, ut homo, paulatim & ex notioribus ad aliorum notitiam discurrendo, & discendo perveniunt, ut in homine, qui nec incedere nec loqui novit, nisi discat: sed bruta sine ulla sensuum experientia, nulloque studio ea nôrunt, & faciunt, quæ à nobis vix longo studio discuntur; quis cygnos natare, luscinias canere, araneum texere, bombycem filare, apes mellificare, columbas iter per aërem facere, cervos mederi, grues sine velo & remis, acuque magnetica per longissimos maris tractus navigare? aut hæc ratione ab animalibus fiunt, aut sine rationis usu, sed cæco instinctu, soloque impetu naturæ? si hoc, non ergo animalia rationem habent; si illud, ergo bruta longè majorem & efficaciorem vim discurrendi, quàm homo habent, homo enim nihil eorum potest, nisi longo usu, studio, tempore, & librorum aut magistrorum operâ: bruta verò primo nascendi momento, sine magistro, sine libris, sine studio.

Ratio est 4. Quæ corpore constant, non ratiocinantur nisi ex illis, quæ sensus cognovit, & ideo nihil est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu: cæcus nihil scit de coloribus, nisi aliquando visis, surdus nihil de sonis, surdus & cæcus à nativitate incapax omnis doctrinæ, & amenti aut infanti similis est, & ideo dormiendo tantùm nemo fit sapiens, sensibus omnino somno ligatis; sed bruta cognitionem eorum habent, quæ nunquam sen-

sibus

ſibus perceperunt; cervus dictamnum herbam vulneribus quærit, invenitque nunquam fortè à ſe viſam: araneus quantâ arte telam ſuam pertexit, circinat, nectit, diſtinguit, implicat, nullo exemplo prædoctus? phœnix è cineribus ſuis ac flammis redux nidum parentis adhuc fumantem odoribus Heliopolim per tot milliaria defert, & in aram ſolis deponit, quam nunquam vidit: muſtela priùs rutam venenis inimicam edit, quàm cum ſerpentibus pugnam ineat, nec rutam tamen priùs guſtaverat, aut experta fuerat: Cervus mas cùm pinguerit, quod tempore fructuum fit, nusquam apparet, ſed longè ſecedit, ne ob corporis molem fugæ impar ſit; morſus verò à phalangio cancros edit, & ita venenum ejicit; quo ſenſu hoc cervus notavit, vel à quo vidit? Plura hujusmodi vide apud Ariſtotelem *de hiſt. animal. l. 9.* Nieremb. *l. 3.* Schotum *in Philoſoph. curioſ. l. 7.* Leſſium *de Provid. l. 1.* Plutarchum *tr. an bruta ratione utantur.* Plin. Ælian. Granatenſ. *de Creat. Mundi l. 1. à cap. 12.* Notitia ergo ac cognitio brutorum cùm non ſit infuſa, ut in Angelis, nec per ſenſum acquiſita, ut in hominibus, non eſt opus rationis, ſed ſolius naturæ ſeu inſtinctûs naturalis, qualis etiam in lapide eſt deorſum labentis.

Ratio eſt 5. Opera rationis non ſunt ad unum determinata, & ideo non omnes homines unam tantùm, & eamdem artem exercent, nec ſemper eodem modo, & decurſu temporum in eadem arte proficiunt, evaduntque politiores; nec enim omnes cantant, & ſi cantant, non omnes eodem modo: non omnes navigandi, non omnes ſculpendi artem callent: ſecùs in animalibus: omnes luſciniæ eodem modo (quamvis una ſuaviùs alterâ) canunt, ſed non texunt, non natant, non venantur &c. omnes ciconiæ eodem cibo veſcuntur: omnes cervi fontes amant, & fugiunt: ſi aliquem radium rationis habent, quî rogo contingit ut nullam artem præter innatam diſcant? cur non ciconiæ mellificant? cur formicæ ut bombices non texunt? cur milvi non manſueſcunt ut columbæ? cur turtur non canit ut alauda, hæc non gemit ut turtur? ſi enim turtur rationem habet, eâ utique diſcere aliquid poterit præter innata, nec tantillæ cantilenæ organa deſunt. Cornices annos 100. phœnices 500. vivunt, & tamen neutra majorem cognitionem, aut notitiam annis acquirit; id verò fieri non poſſet, ſi ratione uterentur.

Ratio

Ratio est 6. Qui brutis rationem tribuunt, eo maximè argumento moventur, quòd miræ aliquando sint brutorum operationes, & quæ ad propositos fines ne ab homine quidem prudentiùs & accuratiùs institui possent, sed hæc ratio non tantùm non convincit, sed etiam nihil probat; *primò*, quia nimium probat; nam etiam in plantis ac in rebus inanimatis mirabiles quædam operationes & adeò finibus suis aptatæ, ut ne à prudentissimo quidem aptiùs dirigi possent: quis Mathematicorum posset aperto & circumacto circino circulum æqualiùs describere, quàm qui in iride à radio solis relinquitur? an ideo radius solis intelligit? Pavo ex gutta sanguinis nascitur, quis pictorum, & textorum aut penicillo, aut acu ac opere plumario posset filamenta plumarum subtiliùs texere? tot ocellis distinguere? tot colorum illecebris ac floribus pingere, ac quâdam infusâ luce inaurare? jam luteo, jam viridi, jam aureo, jam cæruleo, jam janthino, jam omnium mixturâ, colore sensim & per cæca incrementa aut diluto, aut incenso, ut nihil pulchrius ne ab Apellis quidem penicillo prodire possit? an igitur gutta sanguinis in pavone intelligit? nec intelligit tantùm, sed etiam pictoriam & geometricam callet?

Sed nihil æquè ac seminum vis plastica & formatrix omnem vincit admirationem, omniumque hominum industriam. *Vis grani cujuslibet seminis*, inquit Augustinus *Tr. 8. in Joan. magna quædam res est, horror est consideranti:* jactum in terram radices fibrasq; deorsum figit, ac spargit, quibus & alimentum sugat, & futuram arborem, tot ventorum, ac procellarum flatibus invictam reddat, ne verò aut æstu, aut frigore, aut calcatu pereat, in terram penetrat, latetque: quid, si in illius granuli sinu & Archimedes & Vitruvius degerent, sapientius dictare possent? germinat paulatim, & in virgam, in caudicem, in truncum duratur, cui velut mollior tunica, ne interna lædantur, liber & phylira obducuntur; externus cortex scaber, callosus, musco prætextus, ut validiùs resistat: medulla medium obtinet, in qua vis genitalis, & vitæ sedes: omnia fibris, poris, filamentis, venulis sparsa, quibus alimentum, succusque ducuntur: ex surculis primò gemmæ, folliculi, flores, folia, fructusque, & semen intimo fructuum sinu re-

conditum, ut perennent: folia & florem tegunt, inumbrantque, & frigus arcent: quanta in ijs varietas, quæ singulas arborum notat, distinguitque? alia lata, alia angustata, mucronata, capillata, circinata, angulata, & mille venularum inter se discurrentium meandris pertexta: quanta in floribus gratia, venustas, partiumque proportio? quæ irides, deliciæ, ac mixturæ colorum? alij guttatim, alij virgatim, undatim, ocellatim picti: alij nivibus, alij flammis, alij cœlo, cùm serenum est, pares; alij simplici, alij mixto, alij omnium coloribus tincti; & odores gratiam augent: quid rogo, si uni flosculo exornando & pictor suos colores, & textor suos pectines, & fullo suas aquas, & geometra suos circulos ac proportiones, & Indus suas byssos, & Arabs suos odores conferrent, nihil exquisitius planè conficerent, imò ne conficerent quidem, & tamen quod non posset tot artificum chorus, potest in rudi semine bulboque laborans vis naturæ, quis ideo dicat bulbum floris intellectu & ratione præditum esse?

Si ergo non ideo flos intelligit, quamvis in flore aliqua sit operatio, quæ omnem intellectum, ac humanam industriam vincit, multò minùs colligere licebit, brutum intelligere, quia aliqua facit, quæ imitantur quidem industriam humanam, non tamen æquant, multò minùs superant.

Resp. Secundò: Miræ brutorum actiones meritò possunt, & debent referri in instinctum naturalem singulis brutis à Creatore impressum, id enim eorum conservationi necessarium erat, ut vid. appeterent suæ vitæ ac perfectioni necessaria, fugerent noxia: sagitta in scopum rectà evolat, non quia aut scopum, aut viam cognoscit, sed quia impetu movetur, quem à jaculatore accepit: si posset penicillo motum artificiosum pictor imprimere, ut solus & sine manu artificis per tabulam duceretur, ac imaginem absolveret, ratio & ars non in penicillo sed artifice esset. In una machina horaria, quàm multi, varij, mirique sunt rotarum motus? sursum, deorsum, tardi, veloces, muti, sonori, omnes per æqualia spatia distincti, omnes cœlorum motibus pares; quis non crederet singulas rotas à singulis mentibus, ac Intelligentijs regi? & tamen tota vis & artificium in ponderibus est, unico ac simplici motu deorsum vergentibus; hoc ergo instinctus naturalis

est

est in brutis, quod pondus in horologio, impetus in sagitta; non rota, non sagitta, non brutum sapit, sed qui rotæ pondus, sagittæ impetum, bruto instinctum dedit, hoc est, Deus.

Cùm ergo cervus v. g. singulis annis mense Aprili amittens cornua opacis locis se occultat, ac noctu pascit, donec recipiat cornua, quæ cùm creverint, soli exponit, ut durentur, & excoquantur, non ideo facit, quòd cognoscat se cornibus amissis inermem esse, noctem ab insidijs tutam, opaca latibulis idonea, solem mollibus durandis opportunum esse; sed quia in hisce circumstantijs impetu quodam, ac instinctu naturæ silvas, noctem, solem apprehendit, ut amica, & consentanea naturæ, nesciens ob quem finem; sicut cùm mediâ nocte horologium duodecimam sonat, non ideo est, quòd rotæ mediam esse noctem cognoscant, sed quia ab Artifice ita directæ sunt; & pondere urgentur, ut in hac temporis circumstantia non aliam, quàm duodecimam sonare; & index seu gnomon non aliam notare possint. *Instinctus* ergo nihil aliud est, quàm impetus quidam & appetitus naturæ in bruto (qualis in lapide est motus deorsum) in certis circumstantijs ad unum potiùs, quàm aliud determinatus, & varius pro varietate formæ specificæ, ac temperamenti, quo fit ut certo tempore apis favum, araneus telam, bombyx sericum, avis nidum construat: picus cùm primùm clavum cavernulæ suæ, in qua nidum habet, adactum videt, herbam quærit, quâ allatâ admotaque statim exilit ferrum cum crepitu arboris: viso itaque clavo in nido, mox in anima pici cæcus quidam impetus, & instinctus ac appetitus in silvam evolandi nascitur, ubi visâ herbâ illam, ut convenientem per phantasiam, seu æstimativam appetit carpitque, eodemque instinctu clavo applicat: hujusmodi instinctus sæpè etiam homines in se experiuntur, ut cùm nescientibus lachrymæ cadunt, timor, aut horror incutitur &c. imò etiam rebus inanimatis, ut heliotropio ad solem, magneti ad polum &c. Vide S. Thom. *1. p. q. 78. a. 4.*

Ratio est 7. Quæ ratione utuntur, quo meliori sunt cerebro (hoc enim est sedes rationi) sensu, organis ac temperamento, eò meliùs ratiocinantur & discurrunt, pollentque industriâ & sagacitate; è contrà quibus ista desunt, sunt inepti, stupidique, ut in

Q 2 pueris,

pueris, & amentibus patet: ſed contrarium in brutis experimur, araneus enim, formica, bombyx, apis ſunt ad ratiocinandum ineptiſſima, carent enim corde, cerebro, ſanguine; ſunt naturæ frigidæ, oculo hebeti, ut videre eſt apud Aldrovandum *l. 1. de inſectis.* & *c. 1. de apib.* Ariſtot. *de partib. animal. l. 2. c. 7.* & tamen ſunt ingenioſiſſima; non ergo illorum induſtria à ratione, ſed inſtinctu eſt; alioquin equi, leones, boves præcellerent. Illa apis, quam alij Dædalam, alij *ἀριστότεχνον* appellant, hoc eſt, artificem & optimè laborantem, quæ ut Geometra peritiſſimè ſtruit, cellas enim ſexangulas & æqualium angulorum ſine circino & regulis fingit, ut plus mellis in tot angulis velut penuarijs condat: quæ chymicam callet diſtillato ex floribus melle; quæ Aſtrologum agit (præſentit enim pluvias, nec exit niſi ſereno cœlo) quæ nauticam æmulatur (ſaburrat enim & onerat arenulis crura, ne vento, cùm incitatior eſt, rapiatur) quæ medicinâ & politicâ præſtat (cùm enim noxios flores guſtavit, ægrotatque, libatâ hominis urinâ ſanitatem quærit: cùm dormit, ſupinè quieſcit, ne alis à rore madefactis volatu prohibeatur: habet caſtra, buccinam, excubias, regem, & tamen animal tantæ artis ex cerebro ſtolidiſſimo, hoc eſt, bovis naſcitur, caret corde, pulmonibus, cerebro, hoc eſt, præcipuis ratiocinandi inſtrumentis, cur ergo magis ratione vigeat, quàm quibus illa ſunt? & ſi homo ratiocinari ſine cerebro non poteſt, cur poſſit apis, formica, bombyx?

Ratio eſt 8. Homo ideo factus eſt ad imaginem Dei, quia habet animam rationalem, ergo & bruta, ſi æquè animam rationalem habent; quòd enim imperfectiùs, quàm homo ratiocinentur, nihil *obſtat*, ſequitur enim non eſſe imagines æquè perfectas; ſicut nec homo eſt imago Dei, æquè ac Angelus perfecta.

Dices: Bruta carent libertate.

Reſp. Libertas peccandi non pertinet ad rationem imaginis & ſimilitudinis cum Deo: libertas verò indifferentiæ, & imperfecta agendi hoc vel illud non magis bruto, quàm ratio repugnat, cur enim magis bruto repugnet imperfecta voluntas & libertas, quàm imperfecta ratio?

Objicitur 1. Sermo eſt nota & proprietas rationis; ſed bruta poſſunt ſermocinari. Apollonius Thianæus Epheſi aliquot annis ſer-

sermones & idioma passerum interpretatus est, ut modò in scholis græca, aut arabica docetur. Aliquando cùm Ephesinos ad mutuam concordiam pacemque hortaretur, passer in arborem consedit, cœpitque garrire; mox revolavit, & cum eo alij omnes passerum globi: Apollonius passeris garritum intentâ aure observans. *Hic*, inquit, *passer sodalibus suis puerum in angiportu triticum sparsisse nuntiavit, invitavitq; ad communem mensam:* procurrerunt adstantium aliqui, spectaruntque pabulantes passerum greges. Intellexit ergo Apollonius garritus & sermones passerum. Philostratus *in vita Apollonij l. 4. c. 1.*

Psittacus Henrici VIII. è regio palatio in Tamesin lapsus, *cymbam cymbam vel pro viginti libris*, clamavit: extractus à quodam, cùm liberator promissam mercedem reposceret, psittacus regi, *date nebuloni solidum*, respondit. Aldrov. *l. 2. Ornith.* Alius litanias canere auditus. Schottus *Philos. curios. l. 7. assert. 6.* Alius ab accipitre deprehensus, & jam vorandus *Ave Maria* exclamavit, prædone ad has voces extincto. S. Melito apud Calamat. *in Silv. dis. 44.* Idem narrat Nieremb. *l. 3. c. 11.* de psittaco, qui à miluo correptus clamavit, *S. Thoma ora pro nobis*. Alius in ædibus Cardinalis Ascanij totum symbolum recitavit. Balingen. *Zooped. Tit. Educatio.* Basilius Imp. filium Leonem à Santabareno impostore & mago parricidij accusatum carceri incluserat: senescebat in vinculis & supplicium expectabat. Basilius solemni convivio senatum exceperat. In medio epularum psittacus Imperatori charus gementi similis in has voces prorumpere: *αἲ κύριε λέον, αἲ κύριε λέον.* Senatus in preces & lachrymas Principi affusus libertatem innocenti petere & obtinere. Cedren. *in vita Leonis.*

Hyæna sermonem humanum assimilat, & nomina pastorum addiscit, quos foras evocatos devorat. Plin. *l. 8. c. 30.* Hannon Chartaginensium Gubernator picos, monedulas, psittacos, aliasq; aves toto Orbe sparsit, quæ voce humanâ hæc verba garrirent: *Θεός ἐστιν ὁ Ἄννων.* Ælianus *l. 14. c. 30.* Tiberio Principe corvus omnibus matutinis evolans in forum Tiberium, Germanicum & Drusum Cæsarem, mox transeuntem populum Romanum salutabat; extinctus super constratum lectum humerosque duorum

 Æthio-

Æthiopum præcedente tibicine & coronis omnium generum ad rogum usque delatus est, populo Romano ingenium avis venerante. Plin. *l. 10. c. 43.*

Erat Antiocho Regi elephas cui nomen Ajax: cùm flumen transmittendum esset, & renueret, à magistris pronuntiatum, inter eos principatum obtenturum, qui primus transvadâsset, continuò elephas principatûs, & gloriæ avidus in fluvium primus ruit, alter vinci erubescens inediâ perijt. Plin. *l. 8. c. 5.* Erat in urbe Cochin elephas operas diurnas præstare solitus ad portum & res maritimas. Defatigatum urgebat Præfectus, ut Liburnicam deduceret: abnuenti blanditur, rogatque ut in gratiam Lusitaniæ Regis id agat; hîc elephas voce clarâ *bo bo* ingeminans, quod Malabaricâ linguâ *volo* significat, alacriter ac sine mora navim in mare traxit. Acosta *in hist. Ind.* Emmanuel Lusitaniæ Rex elephantem nomine Hannonem ad Leonem X. PP. destinaverat: Magister tædio longæ peregrinationis, & quòd amicam desereret, persuadet belluæ, malè habitum iri, si pergeret; nullâ ergo vi moveri potuit. Rex Magistro extrema minatur, si cum bellua intra triduum iter non ineat; ille elephantem mulcere, hortari, ad Maximum Orbis Dominum, Mundique Reginam Urbem destinari, illic in amoribus ac delicijs fore &c. Intellexit bestia & solvit, Romamque libens venit. Pierius *de eleph.* Simile quid Plinius refert de Pompejo, cùm ex Africa solvere pararet, & elephantes nullâ vi possent in naves compelli, quasi intelligerent se ad cædes, & theatra duci, Pompejum à Magistris monitum per Deos elephanti jurâsse, procul illum à theatro & gladijs habitum iri: sic metu solutos iter aggressos. Cùm verò Romæ contemptâ religione gladijs in arena cæderentur, proboscide cœlum versus jactatâ Deorum fidem implorâsse. Furorem Veneris annuum non aliter medentur, quàm exhortatione, & dedecore proposito: *Illum Regem, illum Platonem, ac oculum animantium ad eas sordes ac ludibria dejici? quid homines, quid alias quadrupedes æstimaturas, ubi elephantem viderint, delicias rerum, corculum sapientiæ, florem omnium gratiarum, turpissimâ fœdari voluptate? Vinceret cæcum illum Cupidinem, imperaret amori, sic famâ immortalem, sic Scipionibus, Alexandris parem fore &c.* His mitescunt & cicurantur. Nieremb. *l. 3. c. 12.*

Ægy-

Ægyptiorum Rex Matthes cornicem habuit, quâ tabellarij loco utebatur; ea ubi audîsset, quò & ad quos perferendæ epistolæ, pervolabat, reddebat, remeabat, nullo itineris, aut hominum errore: sepulchrum & cippus extinctæ positus. Ælianus *l.6. de animal. c.7.* Vide plura apud Lelium Bisciolam *horar. subcis. l.15. c.2.* Scottum *Mag. natur. l. 1. Syntagm. 5. c.1. & seqq.* Nieremb. *l.3.c.12.*

Si ergo belluæ & loquuntur & sermones humanos intelligunt, ergo rationem habent.

Resp. 1. Negando bruta sermone uti, sermo enim est interpres mentis, & ideo duo dicit: verbum internum mentis, & externum oris: primum est anima & forma sermonis; sicut ergo talpa habet quidem externa lineamenta & formam oculi, non tamen propriè oculum, quia caret pupillâ; & statua hominis non est homo, quia formam internam hominis non habet; ita voces brutorum propriè non sunt sermo, sed tantùm sermonis imitatio; sicut ergo etiam rupes vocem humanam quam acceperunt reddunt, sic picæ, cornices, psittaci voces humanas longo studio, & consuetudine illorum phantasiæ ac memoriæ impressas (psittaci enim ferreo radio in caput sæpè impacto docentur) aut aliàs sæpè auditas accipiunt quidem, retinentque, ac certis circumstantijs, subinde casu, subinde excitatis speciebus repetunt, non tamen verè loquuntur, quia non formant conceptum internum verbis respondentem, cujus evidens signum est, *tum* quia non garriunt nisi sæpiùs audita & inculcata; *tum* quia licèt doleant, ægrotent, sitiant, esuriant, libertatem cupiant, nihil istorum verbis articulatis exprimere possunt, cùm tamen alia & eorum necessitatibus planè extranea loqui audiantur. Cur ergo psittacus, si loqui potest cùm sitit, non dicit *sitio?* cùm esurit, non dicit *esurio?* sed illa tantùm verba, quæ edoctus est? Cùm ergo brutorum verba sint à principio tantùm extrinseco, non ab intrinseco, hoc est, à verbo interno, non sunt propriè sermocinatio; alioquin & statua 30. annis à B. Alberto elaborata, quam humana verba longo contextu pronuntiantem S. Thomas baculi ictu confregit, dicenda fuisset ratione uti; æquè enim ac multò plura, quàm ullus psittacus elocuta est. 2. Negari etiam non potest, artes magicas hujusmodi brutorum garritionibus

bus ac ſagacitatibus miſceri, ut in paſſeribus Apollonij & cornice Marthis perſpicuum eſt: elephantes verò non rationum vi, ſed blanditijs geſtuque ac flexu vocis aſſuetæ ac notæ moventur.

V. *Objicitur 2.* In brutis animalibus magna induſtria nidificandi, medendi, paſcendi, hoſtes repellendi cernitur, quæ ſine ratione fieri non poſſunt.

Cancer oſtreæ, conchæque pulpis & carne veſcitur: latet & inſidiatur ubi frequentes ſunt: ubi videt ad ſolem hiantibus teſtis expandi, calculum immittit, ne teſtam complicent,& chelis prædatur. Piſcis Tremelga ſeu Torpedo adnatantes piſciculos ſomno ligat, & ita torpentes, ſtupidoſque capit. Eadem cùm hamum piſcatoris ſentit, neſcias quo veneno brachium piſcantis rigore perfundit, & ita labente cannâ evadit.

Cervus ſagitta percuſſus dictamnum herbam quærit eaque telum eijcit: à phalangio vel araneo læſus cancrorum eſu ſibi medetur. Hirundines chelidoniâ pullorum oculis medentur. Teſtudo cùm viperam comedit, origano utitur. Canis cùm bile æſtuat & in rabiem agitur, herbâ vomitum provocat. Urſus mandragoram fortè depaſtus ægreſcit, ſed formicarum eſu reſtituitur.

Draconi ſuccus lactucæ agreſtis remedio eſt. Coturnices, palumbi lauri folijs ſanantur; vulpes pini lachrymâ ſeu gummi. Elephas cùm à venatoribus premitur, deſperatâ fugâ dentium ebur, ob quos ſe appeti ſentit, proijcit, & venatorem moratur.

Erodius cum falcone aut accipitre in aëre depugnans primò cibos ejicit,ut tantò levior ſit ad volatum, deinde ubi jam imminentem ex alto prædonem videt, ſupinus in tergum recumbit roſtrumque præacutum opponit, quo ruentem in ſe hoſtem defigit. Boves cùm à fera invaduntur, in orbem ſe colligunt, & cornua velut vallum irruenti obvertunt; equorum verò greges quia fronte invalidi ſunt, & ipſi etiam in globum coëunt; ſed clunibus & calcibus in hoſtem verſis.

In Inſula Ceilan mirabile & plenum artis ac induſtriæ inter muſtelam parvum animal & draconem pileatum certamen eſt; hujus tam lethale venenum eſt, ut 24. horarum ſpatio afflatos necet; ſed præſens morti remedium eſt ex folijs cujuſdam arbo-

arboris in eadem insula natæ, quorum vel solo odore halituque serpens languescit, & somno velut solvitur. Mustela igitur folijs se satiat, & irruentem bestiam odore & halitu conficit. Si verò imparatam nec antidoto præmunitam serpens aggrediatur, in specum fugit eâ arte constructum, ut duplex in eam adytus sit: alter prælargus & vasti corporis patiens; alter verò angustus: in hunc se recipit, & draconem cum angustijs luctantem hærentemque velocissimè invadit, mediumque scindit; quid sagacius vel à prudentissimo fieri posset?

Grues cùm iter habent, una excubias agit, reliquæ somno indulgent: ne verò excubanti sopor irrepat, uno stat pede, lapillum altero gestat, cujus cadentis sono, si fortè somnus occupet, ad officium revocatur. Ne insomnis agat, expletis excubijs, leni sono vicinam excitat, & lapillum ac officium tradit. Taurum transmissuræ, ne aquilis, quarum illic magna copia, crepitu vocum prodantur, calculis rostrum gravant.

Pinna conchæ aut limacis marinæ genus est, nec oculis, nec motu valet; quid agat cibum quæsitura? societatem cum pſilla pisciculo init, tum concham, testasque pandit: irruunt in cæcam immotamque pisciculi certatim: tum pſilla exploratrix pungit monetque pinnam, quæ ore compresso quidquid inclusit, exanimat, prædamque cum socio dividit: sine hoc comite, quem pinnophylacem vocant, nunquam est pinna. Vide Plin. *l. 9. c. 42.* & Cic. *2. de nat. Deor.*

Mira quoque aquilæ industria & plena gratitudinis. Hyeme cùm noctes frigidiores, ac longiores sunt; avem priùs captam nocte totâ unguibus tenet, non lædit tamen, sed solo ejus calore fovetur, tum sole iterum calente intactam dimittit, ac in præmium obsequij donat libertate; & ne in illam avolantem incidat, volatum contrarium ac ex opposito tenet.

Elephantes 24. Indorum Regi assistunt alternis vigilijs, sibique in stationes succedunt, nec somno cedunt, militum more, jaculantur ad scopum, saltant, adorant, fidibus ludunt, per funes incedunt. Vide Plin. *l. 8. à c. 2.* Aristot. *l. 9. de hist. animal. c. 11.* Ælian. *l. 2. de animal. c. 11.* & *l. 1. 3. c. 22.*

Mirum est rationis specimen, quod de simio Castarenula

in annalibus Britanniæ, Fortunius Licetus *l. 2. de monstris c. 68.* Densingius *dissert. de ratione brutor. n. 67.* Scottus *l. 7. de mirab. animal.* scribunt: Mulierem quamdam nescio cujus criminis ream in desertam, ac simijs frequentem insulam deportatam esse; excepêre hospitem simij quamplures in orbem acti: paulò pòst grandior prodit, alijs cedentibus: ille fœminam blandè & amantis in modum manu capit deducitque in antrum: tum pomis, radicibus, nucibus congestis ad epulas invitat. Post epulas amat, deperit, & maritum agit. Ex his nuptijs duos mulier simiolos peperit. Post annos aliquot eò navis Lusitana aquatum appulit. Mulier accurrit & lachrymis infusa à tam fœdis nuptijs divortium rogat. Recepta in navim, insulam, ac thorum deserit. Aberat simius, redieratque in specum navi jam jam solvente. Ubi fugam sensit, inconditis gestibus, fremituque sponsam revocare, querelas in litore ac gemitus miscere: cùm nihil ageret, concito in specum cursu simiolum ex fœmina susceptum rapit, reditque in litus ac matri ostentat quasi mersurus, ni redeat, mersitque. Idem cum altero factum. Ubi contemptum se videt, nec amicam redire, præceps in undas ruit, sequiturque natatu fugientem, donec pelago victus est. Sunt verò hujusmodi ex simio partus (qui frequentes in Peruana provincia sunt) capite humano, cætera simij. Quid poterat revocandæ vincendæque matri potentius fieri ab homine, & amante?

Aliud amoris specimen in elephante recitat Plinius *l. 8. c. 5.* Et ex eo Lipsius, amâsse vid. virginem corollariam Aristophano Grammatico prædilectam: forum in quo ea desidebat, crebrò adire, blandè assidere, gestu, gemitu, suspirijs suas flammas testari, flores, fructusque ac stipes congestas in amicæ sinus effundere, crederes te Paridem aut Adonidem aliquem amore elanguidos videre.

Oculatis testibus & certis nuntijs compertum est, in Peruana regione simias cum incolis pro argento ludere, ubi vicerint, unà tabernam petunt, & pretium ex lucro numerant. Nieremb. *l. 1. c. 13.* Latrunculis lusisse narrat Pierius. Leo involutis semper & velut in vagina reconditis unguibus ambulat, ne atterantur, aut vestigijs prodatur, & vestigia siquæ solo impressit arenâ confundit.

Hirun-

Hirundines cùm limo carent, aquam quærunt, eaque alas leviter madefaciunt, tum se pulveri involvunt, factoque limo nidos incrustant, plumaque insternunt, quà pulli proximè jacent, ne offendantur, reliqua paleis & festucis. Grues cùm serenum est, lunato sinu incedunt: cùm ventus surgit, mox cuneum formant, ac ipso mucrone ventum faciliùs scindunt, luduntque acie cuspidatâ; nam si quadratâ aut lunatâ incederent, vento paterent, ac raperentur. Paulò ante Cæsaris mortem greges equorum pabulo abstinuêre, profusis ubertim lachrymis. Vide Plin. *l. 8. c. 42.* Idem lachrymas leoni tribuit, eumque lachrymis ac precibus supplicum fœminarum maximè leniri docet, ac exemplis confirmat; illud quoque magnæ mentis in leone indicium est; quantumlibet magnâ canum ac venantium vi urgente, in campis & ubi videri potest, contemptim, restitansque cedit; ubi silvas & virgulta penetravit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudinem loco. Psittacus cùm à Lusitanis in naves translatus esset, ubi frigere cœpit, aliàs calori nata avis, infantium more vagire cœpit, nec priùs lachrymis caruit, quàm stragulâ integeretur. Bisciola *in hor. subcis. l. 15. c. 2.* Elephantem Regis Pegu Domini sui in prælio cæsi mortem quindecim dies veris lachrymis luxisse oculati testes retulêre apud Nieremb. *l. 9. c. 92.* Plura alia videri passim apud Auctores citatos possunt. Si ergo bruta & loquuntur, & plorant, & amant, & struunt, & texunt, & ludunt, & medentur, & figurarum proprietates callent, imò futura præsentiunt, quid illis deest, quò minùs ratione utantur?

Si dicas, formam illis humanam deesse, *Contra est, tum* quia hoc tantùm convincit homines non esse, non autem carere rationali animâ, quæ ab effectu, usuque rationis æstimanda est, non à figura externa; *tum* quia negari haud potest, dari Tritones, Sirenas, Satyros hominiformes seu anthropophormos, ut experientia mille docuit exemplis, quæ videri possunt apud Plin. *l. 9. c. 5.* Pausan. *l. 9.* Ælian. *l. 16. c. 18.* Alex. ab Alex. *l. 3. c. 8.* Gesner. *l. 5. de Aquatil.* Majol. *Collat. 9.* Nierenberg. *hist. nat. l. 5. c. 14.* & *c. 6. & 7.* & *l. 11. c. 5.* Olaum M. *l. 21. c. 1.* Vives *de vera fide Christ. l. 2.* Scalig. *Exercit. 226.* Kirch. *l. 3. Artis Magnet. p. 6. c. 2.* Vide etiam Schottum *l. 3. Physica Curiosa c. 4.*

Resp. His omnibus nihil aliud probari, quàm brutis mirabiles instinctus ac impetus naturæ insertos, qui cùm sint quædam derivatio ac directio sapientiæ increatæ, mirum non est, si rationis ac mentis ductus imitentur. Ita S. Ambros. in Hexam. *Quis*, inquit, *hæc loca* (ad quæ hyeme confugiunt) *ostendit? hæc tempora? hæc mandata, & leges tradidit? quis hunc progrediendi ordinem? quis illis in tam longo itinere ne exerrent dux est? In hac re illorum Imperatorem agnosco, qui divinâ dispositione horum animalium sensibus hoc edictum novum dedit, & sine verbis hujus doctrinæ ordinem tradidit; non enim solùm ad res magnas illius providentia pervenit, sed vel ad minimas.* Sicut ergo vis plastica & formatrix semini à Deo impressa omnem industriam ac artem & rationem humanam superat, non quòd ipsa intelligat, sed quia intelligentis Dei instrumentum est; ita & vis sensitiva, ac æstimativa brutorum; alioqui si omnia illa quæ à brutis fiunt rationis opera sunt, non tantùm ratio ac intellectus humanus brutis, sed Angelicus tribuendus erit; quis enim hominum mel, ceramque ex floribus ac rore conficiat ut apes? quis ad loca remotissima sine duce & stellis recto itinere feratur ut hirundines? quis herbas dignoscat frangendo ferro, rapiendis sagittis, pellendis venenis, reparandæ juventuti idoneas, ut picæ, cervi, mustelæ, serpentes? quis futuras pestes præsagiat, ut ciconiæ & mures? ludus ista Creatoris sunt invisibili modo visibilia operantis, non prudentia ac ratio brutorum.

Amores brutorum quod spectat, amant utique homines vel amore sensitivo, & ob bonum aliquod sensibile à phantasia illis repræsentatum, vel etiam amore naturali & innato, ut flores humorem, hedera plantam, vitis ulmum, smaragdus virgines (frangitur enim pudore læso) caryophyllon aquas &c. Cæterùm ex bruti & mulieris complexu hominem nasci posse omnino negandum videtur, *tum* quia mulier non concurrit activè ad hominis generationem; quamvis enim genituram habeat, ea tamen non habet vim formatricem, sed tantùm formabilem & passivam: sicut argilla non habet vim plasticam & effectivam fingendi vasa (hæc enim in solo figulo est) sed tantùm passivam, ob quàm figulo formandis vasis est necessaria, ut expresse D. Thomas *1. p. q. 32. a. 4.* Aristot. *l. 1. de generat. animal. c. 19. & 20.* & quamvis multi

multi contra D. Thomam & Aristotelem sentiant, omnes tamen in eo conveniunt, hominem sine mare ejusdem speciei non generari. *Tum* quia sicut ex grano frumenti non nascitur nisi frumentum, ex semine mali non nascitur nisi malum, non autem pyrus, aut abies, aut quercus; multò ergo magis ex urso non nascitur nisi ursus, non autem homo. *Si dicas*, mulierem solam eo casu generationis esse causam. *Contra*, ergo non fuerit miraculum Deiparam ante partum fuisse virginem, & sine viro concepisse; sicut enim miraculum non est ex arbore pomi pomum nasci sine consortio alterius plantæ, quia arbores sexum non requirunt, idem dicendum erit de S. Virgine, sine miraculo potuisse illam & concipere & parere solam, quod omnino contra Sacras Scripturas, omniumque Patrum sententiam est; quærenti enim virgini: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco:* non respondit Angelus; nescis, naturam hoc posse? nescis & vites & plantas sine marito parere? sed: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum:* ubi manifestè hoc soli Divinæ Omnipotentiæ, non naturæ adscribitur.

Nec obstat, multa esse animalia, quæ virgines & sine marito concipiant; equæ enim Hispanicæ ac Cappadocicæ vento concipiunt, testibus Plinio *l. 8. c. 42.* Solin. *c. 36. Polyhist. c. 57.* Varr. *de re rust. c. 1.* Colum. *l. 6. c. 26.* S. Aug. *l. 21. de Civ. c. 5.* Idem de vulturibus & perdicibus ac etiam gallinis, vento vid. gravidari testantur Ælianus *l. 2. c. 46.* S. Basil. *homil. 8. in Hexam.* S. Ambr. *l. 1. Hexam. c. 20.* Aristot. *l. 3. animal. c. 2. & l. 15. c. 2.* Phœnicem quoque ex odoribus & cineribus & thoro virgine nasci auctores sunt Plin. *l. 10. c. 2.* Solin. *c. 46.* Ælianus *l. 6. c. 58.* Tacitus *l. 6. hist.* Pompon. Mela *l. 3. c. 9.* S. Clemens *l. 5. Apostol. Tradit. c. 6.* Cyrill. *catech. 18.* S. Epiph. *in Physiolog. c. 9.* S. Ambr. *l. 5. Hexam. c. 23.* Tertull. *de Resurr. c. 13.* S. Aug. *Serm. 18. ad Fratres.* S. Cyprian. *in expos. Symb.* Aldrovand. *l. 12. c. 28.* Idem quod de phœnice Orientali, de alia Americana certissimis testimonijs constat apud Nieremb. *l. 10. c. 1.* ubi scribit, eam cum floribus nasci, ijs verò marcentibus ad pinum devolare, rostroque hærere sex mensibus exanimem, donec cum vere & floribus vitam recipiat. Idem de ave Ephemera circa Hyparim fluvium ex folliculo erumpente scribit Aristot.

l.1.c.1. & *l.5.c.19.* Si ergo in tot animalibus fœmina fine viro concipit, cur non etiam in homine? generatio enim non eſt actus hominis, quà talis, ſed quà animal eſt. Imò & de homine exempla ſunt fide digniſſima. Reges Danorum originem ex urſo trahere, à quo rapta & adamata Virgo eximiæ formæ puerum eleganti vultu ac præcipuo robore, hirſuto tamen corpore peperit, cui nomen Urſus, ab hoc Trugillus Dux, & à Trugillo Ulffo, & ab Ulffone Suenus primus Daniæ Rex. Teſtes ſunt Saxo Grammaticus *l.10. hiſt. Dan.* Joan. M. Epiſcopus Upſalenſis. Olaus M. *in hiſt. Septemtr.* Joannes Barrus Luſitanus conſtanti traditione proditum ait, Reges Pegu à puella naufraga, cui canis aſſueverat, genitos eſſe. Nieremb. *l.5.c.7.* In Gallæcia familia Marinorum ex puella Tritoni marino chara originem ducit. Idem *loc. cit.* Noſtris quoque temporibus mulier ad inſulam Lacertorum deportata liberos aliquot ex ſimio ſuſtulit. Antonius Turrecr. apud Nieremb. cit.

Reſp. Equas Hiſpanicas quod attinet, fabula eſt, vento gravidari, ut expreſsè teſtantur Juſtinus *l.44.* Ariſt. *l.6. de hiſt. animal. c.18.* & *l.2. de generat. animal. c.4.* Reſenius *l.1. antiq. Luſitan.* apud Schottum *l.7. Phyſic. Cur.* & experientia ipſa omni teſte major; nec enim totâ Hiſpaniâ hujusmodi equos reperire eſt ſolo vento genitos: cauſam fabulæ dedit, *tum* celeritas equarum ventorum æmula, *tum* ex fœcunditate earum, *tum*, & præcipuè, quòd cùm equire & furere incipiunt æſtu & curſu agitatæ, in ventum obvertuntur, aureſque, niſi maritum reperiant, avidè trahunt, ex quo molam, hoc eſt, maſſam carnis informem concipiunt, egeruntque veneno mixtum, quod hippomanes vocant, veneficijs, ac philtris aptum. Vide Ariſtot. *l.6. de hiſt. anim. c.18.*

Quâ ratione etiam gallinæ & perdices ova edunt ὑπηνέμια, hoc eſt, ſubventanea, ſed ſterilia, ac vento, non fœtu plena. Ariſtot. *l.6. de hiſt. animal. c.2.* Alij Zephyria vocant. Vultures non vento concipiunt, ſed nidificant, venerem exercent, & ſexu diſtinguuntur, teſtibus Plinio *l.10.c.6.* Alberto M. apud Aldrov. *l.3. Ornith. c.1.* & ipſo Aldrovando, Schotto cit.

Quæ de phœnice traduntur, multis, & meritò ſuſpecta ſunt, ut videre eſt apud Geſn. *l.3. de avib.* Aldrov. *l.12. Ornith. c.28.* Co-

nimbr. *de cæl. l. 2. c. 3. q. 6. a. 4.* Schott. *l. 9.* aliosque: & ideo Auctores, qui phœnicis meminêre, semper dubij loquuntur, & ex aliorum relatione, ac velut fabulosa, ut patet legentibus. Videtur ergo phœnix avis potiùs symbolica quàm vera: quis enim quingentis annis vixit, ut phœnicis annos numeraret? quis illi conflagranti & ex cineribus resurgenti assedit? unde illis constat unam tantùm & eamdem esse? sed demus hæc de phœnice & alijs similibus, negandum tamen de animalibus & hominibus, quibus sexuum differentia, ut bene argumentatur Aristoteles *l. 2. de generat. animal. c. 4.*

VI. In brutis lachrymas ac fletum cum experientia tum ratio cogit admittere: experientiam probant, quæ in objectione adducuntur, ratio verò est, quia fletus nihil aliud est, quam expressio lachrymarum per deputata organa, ex interno aliquo animi affectu, mœrore vid. dolore, aut etiam gaudio: hæc verò omnia in brutis sunt, dolent enim, tristantur, & gaudent, cùm hi omnes actus pertineant etiam ad appetitum sensitivum, sintque de objecto sensibili: habent etiam organa ad veras lachrymas emittendas; sive enim lachrymæ sint excrementum aqueum cerebri (nam excrementa vaporosa per commissuras, suturasque cerebri exhalantur) ad oculorum glandulas angulosque extremos derivatum, earumque restrictione velut è spongia expressum; sive sit quidam cerebri sudor, est enim calida & salsa; constat hæc omnia in brutis reperiri, non ideo tamen bruta ratiocinantur, quia, ut dixi, nihil est in fletu, quod usum rationis exigat, ut manifestè in lachrymis arborum, puerorum & amentium patet. Homini tamen frequentiores sunt lachrymæ, quia cerebrum illi amplissimum, spectatâ corporis proportione, & bovino duplo majus: sicut ergo homines cerebro abundant, ita & alimento, & excremento cerebri; quod sunt lachrymæ.

Non ideo tamen brutis sicut lachrymas, sic etiam risum concedimus; in risu enim hæc reperiuntur. 1. Objectum, quod sunt res novæ, repentinæ, lætæ, ludicræ cum quadam argutia, sicut in mimicis ac facetijs: 2. Requiritur motus cordis; offerente enim se objecto læto ac risibili, animus gaudio afficitur, & cor vehementer dilatatur, magnaque sanguinis efferve-

scentis

ſcentis ac ſpirituum vitalium ex hujuſmodi dilatatione fit diffuſio: & ideo qui habent plurimum ſanguinis dulcis, ſuntque naturâ ſuâ hilares, proni ſicut ad hanc dilatationem, ita ad riſum ſunt; ſicut & pueri amenteſque, quibus omnia nova ſunt, & admiranda. 3. Ex cordis dilatatione ac ſpirituum vitalium diffuſione oritur dilatatio diaphragmatis: eſt verò diaphragma ſubſtantia carnoſa, in medio membranoſa, ac nervis contexta, quæ cordi prætenditur (& ideo etiam præcordia vocantur) inſtar veli, *cum* ut illud à viſceribus ſeparet, *tum* ut cor à vaporibus, qui à ventriculo elevantur, defendat. 4. Ex motu & agitatione diaphragmatis ſequitur riſus, hoc eſt, oris ac faciei diductio, diaphragmatis enim nervi ramulis maxillarum ac labiorum permiſcentur, & ita fit illa faciei mutatio, quam riſum appellamus; quodſi percuſſo ac vulnerato diaphragmate muſculi faciei convellantur, labijs ac maxillis agitatis fit riſus ſardonicus & lethalis, quo multi aut nimio gaudio, aut diaphragmate vulnerato mortui ſunt ridentes. Vide Plin. *l. 11. c. 37.* Ariſtot. *l. 3. de part. animal. c. 10.* Ridere ergo ſoli homini convenit, ut loco citato tradit Ariſtoteles, *tum* quia riſus ex admiratione oritur, quæ ſolius hominis eſt, *tum* quia licèt etiam bruta & gaudium & diaphragma habeant, non habent tamen muſculum riſivum ac diductionem oris & maxillarum, quæ ad riſum neceſſariò requiruntur; *tum* denique quia in brutis ob imperfectionem ſanguinis ac cordis non fit tanta dilatatio & effuſio ſpirituum vitalium, quanta requiritur ad riſum.

Homines quod attinet ex fero & fœmina natos, aut fabulæ ſunt, ex vulgi opinione natæ, & hiſtorijs inſertæ; nec enim id novum, ut in Semiramide à columbis, Cyro à cane, Romulo à lupa nutritis exempla ſunt. Nec movet Saxonis Grammatici auctoritas, ejus enim hiſtoria à viris doctis ut fabulis permixta notatur. Vide Morer. *in Dictionar. Gall.* à Saxone verò, qui ſeculo duodecimo floruit, deſcripſit Olaus M. qui decimo quinto; refert ergo Olaus relata, non aſſerit. Vel dicendum eſt, in exemplis allatis dæmonem ſuas partes egiſſe, nec enim impoſſibile eſt ex dæmone & fœmina homines naſci. Alexandrum M. ex Olympiade matre & dæmone ſub forma ingentis draconis Deum mentien-

tientis conceptum esse Plutarchus scribit *in vita Alex.* & Philippum Regem Olympiadis maritum alterum oculum, quo per rimam serpentem viderat cum uxore colludentem, perdidisse. Ipsa Olympias *Alexandro*, inquit Plutarchus l. c. *arcanum ortum detexit, hortata ut pro natalibus animos gereret.* Idem de Scipione Africano narrat Livius. Vide Delrio *l. 2. disquis. magic. q. 15.* S. Thom. *quodlib. 6. a. 8. ad 6.* Molin. *1. p. q. 50. a. 1.* & Gloss. super illud Gen. *6. Gigantes erant super terram; postquam enim sunt ingressi filij Dei ad filias hominum, istaq; genuerunt; isti sunt potentes à seculo &c. Non est*, inquit, *incredibile à quibusdam dæmonibus ex mulieribus gigantes esse procreatos.* De Laodice Seleuci Nicanoris matre narrat Justinus *l. 15.* visam per quietem in amplexu Apollinis esse, ab eoque filium concepisse, accepto in præmium annulo. Evigilans fœmina añulum invenit anchorâ gemmæ insculptâ. Natus filius anchoram femori incisam habuit, & omnis deinceps Seleucidarum progenies.

VII. *Quæritur 5.* Utrum natura possit esse principium miraculosæ operationis?

Resp. 1. Nullâ virtute naturali, seu Angelicâ, seu diabolicâ fieri miraculum potest. Vide S. Thom. *1. p. q. 110.* & *q. 114.* & *quæstionib. disputat. q. 6.*

Ratio est 1. Miraculum est operatio contra inclinationem non tantùm particularis alicujus naturæ (aliàs projectio lapidis sursum, aut calefactio aquæ essent miracula) sed contra inclinationem & supra vires totius naturæ: sed quod fit viribus naturalibus seu Angeli seu dæmonis, non est supra vires, & inclinationem totius naturæ, nam & Angeli & dæmones sunt causæ naturales.

2. Si aliqua natura potest miracula operari, maximè poterit Angelica, quæ omnium est potentissima: sed hæc non potest, Angelo enim non est subjecta natura, *non enim Angelis subjecit orbem terræ, ad Hebr. 2.*

3. Ille solus potest in lege dispensare, eamque abrogare, qui aut legem condidit, aut supra legislatorem est: sed solus Deus leges naturæ posuit, & nulla creatura est supra Deum, ergo solus Deus potest miracula operari, quæ sunt quædam dispensatio aut immutatio legum naturalium.

4. Tempore Antichristi dæmon habebit maximam virtutem operandi, adeò ut si aliquando miracula facere possit, tunc maximè facturus sit, quia, ut dicitur Apoc. 20. *Oportebit eum solvi modico tempore.* Et ad Thessalon. 2. *Adventus Antichristi erit in omni virtute & signis*: sed tunc nulla vera miracula operabitur, nam ut adjungitur ibidem; *& prodigijs mendacibus &c.* Videbuntur ergo miracula, sed non erunt, hoc est, applicabunt per modum artis activa naturalia & nobis incognita passivis, sicut nos applicando semen, aut cepam terræ florem educimus, aut etiam fascinis & præstigijs miraque celeritate oculis illudet aut phantasiæ, idque per causas naturales & opticas, faciendo ut res nobis aliter appareant, quàm sint; sicut in somno, in coloribus iridis, motu cœlorum, alijsque patet.

5. Miraculum est quoddam testimonium divinæ virtutis & veritatis, ut sæpissimè Christus in Evangelio Joannis repetit: sed si possent ab alio fieri, quàm à Deo, non essent testimonium divinæ virtutis, aut veritatis, nec esset hæc bona consequentia: *Christus dicit se Deum esse, & in hujus assertionis testimonium miracula edit, ergo Deus est*: posset enim miraculum solis naturæ, aut dæmonis operâ ac viribus fieri, & ita testimonium falsi esse; sicut quia lucere non est proprium solius solis, sed etiam lunæ, ac stellarum, non sequitur: *Lucet, ergo sol est:* malè ergo Christus argumentaretur: *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me: si mihi non creditis, operibus credite: Si non venissem & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent.* Vide Matth. 11. v. 5. & Joann. 5. ubi Christus, *Ego*, inquit, *testimonium habeo majus Joanne, opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam, testimonium perhibent de me &c.*

Objicitur. Ægros repentè & absque medicinis sanare est miraculum, *Luc. 4.* sicut & mutis vocem, & cæcis visum reddere, & aquam in vinum convertere, ut ex Evangelio patet: sed hujusmodi miracula ope dæmonum, & consequenter virtute naturali apud Ethnicos facta sunt; Vespasianus enim dum esset Alexandriæ, cæcum salivâ, mancum aut manu laborantem calcatu restituit. Tacitus *histor. l. 4.* Suetonius *in Vespasian. c. 7.* Vestales Virgines duæ stupri accusatæ; alia hausit, tulitque ex Tiberi cribro hau-

haustam aquam: alia ingentem navim arenæ hærentem, nec ullis viribus & machinis mobilem cingulo traxit, innocentiæ testimonio. Brennum Gallorum Ducem cum exercitu viginti millium Delphicum templum spoliare parantem Apollo delevit, magnâ montis parte in subeuntes prolapsâ, & tempestatibus adeò sævis, ut ne unus quidem cladi superfuerit. Statuæ etiam locutæ, quod plus est, quàm muros loqui. Aut hæc & his similia vera fuêre miracula, aut non? si vera miracula, ergo potest natura miraculum facere: si non vera, sed tantùm præstigiæ & illusiones, idem dici poterit de miraculis à Christo, & in vera Ecclesia factis.

Resp. Nihil adeò verum esse, cujus non aliqua sit à falso imitatio: quid verò colori similius, quàm qui in cœlo ac iride spectatur? quid magis veram faciem refert, quàm quæ in speculo lucet? si oculum interroges, nihil verius; si veritatem, nihil falsius. Zeuxis volucres uvarum imagine, Parrhasius homines veli mendacio decepit; ergo mirum non est, ut omnibus rebus, ita etiam miraculis falsis veri aliquam imitationem esse, quæ fallat. Demus cæcum fuisse à Vespasiano sanatum, aut potiùs ab Apollonio Thyanæo celebri mago, qui tunc in aula versabatur, Imperatori præcharus, potuit illud virtute naturali fieri, nam & chelidonia, & fel callionymi piscis cæcitati medentur, testibus Plin. *l. 32. c. 4. & 7.* Gal. *l. 10. Simplic.* Vallesf. *Sacra Philosoph. c. 42.* Potuit ergo dæmon invisibiliter has herbas aliásve medicinas sibi notas applicare & mederi. Secùs est de miraculis Christi Domini, veræque Ecclesiæ; nec enim adscribi possunt virtuti, ac scientiæ rerum naturalium, *tum* quia patrata sunt ab indoctissimis, quales Apostoli, alijque, qui literas nunquam didicerant: *tum* quia aliàs, qui magis rerum naturalium scientiâ sunt imbuti, eò magis ac plura ederent miracula, cur ergo Plato, Aristoteles, Pythagoras, alijque non cæcos, non claudos, non mortuos restituerunt? cur victi à piscatoribus sunt? an desunt alijs & falsis religionibus viri literati? cur ergo non æquè apud illos ut apud nos miracula sunt, si ista rerum naturalium scientiæ debentur? Non etiam adscribi miracula Christi & Ecclesiæ possunt dæmonum præstigijs, edita enim sunt ab ijs, qui ut sanctissimi, ita dæmoni erant infestissimi, cùm è contrà experientia doceat, eos qui magiam

exercent & operâ dæmonum utuntur, esse vitijs omnibus inquinatos: & alioqui, qui pejor est, eò plura miracula patraret. Quæ dæmonum sunt, ubique fiunt, sicut in veneficijs & hæresibus patet; cur ergo in sola Ecclesia Catholica fiunt miracula, cæci illuminantur, claudi eriguntur, morbi sanantur, mortui resurgunt, cadavera fragrant? cur non apud Turcas, Indos, Calvinistas? an illic dæmones non sunt? *Deinde* miracula apud Paganos facta adeò rara, temporaria, brevia & paucorum fuêre, ut meritò debeant inter mira naturæ potiùs, quàm miracula censeri. Vide S. Aug. *l. 10. de Civ. c. 16.*

VIII. *Resp. 2.* Quamvis natura non propriè miracula operetur, operatur tamen mira. Vide S. Thom. *q. 16. de malo.* & *3. contra Gent. c. 104.* S. Bonav. *in 2. d. 9. q. 3.* Mirum appellatur, quod movet admirationem. In admiratione autem hæc concurrunt. *Primò.* Ignorantia causæ, vel circumstantiæ, aut alterius conditionis ad eam spectantis: sic videns eclypsin, & ejus causam ac modum ignorans, admiratur. *Secundò.* Occurrit aliquod objectum novum ac insolitum, saltem respectu nostri. *Tertiò.* Datur fixio quædam, & suspensio mentis cum intenta rei consideratione, ita tamen, ut metuat ferre judicium velut magnitudine rei insolitæ oppressa, & in hac suspensione videtur propriè consistere admiratio. *Quartò.* Adest inquisitio latentis causæ, qui enim admiratur, naturaliter cupit scire, cur res ita fiat. *Quintò.* Admiratio est causa delectationis, *tum* quia nova & rara delectant, cùm augeant scientiam: *tum* quia habet conjunctam spem consequendi cognitionem, quam desiderat. Vide S. Thom. *1. 2. q. 32. a. 8.* & *1. p. q. 105. a. 7.* & *in disputat. q. 6. a. 2.* *His notatis* probatur Conclusio inductione.

IX. Mirabilia hominum hæc sunt, 1. Solus animalium homo fulmine non semper extinguitur, cætera illicò; hunc vid. honorem homini tribuente naturâ, cùm tot belluæ viribus præstent. Plin. *l. 2. c. 54.* 2. Nullum animal lachrymans nascitur præter unum hominem. Idem *l. 7. in Proœm.* Nullus hominum ante quadragesimum diem ridet. Idem *l. c.* 4. In Septemtrione haud procul ab ipso Aquilonis exortu Arimaspi homines sunt uno tantùm in fronte oculo: bella cum gryphis gerunt auri custodi-

ſtodibus. Herodotus, Ariſteas Proconneſius, Plinius *l. 7. c. 2.* In Albania gignuntur quidam glaucâ oculorum acie, à pueritia ſtatim cani, & qui noctu plus quàm interdiu cernunt. Idem *l. c.* 5. Gens in Africa Pſyllorum fuit, poſtea à Naſamonibus deleta: ea ſerpentes ſolo corporum odore ſopit, fugatque, & agnoſcitur ſpurius, quem ſerpens non horret. Imò omnibus hominibus contra ſerpentes ineſt venenum, ſalivâ enim velut fervente aquâ vulnerantur, & ſi ea iejuni hominis fuerit ac in fauces penetraverit, ſerpentem necat. Idem *l. c.* 6. In Africa familiæ ſunt quædam effaſcinantium, qui nocent laudando: intereunt ab illis probata, areſcunt arbores, emoriuntur infantes. Alij in Triballis & Illyrijs interimunt quos diutiùs intuentur, iratis præſertim oculis, habentque in oculis ſingulis pupillas binas, aut etiam in altero oculo equi effigiem, mori non poſſunt. Iſigonus, Nymphodorus, Apollonides, Philarchus, Cicero, Plinius *l. c.* Haud procul Roma in agro Faliſcorum familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ ſacrificio Apollinis annuo ſuper ambuſtam ligni ſtruem incedentes non aduruntur, & ob id perpetuo Senatusconſulto nec militiâ nec alijs oneribus gravantur. Pyrrhi pollex in dextro pede lienoſis tactu medebatur, & cremari cum reliquo corpore non potuit. Plin. *l. 7. c. 2.* In Flandria quotquot nati ſunt die Paraſceves, & quotquot, nullâ fœmina intercedente, ſeptimi maſculi legitimo thoro naſcuntur, vim à febribus ſanandi habent. Reges Angliæ contactu & quibusdam annulis ſpaſmo, morbo comitiali, ac ſtrumis præſertim medentur, teſtibus Polydoro Virg. *l. 8. hiſt. Anglic.* Petro Bleſenſi *epiſt. 150.* & de Eliſabetha Angliæ Regina idem ſcribit Guill. Tooker (quem refutat Delrio *l. 1. c. 3. q. 4.* ubi dicit:

De Regibus Francorum ſolo contactu ſtrumæ medentibus res eſt experientiâ & Medicorum teſtimonijs certiſſima. Eſt in Hiſpania genus hominum, quos Saludadores vocant, hi ſalivâ & halitu, quem ægris inſpirant, morbis medicinam afferunt: neque hoc ſuperſtitioni aut incantationibus, ſed gratiæ gratis datæ adſcribunt. Navarr. *in manuali c. 11.* Victor. *Relect. de Mag.* Veracruc. *l. 1. de anima ſpecul.* Delrio *l. 1. c. 3. q. 4.* Plerisque autem illorum rotæ S. Catharinæ veſtigium ineſt.

Refert Albertus M. se duos vidisse pueros, quorum unus cùm ferretur juxta ostia clausa, omnia quæ ad dextrum ejus latus sita, aperiebantur, ab altero verò idem in sinistris ostijs præstabatur. *l. 3. de motu animal.* In insula Cypro homines Ophiogenes sunt, qui nec à serpentibus lædi possunt, læsosque solo contactu levant. Ex horum familia Legatus Exachon nomine à Consulibus Romæ in dolium missus serpentibus plenum experimenti causâ, sed illi linguis amicum circumlingebant: signum ejus familiæ est vernis temporibus odoris virus. Plin. *l. 28. c. 3.*

Ratio horum effectuum reducenda videtur in qualitates aliquas individuas, vel potiùs in mixturam & complexionem certi temperamenti, & aspectum stellæ natalis; nemo enim nescit, quantùm intersit herbas, radices, semina, arbores sub isto vel illo aspectu cœli produci; si ergo cœlum adeò influit in herbarum ac lapidum natale, cur non in corporis humani? Narrat Matthiolus *in præfat. in Dioscord.* se in Italiæ montibus herbam novisse, quâ calcatâ protinus ferrum equis excideret. Idem de herba Pici narrant Plinius & Ælianus. Sic Rupicola seu Hianticilla si oculos in ictericum defigat, ipsa morbum in se transfert, ægrumque liberat. Sic hyænæ umbrâ canes obmutescunt; serpentes quernâ fronde contacti emoriuntur; viperæ arundinis vel fagi virgâ percussæ obstupescunt; taurus ad ficum alligatus mansuescit. Si ergo istarum rerum qualitates in uno alteróve corpore humano misceantur (quid verò obstat aut casu, aut arte, aut alijs circumstantijs ita misceri?) eosdem effectus producent; & ideo Alexandri M. corpus etiam mortuum odores & balsamum spirabat ob temperamentum solo Arabico simile.

Augustus Cæsar noctu æquè ac interdiu videbat, quia oculis temperamentum felis, aut noctuæ, aut cicindelæ inerat. Est in Hispania genus hominum, quos *Zahurim* vocant, hi thesauros, herbas, metalla, sarcophagos, venasque aquæ, intimis terræ visceribus latentia vident deteguntque, quia vid. oculos habent lynceo temperamento. Ad extremos Indiæ fines circa fontem Gangis homines Astomi sunt, solo florum odore, halituque viventes. Plin. *l. 7. c. 2.* Solin. *c. 43.* Alij apud Scythas sunt, quibus aures tam grandes, ut totum corpus illis velent, integantque.

Plin.

Plin. *l. 4. c. 13.* Solin. *c. 30.* Imò aliquibus, quos Tutanuchos vocant, aures tam longæ sunt, ut sex viri sub illis lateant. Vide Nieremb. *l. 8. c. 1.*

Est natio Papuarum nigerrima, qui statim obcæcantur præsentiâ solis, quamvis istum non aspiciant, sufficit enim à sole aspici. Nieremb. *l. 8. c. 1.* Dari Pygmæorum nationem, hoc est, sesqui tantùm cubitum aut binos cubitos longos, negari vix potest, cùm gravissimi Auctores dari testentur, Aristot. *l. 8. de hist. animal. c. 12.* Photius *in Biblioth.* Plinius. *l. 4. c. 11. l. 5. c. 29. l. 7. c. 2.* Pompon. Mela *l. 3.* Solin. *c. 15. & 65.* Ælianus *l. 15. c. 29.* Olaus M. *l. 2. c. 11.* S. Aug. *l. 16. de Civ. c. 8.* & quod caput est, Spiritus S. apud Ezech. *c. 27. v. 11.* Reperiuntur verò non tantùm in Thracia & Scythia, sed etiam India in Moluccis: pugnant cum gruibus sata vastantibus: pro vestibus illis capilli & barba ad talos profusa, quâ involvuntur: arietibus pro equis utuntur: sagittas peritissimè & certissimè in scopum vibrant, & ideo tria illorum millia Indorum Regi pro excubijs sunt: venantur lepores, vulpesque, sed corvis ac milvis, non canibus. Hæc quæ ex Plinio alijsque protulimus, vana videri possent ac fabulosa, nisi experientia nostrorum temporum Orbe circumacto omnia verissima esse testaretur; quidquid enim Plinius alijque veteres de gentium diversitate tradidêre, hæc Franciscus Hernandus, Antonius Daca, Petrus Simon, alijque testes oculati confirmârunt. Vide Nieremb. *l. 8. c. 1.*

7. Homines à scorpione aliquando percussi nunquam postea à crabronibus, vespis apibusque feriuntur, sicut & vestis humano funeri aliquando instrata nunquam amplius à tineis tangitur. Plin. *l. 28. c. 3.*

8. Variæ quoque ab humano corpore sunt medicinæ: saliva jejuni hominis morsui serpentum medetur: lepras quoque sanat quotidie illita, item lippitudines, si manè inungas. Si quod animal aurem intraverit & inspuatur, exibit. Sordes ex auribus statim impositæ scorpionum morsus sanant: contusi dentis farina remedio est à serpente percussis. Capillus puerorum, qui primò decisus est, podagræ impetus dicitur levare circumligatus. Sanguine hominis ex quacunque parte emisso efficacissimè illi-

nitur

nitur angina, item ora comitiali morbo lapſorum, continuò enim exurgunt. Sua cuique urina maximè prodeſt contra canis morſum, ſi ſpongiæ aut lanæ immerſa vulneri imponatur, aut cinere ex ea ſubacto. Hæc ex Plinio collegimus, ut videas velut in paucis exemplis naturam homini ex homine paraſſe remedia.

9. Mira cibi abſtinentia in quibusdam hominibus obſervata eſt. Refert Ariſtoteles, Olympiodorus, & ex iſtis Cælius Rhodiginus *l. 24. c. 21.* fuiſſe hominem, qui quoad vixit, nec ſomno nec cibo uſus eſt, ſole tantùm, quem continuò ſpectabat, & aëre contentum. S. Aug. *epiſt. 16.* ad Caſſulanum ſcribit, vixiſſe puellam, quæ 40. diebus nullo cibo ſit uſa. Cælius Rhodiginus *l. 13. c. 24.* aliam in Hiſpania, quæ ſolius aquæ hauſtu expers cibi vixerit.

Juſtinus *c. 2. a. 7.* quæ 11. annos nihil cibi admiſerit. Alia exempla paſſim apud Auctores videri poſſunt.

Poſſe abſtinentiam ab omni cibo triduo tolerari dubium non eſt, & ſunt exempla *Reg. 1. c. 30. Tob. c. 3. Eſth. c. 4.* Angliæ Regina Caleſio à Gallis expugnato triduo famem toleravit mæroris causâ. Idem ab Alexandro factum cædem Clyti dolente. Hippocrates, Galenus, Varro, ultra diem ſeptimum negant poſſe inediam ferri. Plin. *l. 11. c. ult.* compertiſſimum dicit, etiam ultra undecimum tolerari poſſe. Non dubito, longiſſimo etiam tempore naturaliter fieri poſſe, ut omni cibo quis careat, *tum* ob allata exempla, quæ omnia aut miraculo, aut magiæ adſcribere vanum eſt; quis enim numerus miraculorum erit, ſi omnia inſolita miraculum dicantur? *tum* quia conſtat glires, taxos, urſos, ſine ullo cibo totam hyemem durare, ſolaque pinguedine ſuâ calorem naturalem foveri. Apud Indos herba Coca ore geſtata famem pellit. Petrus Ghieza *p. 1. hiſt. Per.* Circa Bœream Scythæ herbam colligunt guſtatu prædulcem, quâ ore retentâ famem, ſitimque non ſentiunt. Eumdem effectum etiam in equis præſtat herba Hippice dicta. Plin. *l. 25. c. 8.* Matthiol. *præfat. in Dioſcorid. tum* quia ſi corpus abundet pinguedine, aut humido viſcoſo, aut defluxionibus capitis tenacem materiam vehentibus, aut aliàs ſit calore modico, placidoque, poterit calor naturalis ſine cibo ali ſolâ illâ intrinſecâ materiâ.

Eadem

Eadem causa esse potest somni diuturni: glires, ursique totam hyemem dormiunt, & ursi tam pertinaciter, ut ne quidem vulneribus excitentur. Rusticus quidam Germanus totum Autumnum hyememque somno duxit. Lilius Giraldus *l. 4.* & Epimenides Cretensis ovem quærens, æstuque fatigatus annos 77. in specu dormivit; evigilans brevi velut defunctus somno ovi quærendæ institit. Pausan. Eudemus &c. Delrio *l. 2. q. 22.* Plin. *l. 7. c. 52.* Potest enim aut ex naturali constitutione, aut medicinis tanta vaporum copia in cerebrum elevari, quæ diu consumi non possit, & ita somnum afferat diuturnum.

10. Illud quoque mirabile est, homini jam provecto & seni redire juventutem, sicut arboribus, serpenti, phœnici, aquilæque. Sagunti in Hispania Abbatissa quædam vetula fuit, cui subitò dentes renati, comæ ex canis in nigras tinctæ, rugæ depositæ, facies florida, lævis, & rosis picta, adeò ut pudore latuerit. Nieremb. *l. 8. c. 9.* Maffeus quoque & ex illo Nierembergius alijque referunt, Indo cuidam seni ter juventam post totidem senectutes refloruisse, vixit annos trecentos. In novo Orbe binæ sunt insulæ repertæ, uni Bonicæ, alteri Lucayæ nomen, in quibus fontes sunt, quorum aqua epota juventutem reddit. Langius *epist. Medic. 79.* Petrus Chieza *hist. Per. c. 41.*

In lacu Mommonio Boreali duæ insulæ sunt; in majorem nulla fœmina intrat, quæ non statim moriatur, sæpè in animalibus experientia capta: in minori verò, quæ viventium appellatur, mori nemo potest, nec mortuus aliquis est; corripiuntur tamen senectute, morboque lethali, & ideo cùm nulla spes est sanitatis recipiendæ, in aliam insulam navi deducuntur & doloribus finem moriendo faciunt. Gretscherus, Silvester, Giraldus alijque, & ex illis Nieremb. *de miris naturæ in Europa. l. 2. c. 1.*

In India, ubi umbræ non sunt, vivunt homines annos 130. nec senescunt, sed medio ævo moriuntur. Plin. *l. 7. c. 2.* Aromatibus condita cadavera quamvis putredini obnoxia, multoque magis, quàm vivorum corpora, multis seculis durant. *Cunctis*, inquit Plutarchus, *quæst. convival. l. 4. certum est, corpora fulmine ictorum non putrescere.* Constat, ante diluvium homines vixisse annos 800. aut etiam 900. & Josephus *l. 1. Antiquit.* multos refert, qui etiam

post diluvium annos 500. imò & 600. vixêre. Cor etiam eorum, qui vel veneno, vel cardiaco morbo extincti sunt, cremari non potest, & ita cor Germanici Cæsaris veneno sublati cremari in rogo non potuit. Vide Plin. *l. 11. c. 37.*

Ex his omnibus colligitur, probabile esse, dari in rerum natura causas & medicinas aliquas, quibus & juventus restitui possit, & vita in multa secula produci, ignorantur tamen à nobis, Deo mortem festinante, justis quidem in præmium, peccatoribus verò in pœnam. Quid vitro fragilius? hoc vitro est malleus, percussio, collisio, quod humano corpori morbi, vulnera, & pugna contrariorum; & tamen sub Tiberio Cæsare inventus artifex, qui flexilem ac ductilem temperaturam ac mallei patientem vitro dederit, adeò ut vitrea phiala in terram allisa intumuerit tantùm & contusa fuerit metalli more ac mallei pulsu complanata: artifex mori jussus, ne aurea præ vitreis vilescerent. Vide Plin. *l. 36. origin. c 15.* Si ergo potest vitrum arte durari & contra ictum mallei invictum reddi, cur non vita & corpus hominis contra caloris nativi & contrariorum impetus? nec enim tanta est corporis quanta vitri fragilitas.

Narrat S. Aug. *l. 21. de Civ. c. 6.* lucernam in fano Veneris repertam, quæ oleo nunquam absumpto mille & ampliùs annos arserit. Ubi Ludovicus Vives adjungit, eruto olim conditorio candelam repertam, quæ, ut ex inscriptione patuit, supra 1500. annos luxit, sed in manus accepta in minutissimum pulverem soluta est. Idem scribit Fortunius Licetus de lampade Tulliolæ Ciceronis filiæ reperta sub Paulo III. quæ annos circiter mille quingentos nonaginta tres inconsumpto pabulo duravit, sed aëre ventilata mox defecit. Si ergo flammula ignis, quæ unico flatu extinguitur, potest naturaliter perennare, & humidum, quo alitur, reddi immortale, cur non flammula & oleum vitæ, hoc est, calor naturalis & humidum radicale, quibus inconsumptis vita naturaliter extingui non potest?

De pomis quoque Paradisi habuisse naturalem virtutem & qualitatem perpetuandi calorem naturalem & consequenter vitam, docent SS. PP. & ex illis S. Thomas *1. p. q. 97. a. ult.* Quæ tamen virtus videtur omnino pomis tantùm concessa, quæ solo & aëre tem-

temperatissimo Paradisi gaudebant, extra Paradisum verò virtutem perpetuandi amisisse, quod mirum videri non debet, *tum* quia dubium non est, sicut homines, ita etiam fructus arborum in alio & alio loco salubriores esse, *tum* quia experientia hoc ipsum docet. Sorbus, si in calidiora venerit loca, sterilescit. Plin. *l.17. c. 25.* Persicæ arbores in Rhodo florent tantùm, non ferunt: & in Persiam translatæ mala ferunt veneno turgida. Vide Plin. *l. 15. c. 13.* Balsami arbusculæ, à quo tempore Christus in Ægyptum profugit, in sola Ægypto florent, & pretiosas lachrymas mittunt; extra Ægyptum in vineis Engaddi, ubi olim & tantùm visebantur, steriles sunt. Vide Nieremb. *de mirac. nat. terra prom. c. 12.* Idem ergo dici potest de pomis Paradisi, in alio vid. solo eorum esu homines non perennare.

Multò magis potest quis naturalibus medijs vulnerum (saltem aliquorum) & doloris expers fieri. Videmus quotidie à circulatoribus ignes tractari, venena impunè bibi. Succus opij, chelidoniæ, crocus, medulla, & pinguedo humana arterijs illita, oleum lacertarum, vinum, cui octo diebus infusum fuerit semen portulacæ marinæ, sensum homini & dolorem in tormentis auferunt. Vide Cardan. *l. 4. varietat. c. 44.* Idem *l. 7. de subtil.* exhibitum sibi ab Empyrico Gallo lapillum, cui cùm ingentem acum affricuisset, brachium penetravit nullo dolore.

11. Illud quoque in homine mirum, nasci aliquos à natura signatos & notis distinctos. Seleucus & omnes ex Seleuco nati anchorâ in femore aut pectore notabantur. Augustus Cynosurâ insignis ex utero prodijt, maculis eodem numero & proportione sparsis, quâ stellæ polares. Chariclea Æthiopiæ Regina toto corpore candida, brachio tantùm maculâ ebenini coloris notata, hoc indicio post longa exilia Patriæ restituitur. Joanni Friderico Saxoniæ Duci anno 1503. nato crux flammei coloris dorso impressa. Jacobus Britanniæ Rex leonem, gladium, & coronam tulit. Cerzanorum Reges signum nigræ aquilæ. Vide Jonston. *fol. 477.* Causam credo *aut* fortuitum sanguinis & aliorum humorum concursum; si enim ex hac ipsa causa durissimi lapides, gemmæque varijs arborum, siderum, Musarum &c. imaginibus signatæ nascuntur, cur non corpus humanum, quod

& mollius est, & consequenter faciliùs figuratur? *aut* Parentum, matris præsertim, vehementem ex aspectu, auditu, metuque imaginationem, tempore præsertim conceptûs, tunc enim semini inhærens vis plastica & formatrix, quæ velut instrumentum animæ fœtum format, ab eadem anima, in cujus virtute agit, movetur ad similem imaginem partui imprimendam: sicut enim aliquando fit, ut sol patelium solis innube, ita & mater similitudinem eorum, quæ valde cogitat, in fœtu relinquat: sic quædam dum maritum in rheda venturum timet, filio rhedæ imaginem impressit. Alia filium peperit cadaverosâ facie, quia obvio cadavere expavit: alia prægnans gliri occurrit, & proles glire insignita prodijt: alia Romæ filium enixa est ursi vultu notatum, quia in palatio versabatur multis ursorum imaginibus picto. Virgo quædam ex Ducum Allobrogum sanguine leoninis jubis faciem intectam quamdiu vixit gestavit, quòd ejus mater prægnans viso leone inhorruisset. Et Fernelius *l. de procreat. hominis* scribit, pavonem, si, dum ovis incubat, linteis albis circumtegatur, albos omnino pullos non variantis coloris editurum.

12. Multa etiam sunt in hominis conceptu mira. Mares sæpè in utero moventur, & in dextera ferè geruntur parte, in læva fœminæ: partus ante septimum mensem haud unquam vitalis est. Fuit quæ decimo tertio à conceptu mense peperit, & partus pro legitimo habitus judice Papyrio Prætore, quia, inquiebat, nullum certum tempus pariendi statutum est. Matri à conceptu decimo die dolores capitis, oculorum vertigines, fastidium cibi, redundatio stomachi indices sunt hominis inchoati: melior color marem ferenti & facilior partus, motus in utero quadragesimo die: fœminis primus motus nonagesimo: plurimum matri languoris capillos germinante partu, & in plenilunio, quod tempus editos quoque infantes præcipuè infestat: matres salsioribus cibis usæ carentem unguiculis partum edunt: oscitatio in enixu fatalis est, sicut sternuisse à conceptu abortivum: plerumque abortûs causa fit odor à lucernarum extinctu. Hæc ex Plinio collecta *l. 7.* Mulieres, quæ in navi pariunt, filios sine vagitu edunt. Jonston. *fol. 477.*

Quis

Quis crederet fœtum in alvo materna rem adeò teneram, & quæ vel fumo extinguitur, veneno nutriri? & tamen ita est; alitur enim menstruo sanguine, qui propterea matribus cessat, ceditque futuro partui in cibum: hujus verò tanta pernicies est, ut tactæ eo fruges sterilescant; moriantur insita, fructus arborum cadant, speculorum fulgor aspectu ipso hebetetur, acies ferri perstringatur, alvei apium emoriantur, æs etiam ac ferrum rubigine tingatur, in rabiem gustato eo canes agantur, atque insanabili veneno morsus infigatur; & hoc tamen nutriendo fœtui in cibum aptatur, medicante virus naturâ

Commixtum parentum sanguinem tenuis quædam tunica uteri calore producta & ovi pelliculæ persimilis continuò ambit, hoc conceptum vocamus. In illo deinde sanguinum coagulo tres parvæ, albæque bullæ, concreto lacti similes, emergunt, ex quibus jecur, cor, & cerebrum formantur, tum reliquum corpus, ut alibi dicetur, ex tam vili, contemptoque principio tota hominis structura, quâ nihil admirabilius: ossa supra ducenta, & singulorum ossium scopi quadraginta: musculi supra 600. scopi singulis decem: tot venæ, tot fistulæ, tot ligamenta, tot nervi, tot tunicæ, viscera, intestina, retia, spongiæ, ductus & canales, humores, spiritus &c. idque tantâ proportione & ad singula & ad totum, ut à nullo sculptore, pictore, architecto, aut geometra simile quid factum unquam fuerit, ipsis etiam defectibus altiorem aliquem finem spectantibus; & tamen hæc omnia tribus bullis debentur.

Mirari antiquitas satis non potuit Dianæ Ephesinæ templum, unum ex Orbis miraculis, cui quadringenti anni insumpti, scala una ex Cypria vite, tabulæ & lignamenta ex cypresso, cedro, ebenoque: irrigatio humectandis tabulis ne rimas agerent ex nardo pretiosissimo multis foraminibus fuso: tanta marmoris radiatio, ut ab æditu moneantur ingredientes, oculis parcant: columnæ 127. à singulis Regibus factæ, & denique tota Asia laborante: hanc, inquam, tam augustam & tam pretiosam molem non alio fundamento, quàm mollibus pulvillis, carbonibus, lanæque innixam: at quantò admirabilius est humani corporis fabricam, cui non Asia tota, nec Orbis sufficiat, è tribus tantùm bullis eductam?

ctam? In illa septem planetarum influxus & proprietates: cor enim solem agit calore, eumque perpetuo motu, calore, influxu & alternatione affectuum velut signorum zodiaci imitatur. Cerebrum lunam humiditate, lingua Mercurium facundiâ, fel Martem incendio, lien Saturnum frigido, tristique temperamento, fœcunditas & partes ei servientes Venerem, de qua Plin. *l. 2. c. 8. Hujus naturâ cuncta generantur in terra, omnia enim genitali rore conspergens & terra & animantium conceptus stimulat impletq;.*

Sunt etiam corpori sua elementa: bilis ignea, sanguis aëreus, pituita aquea, melancholia terrea. Sunt & meteora, fulgura, pluviæ, irides in oculo, tonitrua in voce, venti in pulmonibus, exhalationes in capite, flumina tot alveis quot venis sparsa, auræ in suspirijs, & hæc omnia à tribus bullis profecta, ut vid. materiæ vilitas sapientiam Artificis commendet.

13. Sunt & capiti sua miracula. Ægyptiorum capita ita firma erant, ut vix lapidis ictu frangerentur; Persarum verò tam imbecilla, ut solo calculo. Indorum in Hispaniola ossa capitis tam dura, ut enses frangant. In Richelij Cardinalis capite omnia organa functionibus mentis servientia duplicata sunt reperta, hinc illi tanta facilitas primo statim momento implicatissima discernendi. Fuit in Italia teste Cardano *de var. c. 44.* qui sole oriente capitis dolore quotidie corriperetur continuo in meridiem auctu, à meridie decremento, vespere dolorem finiente. Cerebrum homini proportione maximum, & viris majus, duabus supra, subterque membranis velatum, quarum alterutram rumpi lethale; infantiâ palpitat, nec ante sermonis exordium quiescit: huc venarum omnium à corde vis tendit, hîc desinit: ab eo proficiscitur somnus, & ideo quæ cerebro, etiam somno carent: temperat suâ frigiditate cordis sanguinisque calorem, & ideo quæ sanguinem non habent, ut insecta, nec cerebrum: ne tamen nimio frigore geletur & pilis caput vestitur, & venæ frequentes tenuesque sanguinis florem ministrant. Cranij humani pulvis contra podagram valet: Caput rotundum est, quia quinque sensuum, nervorum, sensuum interiorum & tot specierum officina; rotunda verò figura est omnium capacissima: frequentiùs cæteris membris dolet, ob continuum cogitandi, sentiendique labo-

laborem, & vaporum copiam; & cùm duo magni nervi è cerebro ad os ſtomachi pertingant, ſtomachi & cerebri dolores communes ſunt.

14. Hominis caput ante omnia animalia pilis abundat, quia majus cerebrum, & cerebri frigus, magis etiam fæcundum. Capillus puerorum, qui primùm deciſus eſt, podagræ impetus levat circumligatus, & impubium omnino tollit, mulierum aduſtus, ſerpentes nidore fugat. Vide Plin. *l. 28. c. 3.* Narrat Cardanus *l. 8. de var. c. 43.* Monacho cuidam Carmelitano, quoties caputium reduceret, ſcintillas totis capillis micuiſſe. Poppeæ Neronis uxori tanta capillorum venuſtas, ut ſingulis carmen à Poëtis factum, & ſiqui deciderent, auro incluſi, Junoni dicarentur, totâ Româ in eorum gratiam flavis veſtitâ.

15. Oculi hominum tantùm diverſo colore, cæteris animalibus in ſuo cuique genere ſimiles: prominentes hebetiores ſunt, conditi & colore caprini clariſſimi; quibus geminæ pupillæ, noxij: qui nictare non ceſſant, pavidiores: adeò intentatis minis naturale eſt homini nictare, ut inter viginti gladiatorum paria Cajo Principe duo tantùm contra comminationem aliquam non conniverent, & ideo invicti: oculus unicolor nulli: oculis patentibus lepores dormiunt: pleræque alitum è manibus hominum oculos potiſſimum appetunt, quòd effigiem ſuam in ijs cernunt: oculi noviſſimè in corpore formantur, ſed primi moriuntur, cor noviſſimè: puerorum oculi ſtatim à partu cæſij ſunt, poſtea paulatim in eam naturam mutantur, quæ futura eſt, & in ſenibus cæſium colorem recipiunt, ob humoris raritatem: mira eſt oculi pernicitas, qui momento temporis à puncto terræ ad ſtellas Firmamenti, hoc eſt, ſeptendecim milliones & trecentas ſexaginta & aliquot mille horas pertingit. Tiberius noctu abſque lumine, radijs ex oculo velut carbunculo micantibus omnia clarè videbat.

Cardanus *l. 4. de variet. c. 43.* quatuor mira ſibi dicit à natura conceſſa. *1.* Quoties voluit & pro lubitu à ſenſibus alienari, & in extaſin rapi. *2.* Videre oculis quotieſcunque, & quæcunque lubet, lucos, animalia, orbes &c. *3.* Omnia ſibi eventura per ſomnium perſpicere. *4.* Maculis in ungue apparentibus de fu-

turis præmoneri. Auguſtus tantam radiorum vim in præſentes vibrabat, ut ejus aſpectum non ſuſtinerent. Cleopatræ Reginæ tanta in oculis illecebra, ut caperet, cogeretque amare, quos vellet, quod cùm Auguſtus timeret, non aliter quàm depreſſis oculis eam eſt allocutus.

16. De *auribus* ſcribit Plinius *l. 7. c. 22.* prælium, quo Sybaris deleta eſt, longiſſimo maris terræque ſpatio Olympiæ auditum.

De *narium* olfactu hæc pauca accipe. Oliverius Caraffa Cardinalis adeò roſarum odore abhorrebat, ut earum tempore Româ ſecederet, cuſtodibus ad januas poſitis, nequis ſalutantium roſas inferret. Barbarigus Monachus Dominicanus roſarum odore animo linquebatur. Laurentius Uratislavienſis, teſte Cromero, roſarum odore extinctus eſt. Hamar quidam Dux Caravanæ ex ſolo odore, ubi locorum eſſet agnovit. Sabæi odoribus, qui apud illos naſcuntur, ſtupefacti ſulphuris hircinæque barbæ ſuffitu recreantur. Alexandri corpus balſamum ſpirabat, & etiam mortuum ſeptimo die ſine tabe fuit, mireque fragravit.

17. Quidam cum *dentibus* naſcuntur, ut Curio dentatus & Cn. Papyrius, ſed hoc in fœminis inauſpicatiſſimum: cùm ita nata eſſet Valeria quædam, reſponſum eſt exitio futuram Civitati in quam veniſſet, quod & contigit. Dentes tantùm invicti ſunt ignibus, nec cremantur cum reliquo corpore, ijdem tamen flammis indomiti cavantur pituitâ. Triceni bini viris attribuuntur, fœminis minor numerus. Hominum dentibus quoddam ineſt virus, nam & ſpeculi nitorem ex adverſo nudati hebetant, & columbarum fœtus implumes necant. Puero Sileſio aureum dentem eſſe natum teſtatur Nieremb. *l. 1. c. 10.* eumque ex vero auro compactum fuiſſe Lydius lapis & aurifabri teſtimonia probârunt. Vide Mancin. *de Paſſione.* Et quid mirum in homine naſci aurum; cùm in colubri cerebro gemma, in conchis marinis margaritæ naſcantur? Imò dens albi ſimij apud Regem Pegu Indosque tanti pretij fuit, ut eo à Conſtantino Prorege Luſitano inter regios theſauros capto annuam legationem mitteret ingentibus theſauris onuſtâ navi, ut tantùm liceret ejus ſigillum cretæ

cuidam aromaticæ auroque conditæ imprimere, illique redimendo ter centies mille coronati Lusitanis oblati sunt. Vide Nieremb. *l. 9. c. 41.*

18. Miles quidam Groningensis vulnere in cor accepto dies quindecim supervixit. Jonston. *de hom. c. 6. a. 1.* Neque hoc mirum, cùm Cæsari, quâ die primùm in purpurea veste processit, sellaque aureâ sedit, bis sacrificanti hostia sine corde inventa est. Idem Marcello cùm ab Annibale, Cajo Principi ejusque Successori contigit, quo anno interempti sunt. Cor hominis anniculi duas pendet drachmas, ac deinceps singulis annis augetur pondere duarum drachmarum usque in annum quinquagesimum, quo centum pendet drachmas: à quinquagesimo autem usque ad centesimum singulis annis duabus drachmis minuitur usque ad defectum; & hæc est ratio, cur homo ordinariè non ultra centesimum, sano quamvis reliquo corpore, vitam producat. Varro apud Aldrov. *in histor. monstror. pag. 69.* Plin. *l. 11. c. 37.* Cor teste Plinio primum vivit, novissimum moritur; audacia sunt, quibus cor parvum, timida quibus magnum; magnum autem est proportione muribus, lepori, asino, cervo, pantheræ & omnibus timidis: cremari non potest veneno interemptis. Plin. *l. 11. c. 37.*

In Indijs, præsertim tractu Malabarico, arbor nascitur, quam tristem appellant, sed est pulcherrima, & floribus tanta odoris præstantia, ut cum nullis comparari possit; semen habet cordis figurâ, ea cordi medetur, sed nocte pulcherrima & venustissimo flore visenda: ut primùm solis radio conspergitur, cadit, marcetque, & ideo tristem appellant. Licèt animal febri pereat, semper tamen ei prope mortem cor friget, teste Galeno, &c.

19. Repentinæ sunt & miræ, quæ homini contingere solent, mutationes. Vir quidam celeberimi nominis soricem, qui studenti obstrepebat, baculo percutit; tum projicit: madnerat manus sanguine occisi, quâ dum more solito genam sustentat, omnis barba pilique nescienti excidunt: cùm in publicum prodiret, risu omnium exceptus est, alterâ genarum nudâ, alterâ pilis densâ; quis credidisset soricis sanguinem depilare? Orosius

 qui-

quidam in aula Ferdinandi Cæsaris metu mortis quam expectabat unâ nocte incanuit. Idem Ludovico Bavariæ Duci accidit, qui cùm Mariam conjugem adulterij suspectam, quamvis innocentem, ferro sustulisset, proximâ nocte adeò spectris vexatus est, ut, quamvis juvenis florensque, canus surrexerit, & septuagenario similis. Franciscus Gonzaga Mantuæ Princeps affinem suum conjurationis reum in turri ad supplicium servari jussit, ille ob metum unâ nocte canus apparuit: hæc mutatio Principis animum flexit, & reus veniâ donatus.

Lescus Polonorum Rex filium Ratislaum perduellionis reum à quatuor larvatis sandapilâ noctu dormientem efferri in lapifodinam jubet: sequenti nocte in thalamum ab ijsdem larvatis reponitur, sed octuagenario similis (cùm annos ageret duos & viginti) barbaque, ac capillis nive candidioribus. Ratio harum mutationum est, quia proposito per apprehensionem objecto terribili natùra totum sanguinem ad cor velut ad partem nobiliorem tuendam revocat; pilus ergo calore destituitur, ac vehementiâ cogitationis exitum aliquem & remedium quærentis tumor pituitosus, qui clarus est & candidus, capillum tingit: & hæc est causa, cur timore & non morte homo canescat, quia licèt in morte calor naturalis extinguatur, non adest tamen effusio humoris pituitosi, ex defectu intensæ & laboriosæ cogitationis evadere conantis.

20. Miræ sunt etiam repentinæ hominum mortes. Dionysius I. Tyrannus & Sophocles Poëta gaudio extincti; iste quòd decantatæ tragœdiæ ante alios & extremâ senectute præmium accepisset, ille quòd in ludis Baccho celebrari solitis (erant choreæ solemnes circa torcularia musto spumantia) victor evasisset. Diodorus Dialecticæ Professor pudore, quòd implicatis quæstionibus à Stilpone propositis coram Demetrio Rege respondere non posset, & ideo rideretur. Duo Cæsares dum calceantur objêre. Cnejus Pamphilus cùm à puero horam quæsisset. P. Rutilius nunciatâ fratris repulsâ in petitione Consulatûs. Zeuxis risû ob vetulam, quam fœdissimam pinxerat. Alius acino botri, alius pilo in lacte strangulatus. Ferrariæ Juvenis robusto corpore derepentè in terram corruit; aperto corpore ingens vermis repertus

tus cor ipsum depascere. Guevarra dum calamum capit, & de Passione Christi lachrymans scribit. Doctor Angelicus dum æger commentarios in illa verba Canticorum dictat, *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Beda dum illa explicat, *Consummatum est.* Gerson Cancellarius Parisiensis illud exponens, *Fortis est sicut mors dilectio &c.*

21. Signa aliqua, præsertim in Magnatibus, mortis prænuntia. Alexandri mortem hæc portenderunt: Calanus Philosophus cùm rogum moriturus conscenderet, roganti Alexandro ut diceret siquid vellet: *Optimè,* inquit, *propediem te videbo.* Ignis sacer, qui nunquam, nisi mortuo Rege, extinctus est totâ Persiâ. Leonem grandissimum & speciosissimum asinus calce peremit. Alexandro paludes prope Babylonem naviganti ventus diadema purpureum albo distinctum rapuit, & proximæ arundini imposuit. Repertus è captivis unus cum insignibus regijs regium solium insidere.

Mortem Julij Cæsaris hæc præcesserunt: Padus exundavit, flamma galeam depascere visa est, cor in victimis haud repertum, cubiculi fores ultimâ nocte sponte patuerunt, toto anno, quo cæsus est, sol palluit, fulmen in statuam & inscriptionem Cæsaris lapsum primam literam ejus nominis, videlicet C. delevit & post centum dies occisus est, totidem enim significantur eâ literâ; equi ubertim flevêre. Ante mortem Claudij Tiberij sanguine pluit, fulmen vexillum Imperatorium fœdavit, templum Jovis victoris suâ sponte patuit, ex singulis Magistratuum ordinibus singuli mortui sunt.

Neroni ad mensam bibenti fulmen manu calicem excussit, monumentum Augustale sponte apertum est, vox è latebris audita Neronem evocantis, nulla nox quieta fuit, cùm priùs nunquam somniâsset. Vespasiano Cometes diu in cœlo visus, monumentum Augusti sponte apertum est. Tito Imperatori sacrificanti hostia aufugit, tonuit sereno cœlo. Paulò ante funus Domitiani cornix in Capitolio ita cecinit: ἔςαι πάν]α καλῶς: bene cedent omnia. Didio Juliano sacrificanti tres stellæ circa solem visæ extremam horam prædixêre: Duodecim canes circa tentorium ululantes ac primâ luce exanimes reperti, lupique

quingenti simul urbem ingressi Maximino Thraci signum moriendi dedêre. Pridie quàm perijt Julianus, Ethnicus quidam ex ordine Judicum Antiochiæ juxta prætorium excubans, vidit congeriem stellarum hanc sententiam efformantium: *Hodie Julianus in Persia occiditur.* Zonar. *l. 3.* Christianus Matth. *in Julian. c. 3. n. 4.* Genius eidem mœstus apparuit, clausoque Amaltheæ cornu. Joviani mors cometâ interdiu lucente & magnâ lanæ pluviâ prænunciata est.

Carolo M. hæc signa fatalia. Pons Moguntinus 500. passuum, infinitis sumptibus ac decennali labore æternitati structus trium horarum incendio conflagravit, ne hastulâ quidem superante. Septem dierum spatio maculæ atri coloris solem fædârunt. Post ejus mortem tres totos annos creberrimæ Solis ac Lunæ defectiones. In piscina Monasterij Agaunensis si pisciculus reperiatur exanimis, certissimum præsagium est aliquem ex Monachis defecturum: id affirmant oculati testes apud Simlerum *in descript. Vallef. l. 1.* Vair. *de fascino l. 14.* Gobatt. *in Alphab. Confit. n. 252. in append.* Sic etiam in cista prægrandi arcis Rabij, in qua vestes sacerdotales asservantur, pertinetque ad Equites Bohemos de Longavilla, auditus strepitus, quo tota ferè arx impletur, aliquem ex ea familia moriturum certò denuntiat. Fulmen in sepulchrum lapsum Lycurgi & Euripidis fato prælusit. Pridie quàm Valentinianus obiret, noctua super balnei cacumen sedit longum mœstumque canens, nec projectis lapidibus abigi potuit. Plura hujusmodi mortis præsagia Libro 2. Logicæ enumeravimus, ubi de signis. Non potest ulla causa naturalis istorum assignari, sed sola Dei voluntas homines præmonentis, ne imparati ad illud momentum accedant, unde pendet æternitas.

22. Non minus admirationis somnia habent felicium, aut infelicium prænuntia. Galenus cùm nihil amplius remediorum haberet, quibus ægrum juvaret, monitus in somno est, ut venam, quæ inter auricularem & annularem est, secaret, quo facto æger convaluit. Sic Ptolomæo venenato telo à Barbaris icto saluti fuit herba per somnum Alexandro exhibita, & per omnes montes quæsita ac tandem reperta. Astyages Rex Persarum videt per quietem ex utero filiæ vitem prodire tantâ magnitudine, ut

pal-

palmitibus suis totam Asiam inumbraret. Mascescerus adversus Gildonem Africæ Tyrannum pugnaturus videt in somno Divum Ambrosium terram pedo ter pulsare, ac dicere: *Hic atque in hoc loco:* pugnavit eo loci, vicitque. Didymus Alexandrinus dum nocte intempestâ inter lachrymas vigilat, Deoque Ecclesiam à Juliano oppressam commendat, dulci somno correptus videt per aëra Juvenes equis albis discurrere & clamare: *Nuntiate Didymo, hodie Julianum occisum esse, & ipse idem Athanasio significet.* Respondit somno eventus. Hecuba visa in somnis facem parere, quâ tota Asia conflagraret, ea Paris fuit. Cardanus in libris de subtilitate nihil sibi aut prosperi aut adversi contigisse ait, de quo non priùs per somnum, aut maculas unguium prædoceretur.

Sed *advertendum* est, somnia esse triplicia, *Naturalia*, *Divina*, & *Sathanica*. Somnia *naturalia* naturalem habent causam; qui enim sanguineo temperamento sunt, choreas, volatus, convivia somniabit; qui melancholico, bella, cædes, sanguinem &c. qui phlegmatico, aquas, navigationes &c. Venator feras, studiosus Musas, miles pugnas &c. Somnia ergo naturalia probabiliter significant suas causas naturales. Somnia *Divina*, hoc est, à Deo immissa habent certissimam futuri aut præsentis, aut præteriti veritatem, modò per divinam quoque revelationem de somnij significatione & interpretatione constet: & illa non fidelibus tantùm, sed etiam infidelibus dantur, ut varia sunt exempla in sacris literis, de somnijs Pharaonis, Nabuchodonosoris, Madianitæ &c. Deus enim omnium providentiam gerit, & etiam somnijs, quamvis aliàs re vanissimâ in utilitatem hominum utitur.

Somnia *diabolica* aliquando vera sunt, Deo sic permittente, nam & dæmon ejus providentiæ subest, non minùs quàm carnifex imperio Magistratûs: aliquando sunt falsa, tam enim dæmoni solemne & ingenitum est mentiri, ut nunquam satis abstinere possit, ut exemplis constat. Pompejus ut postremò cum Cæsare confligeret, somnio motus est, quo sibi videbatur sedenti in theatro plausum à toto populo dari, sed deceptus est, Cæsare victore. Xerxes cùm de bello Græcis inferendo agitaret, Artabanus summopere expeditionem illam dissuasit. Regi per noctem rem expendenti visus per quietem adstare quidam corpore

 ingen-

ingenti & ſpecioſo, & niſi bellum ſuſciperet, gravia minari: idem ſomnium ter Regi exhibitum; Artabanus contemnere: juſſus in regio thalamo ſomnum captare, idem ſpectrum dormienti oblatum, & ad bellum urgere; ſed illud ceſſit infeliciſſimè, Xerxe cum infinitis copijs cæſo, & ſcaphâ mare, quod claſſibus texerat, remetiri coacto.

In ſomnijs ergo dijudicandis ſervanda eſt regula Spiritûs S. pluribus locis tradita. Eccl. 34. *Niſi ab Altiſſimo emiſſa fuerit viſitatio, ne des inſomnijs cor tuum.* Et Deut. 18. v. 10. *Non invenietur in te, qui obſervet ſomnia.* Plura de ſomnijs vide apud D. Thom. *1. p. q. 111.* & *2. 2. q. 95. a. 6.* & *1. 2. q. 115. a. 3.* Lactant. *in l. de Opif. Dei c. 18.* Tull. *l. 1. de Divinat.* & *l. 1. de nat. Deor.* Valer. Max. *l. 1. c. 6.* Alexander ab Alex. *l. 5. c. 25.*

Brutis & infantibus rariora ſunt, quàm homini ſomnia, *tum* ob abundantiam & craſſitiem vaporum, in quibus imagines rerum velut nebulâ obducuntur: *tum* ob defectum & imperfectionem memoriæ ac organorum.

23. Miræ ſunt quoque, quæ ab homine ſunt futurorum prædictiones, poſſe enim futura, quæ cauſas habent neceſſarias, imò etiam quæ liberas, probabiliter prædici, dubium non eſt; nam ex phyſiognomia & lineamentis ac hominis externa poſitura poſſe illius internos affectus, inclinationes naturales cognoſci, & conſequenter futuros actus, qui plerumque reſpondent inclinationi, maximè in ijs, qui non ratione, ſed appetitu ducuntur; tradunt Sacræ Literæ frequenter *Prov. 17.* & *Eccl. 8.* & *Iſaias.* Ariſtoteles integrum librum de Phyſiognomia reliquit; Deus enim auctor naturæ ſingulorum indoli, ac temperamento diverſa quoque & apta inſtrumenta paravit; ſicut ergo artifices ex inſtrumentis, quæ præferunt, & aves ex cantu, plumiſque, & arbores ex flore diſtinguimus, ita homines ex facie: accedit experientia & longa obſervatio, videmus enim nimiùm fuſcos, nigroſque cæteris paribus ſtupidos, & pertinaces eſſe, quales ſunt Æthiopes: candidos & molles timidos ac leves, ut mulieres: pili molles timidum ſignificant, ut in cervis, leporib⁹ & ovib⁹ videmus, qui omnes molli pilo ſunt: duri & ſicci robuſtum, ut in leone & apro &c. Sic Gregorius Nazianzen. viſo Athenis Juliano, ejuſq; facie

facie ac gestibus incompositis exclamâsse fertur; *Heu quantum malum Romano Imperio paratur!* & Augustus observatis in Alexandri manibus (qui se Herculis filium & hæredem regni omnibus persuaserat) callis, impostorem, & humili natum loco deprehendit. Et Episcopus Istriæ, ex capite proportione totius corporis parvo, deprehendit hominem tardi ac modici ingenij (spiritus enim animales ob angustiam vasis confunduntur ac commiscentur, seque impediunt, & cellæ cerebri nimiâ fuligine occupantur) iracundum (modicum enim cerebrum non satis habet humiditatis, quâ calorem cordis, ubi iræ sedes est, temperet) ac timidum; timor enim ex defectu cognitionis est, cùm rem non certò, sed dubiè, & ita cum formidine oppositi apprehendimus. Vide Aristotelem eleganter *l. de Physiogn.* & Plin. *l. 11. c. 25.*

Idem de *Chiromantia* dicendum est merè naturali, & physica; illa enim quæ cum Astrologia judiciaria conjungitur, & quæ singulas manuum areolas singulis Planetarum assignat, Veneri, Marti &c. vana est. *Chiromantia* ergo naturalis, & quæ temperamentum corporis, & ex hoc inclinationes animæ, ac futuras actiones probabiliter pronunciat, est pars Physiognomiæ, & arcana quædam naturæ inscriptio ac futurorum pictura; tot enim mæandri, & discursus linearum non frustra & otiosè sunt manibus inscripti; & approbat Sacra Scriptura Jobi 37. c. 7. *Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.* Et Aristot. *l. Problem. Sect. 10. probl. 48.*

Sunt tamen, qui dicant, eas lineas nihil aliud esse, quàm rugas manuum; infantes enim cùm in utero materno degunt, manus habent complicatas; cùm ergo manus mollissimæ sint, &, in pueris præsertim, tenerrimæ, rugas illas ex tot mensium complicatura contrahunt feruntque in lucem, cujus signum est, pueros recens natos hujusmodi lineis rugisque abundare; sicut ergo fortuiti sunt discursus linearum, ac colorum quos passim in sericis complicatis, in floribus, in marmore, in lignis, sectis, præsertim cedrinis, nucinis, ac cypressinis videmus, ita in manibus hominum.

Eodem modo ex ijs quæ in cœlo, stellis terraque contingunt, prædici aliqua futura posse dubium non est; quis enim nescit

ſcit ſerenitatem ſignificari ſole in ortu claro, ſereno nulliſque nubibus inumbrato, aut poſt occaſum cœlo rubente: cometis prædici calamitates; hyadibus & orionibus pluvias; planetarum conjunctione mutationes aëris; circulis ſubnigri coloris lunam ambientibus imbres? Sic amygdalorum copia meſſis abundantiam; trifolium inhorreſcens ac folia ſurrigens tempeſtatem; ſine auris ludentia arborum folia & pappi per aëra aut undas volitantes tempeſtatem: roſæ violæque ſub Autumnum reflorentes peſtem.

Burdigalæ ingentis ſecutæ luis roſæ ſigna fuêre ſub hyemem in hortis natæ. Sub Autumnum duæ vel tres glandes legendæ, in his aut muſcam, aut vermem, aut araneum reperies; muſca diſſidia, vermis fertilitatem, araneus peſtem portendit. Mures ſubitò totâ domo fugientes ruinas, paſſeres luem prænuntiant. Dubium ergo non eſt in ijs, quæ naturalem connexionem inter ſe habent, unum ex alio prædici poſſe. Vide S. Thomam *1.p.q.115. a.4.* & *3.contra Gent. c. 84.* & *85.*

Hæc tamen naturalis connexio parit certitudinem tantùm *phyſicam*, non *metaphyſicam*, quia poteſt divinitus impediri, ut patet in ſole imperio Joſue ſtante & decem lineis regreſſo: imò ſæpè nulla omnino certitudo hujuſmodi prædictionibus adeſt, nec enim ſufficit unius, aut alterius ſtellæ & conſtellationis naturam, ac influxum nôſſe, ſed omnium ſtellarum (quarum ſunt infinitæ ad invicem combinationes, ac proportiones, & ſingulæ combinationes alios & alios effectus habent) & diverſos terrarum ſitus & locorum temperiem, & omnes cauſas proximas, quæ effectum impedire, aut promovere poſſunt; ſicut enim calor ſolis ſub certo ſtellarum aſpectu, licèt ſit unus idemque, non tamen eoſdem in vite, in pomo, in lauro, in cera, in luto effectus producit, ſed diverſiſſimos, ac ſæpè contrarios, ita & de pluvijs, fertilitate, alijſque effectibus cenſendum: eſto ſol hodie ſerenus prodierit; quid ſi ex mari Atlantico, aut Æthiopico vapor elevetur, & ventorum vi iſthuc cum nube, & pluvijs feratur? cùm ergo infinitæ ſint cauſarum combinationes, complexiones, & vel unius ignorantia ac defectus veritati obſtet, patet vix ullam certitudinem prædictionibus Aſtrologicis eſſe

posse, saltem omnibus, de aliquibus enim dubitari vix potest, ut de futuris eclypsibus, conjunctionibus, oppositionibus, ortu, occasu, aspectu, phasibus lunæ &c. hæc enim à principijs immutabilibus & necessarijs, ac universalibus pendent, ac motibus astrorum, qui nequeunt impediri.

X. *Quæritur 6.* Utrum per *Astrologiam Judiciariam* futura contingentia possint certò prædici?

Resp. *Astrologia judiciaria*, quæ futura contingentia, præsertim quæ pendent ex libero arbitrio, ex stellis prædicit velut certa & indubitata, vana omnino & superstitiosa est.

Ratio est 1. Ex Sacra Scriptura, ubi semper damnatur. Eccl. *8. v. 7.* & *29. v. 14.* & Jerem. *10. v. 2.* & Isaiæ *41. v. 23.* & *44. v. 25.* & *47. v. 10.* & ad Col. *2. v. 8.*

2. Ex Sacris Canonibus totâ *causâ 26.* & de *Sortilegijs* in Decretalibus.

3. Ex Jure Civili. *C. de Malef. & Math.* & *l. Mathematicos. C. de Episcop. audient.* Vide Bullam Sixti V. contra Astrologos, & regulam *6.* Indicis librorum prohibitorum ex Decreto Concilij Trid.

4. Quò magis est aliquid contingens, eò minùs est certum, & consequenter eò minùs potest certò prænosci: sed quæ dependent ex libera hominum voluntate, sunt maximè contingentia, nec ullam habent causam necessariam, quî ergo sciri possunt certò, quæ certi nihil habent? & si Astrologi adeò errant in prænotione eorum, quæ causas necessarias habent (v. g. nivibus, ventis, fertilitate &c.) ut constat ex eorum ephemeridibus, ubi ex ducentis prædictionibus vix decem reperias, quæ veræ sint, quantò magis errabunt in prænotione eorum, quæ omnino sunt incerta, nec ullas habent causas necessarias? testi tu crederes centies mendaci, & casu tantùm, aut per somnium vera dicenti? aut te nautæ committeres, qui centies in scopulos impegisset, navi rarò incolumi, & plerumque mersî?

Dices: Etiam Medicina est ars, & quidem saluberrima, & tamen sæpè ægros non juvat, nec ideo tamen damnatur, aut abjicitur, cur non idem de Astrologia dixeris?

Resp. Ideo Medicinam esse artem, quia semper adhibet juvantia, quantum est ex parte artis, quæ certis & infallibilibus ni-

titur principijs: si verò æger haud sanatur, non ideo est, quia ars fallitur, sed ideo quia aut morbus medicinam vincit, aut quia Medicus aliquid ignorat. Astrologia verò caret principijs certæ veritatis, imò nititur principijs falsis, nec enim sequitur: *Natus est sub Saturno, ergo tristis & invidus erit:* Hoc enim multò magis pendet à parentum indole, ab educatione, ab alimentis, à temperamento innato, à loco ubi habitabit, à studijs &c. Sicut ergo malè quis concluderet: *Habet alas, ergo volat:* causa enim volatûs non sunt solæ alæ, ut in struthione patet; ita, qui ex solis astris futura hominum præcinit, cùm ex solis astris non pendeant: Si non omne quod sub certo cœli aspectu & sole in libra v.g. existente nascitur, est pomum aut pyrum, aut fungus, quia hoc non ex solis astris, sed etiam ex seminibus, & terra pendet; cur omnis, qui sub Saturno nascitur, sit infelix, aut homicida futurus, cùm hoc non ex solis astris, sed æquè ex multis alijs pendeat, quæ Astrologis non sunt perspecta, ut temperamentum, studia, institutio ex conatu, virtute, gratiâ Dei &c.? *Astrologia* igitur *judiciaria* ex sua natura est fallax, quia falsis principijs nititur, conatur enim verum ex falso deducere: quod si aliquando verum dicit, casu fit, non vi artis; sicut siquis ex falsis præmissis, & in malo Syllogismo verum concludat.

5. Nulla hactenus stella fuit, cujus influxu cucurbita in horto nata in rosam, aut quercum mutaretur, quomodo ergo mutabit rusticum aut pastorem in caula natum, qualis Cyrus & Romulus fuêre, in Reges aut Episcopos?

6. Jacob & Esau, alijque Gemini eodem conceptu, & partu nati fuerunt, moribus, studijs, fortunis, ac morte dissimillimi, & tamen eodem cœli aspectu editi; ergo cœli aspectus nec est causa nec signum futurorum.

Dices, unum post alium fuisse natum, quæ mora licèt nobis parva, cœlo tamen, quod velocissimè movetur, maxima fuit, sol enim unius minuti spatio conficit 8480. milliaria Belgica, h.e. horaria, quid ergo mirum, si tantulâ morâ tanta fiat constellationum & aspectuum, & consequenter horoscopi, mutatio? *Contra.* Sed quid dicent de illis, qui eodem omnino momento, ac gemini nascuntur? num uterque erit pictor, uterque dives, uterque

cælebs

cælebs aut conjugatus, uterque eodem letho peribit? *Deinde* etiam idem homo non totus eodemque momento ex utero prodit, sed priùs caput, *tum* manus, & reliquæ partes sibi succedentes; aliud ergo erit capiti, aliud manibus, aliud pectori fatum, & si caput à stellis gladio destinetur, pedes naufragio, manus chiragrâ peribunt, quæ omnia sunt absurdissima: & si momento temporis tanta est cœlo velocitas, & stellis aspectuum ac horoscopi mutatio, quis est, rogo, Mathematicorum tam lynceis & pernicibus oculis, qui illud punctum fatale & figuram ac imaginem futurorum videre, legere, notare potuerit? nemo planè paginam leget momento tantùm visam, nec fieri potest, ut momento tantùm temporis & quantum inter nativitatem Esau & Jacob interfuit, tanta fiat immutatio & influxus in hæc sublunaria; nec enim sol uno tantùm momento lucens calefacit, arbores ac metalla producit, quantò minùs totam vitam humanam & infinitas eventuum complexiones ordinat? Quodsi aliquod cœli momentum observandum est, erit illud potiùs, quo homo concipitur, non quo nascitur (nativitas enim hominem non facit, sed factum prodit; & ita etiam in frugibus tempus, quo seruntur, non quo nascuntur, aut leguntur attendimus) sed momentum, quo homo concipitur, Astrologis ignotum est, imò ignotum etiam præcisè illud minutum nativitatis, nulla enim matrum aut obstetricum dicere possit, quo horæ minuto, quarto, an decimo, an vigesimo tertio natus sit infans, & tamen unius minuti mora potest totum horoscopum nimiùm quantùm variare, ut ipsi dicunt de duobus geminis Esau & Jacob.

7. In prælio ad Arbelam commisso centies mille homines cæsi sunt, omnes milites, omnes eodem loco, omnes à Macedonibus, omnes telo, unâ etiam nocte unoque momento, & in unius civitatis obsidione; sub uno Duce ac Rege Sennacherib ab uno Angelo cæsa sunt Assyriorum centum octoginta quinque millia: an hi omnes eodem die, horâ, signo, horoscopo nati? Idem dicas de illis, qui in eadem navi uno eodemque naufragio hausti sunt; quî ergo fieri potest, ut ex astris eorumque positione vitam, mortemque Astrologus prædicat, quando cœlo ac astris invitis & discordibus ijdem eventus casusque contingunt? *nisi fortè dicant*

(quid enim absurdi non dicunt?) fatum ac horoscopum Alexandri fuisse, ut tot millia Persarum ab eo uno prælio cæderentur, & huic fato velut potentiori cessisse fatum ac horoscopum singulorum, quibus aliæ mortes debebantur, nisi fatum ac stella Alexandri superâsset. *Si ita est*, ergo æquè dicendum erit illos trecentos, aut quadringentos homines, qui uno momento, unaq; triremi, naufragium fecêre, quamvis aliâ morte perire debuissent, victos tamen esse fato illius navis, aut illius venti, aut illius undæ, quibus oppressi sunt: homo ergo ex fato navis ventique pendet, nec pendet tantùm, sed etiam vincitur, quid rogo absurdius? *Sed demus* hoc etiam, ergo Astrologus non potest ex sola nativitate, aut horoscopo meis præcinere, quæ mihi ventura sint, nisi horoscopum & fatum illius undæ, illius navis Alexandri, illius latronis & mille aliorum noverit, à quorum fatis meum fatum & pendet & vinci potest; quis verò est Astrologus, qui hæc noverit, qui omni ligno cùm cæditur, omni navi cùm struitur, omni gladio cùm cuditur, omni Regi aut latroni cùm nascitur, assedit, eorumque fata ac genituras stellasque notavit, à quibus meum fatum pendet, vincique potest? vanum ergo falsumque est, posse genus mortis ab Astrologo prævideri, v. g. an Alexander veneno periturus sit, an Æschines casu testudinis ab aquila demissæ, an regnum Græcorum longiùs quàm Persarum duraturum sit &c. Cùm ergo *Astrologia judiciaria* & per se vana fallaxque sit, & homines varijs sceleribus implicet, magiæ vid. contemptûs ac negligentiæ divinorum, desperationis, temeritatis &c. meritò in omnibus bene dispositis Rebuspublicis vetita est. De Tiberio Imp. hæc habet Tacitus: *Circa Deum & Religionem negligentior, quippe addictus Mathematicæ, persuasionisq; plenus cuncta fato agi.* Et alibi: *Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper & retinebitur.* Plura vide apud S. Aug. super Psalm. 61. & *l. 2. de doctr. Christ. à c. 21.* & *l. 5. de Civ.* S. Thom. *2. 2. q 95.* Picum Mirandul. *libris 12.* Tull. *l. 2. de Divinat.* Pulchrè etiam Favorinus apud Gellium *l. 14. c. 1. Aut adversa Astrologi dicunt, aut prospera? si adversa, & mentiuntur, miser fies frustra timendo. Si adversa & vera, priùs animo miser, quàm fato, hoc est, bis miser eris. Si verò prospera nuntiant & fallunt, miser fies frustra expectando, si*

non

non fallunt & evenient, expectatio te suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi jam prafloraverit.

XI. *Objicitur* 1. Innumera esse exempla, ac historias fide dignissimas, in quibus videre est, Mathematicos futura prædixisse, quæ ex hominum libertate pendent. Pauca dabimus. Celeberrima in primis est prædictio *Agrippinæ* ab Astrologis facta, cùm *Neronem* peperisset.

Natus est *Nero* Antij decimo octavo Calendas Januarij, oriente sole; pænè ut radijs priùs, quàm terrâ contingeretur. Domitius ejus pater gratulantibus amicis dixisse fertur: *Nihil ex se & Agrippina nisi detestabile, & malo publico nasci posse.* Natalem diem & quadratum habuit formidolosum, Mercurium vid. in secunda domo, quam infernalem vocant, lunæ oppositum, in undecima hærentem; Lunæ Pleiades, & istæ Marti conjunctæ. Animadverso igitur stellarum cursu, qui tunc erat, atque earum conjunctione, duo simul Astrologus prædixit, eum & regnaturum, & matrem interfecturum: quod cùm mater intellexisset, clamare cœpit: *Me verò occidat, dum regnet.* Domitio defuncto Agrippina Claudio Imp. nubit, à quo Nero adoptatus Agrippinæ precibus. Sed cùm Claudius Britannico ex Messalina filio imperium pararet, Agrippina venenum marito in boletis porrigit, & Neronem à militibus acclamari Imperatorem curat. Is matrem regnandi avidam & impatienter filij scelera ferentem ter veneno tentat, semel ruinâ & naufragio, tandem omnibus irritis, ab Aniceto Centurione feriri jubet. Ferunt viso sicario infelicem exclamâsse: *Huc huc Anicete, feri hanc alvum, hanc feri, quia Neronem peperit.* Vide Tacitum & Suetonium in Neronem. Sic vaticinium Astrologi impletum est, qui multa ab humana libertate pendentia prævidit, Neronem vid. Imperatorem electum iri & matrem necaturum.

Aliud miræ prædictionis Astrologicæ exemplum ex Socrate, Zonara, alijsque habetur. Leontius Philosophus Atheniensis duos filios & filiam *Athenaidem* nomine susceperat: hanc ex astris intellexerat fore Imperatori uxorem. Moriturus filios hæredes testamento instituit, filiâ præteritâ, aut, ut alij dicunt, centum aureis donatâ: querenti respondit: *Bono animo esset, feliciorem*

ipſam fratribus fore, fortunam illi & regnum pro hæreditate relinqui. Mortuo patre Athenais domo à fratribus pellitur. Ipſa Conſtantinopolim petit, & aditu ad Pulcheriam Imperatricem Theodoſij ſororem impetrato cauſam & injuriam exponit: tanta perorantis eloquentia & venuſtas ac gratia virginis fuit, ut & Pulcheriam ceperit & Auguſto placuerit, cui recepto Baptiſmate (nam Pagana fuerat) deſponſa & Matrimonio juncta eſt. En iterum Aſtrologiam futuri exploratricem!

Et illud memoriâ dignum eſt: *Pico* Duci *Mirandulano*, cùm *Aſtrologiam judiciariam* duodecim libris confutâſſet, Lutius Bellantius inſignis Aſtrologus prædixit, fore ut iratis aſtris, quibus bellum moviſſet, vitam anno ætatis trigeſimo tertio, & à Chriſto nato milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto abrumperet, quod & factum eſt. Hujusmodi prædictionibus hiſtoriæ abundant. Sive ergo has humanæ ſcientiæ attribuas, ſive diabolicæ, conſtat ſupra naturam non eſſe; nec enim dæmones majorem ſcientiam, quàm naturalem habent; aut ergo in aſtris aut in alijs cauſis vel ſignis naturalibus futura prævideri poſſunt.

Reſp. 1. Aſtrologos ubi ſemel verum, millies falſum dicere. Tull. *l. 2. de Divinat. Mihi permirum videtur quemquam extare, qui etiamnum ijs credat, quorum prædicta quotidie videat re & eventis refelli.* & Seneca in Apol. *Oportet Mathematicos aliquando verum dicere, qui Claudium, poſtquam Princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus moriturum canunt.* & Favorinus apud Gell. *l. 14. c. 1.* circa fin. *Iſta tamen omnia, quæ aut temerè aut aſtutè vera dicunt, præ cæteris quæ mentiuntur, pars ea non eſt milleſima.* Quis neſcit Julianum Apoſtatam in Perſas moviſſe Aſtrologorum vatumque promiſſis victoriam promittentibus infeliciſſimo eventu? Hebræos illos, qui Leoni Iſaurico imperium verè prædixerunt, Arabiâ paulò antè pulſos eſſe, quòd Zitam Principem ſimili ferè promiſſione deluſiſſent? Alios quoque Aſtrologos Rhodi à Tiberio præcipites datos, qui omnia in aſtris præter inſtantem ſibi mortem legebant?

Quotidianæ ephemerides quot mendacijs ſcatent? ſi ergo Aſtrologis credendum eſt, quia ſemel & raro verum dicunt, cur potiùs credendum non erit, quia ſæpe & millies errant? an cæ-

eus non aliquando ostium invenit? an thesauri non aliquando à fodientibus reperti? non ideo tamen aut penes cæcos est ars alios rectâ ducendi, aut penes fossores ars thesauros inveniendi: quòd ergo Astrologi verum aliquoties dicant, casus est, non scientia: sicut quòd in Pyrrhi achate novem Musæ cum insignibus pictæ, in gemma Iliaca sol, in selenite luna stellis incincta, in heliotropino quatuor elementa suis coloribus distincta; sicut, inquam, hæc non artis, sed casûs sunt, nec propterea dici potest elementum terræ sculpendi arte instructum esse, quamvis aliqua pingat & sculpat, & aliquando tam affabrè, ut artem vincat, ita non propterea rerum futurarum scientiam Astrologi habent, quia aliquando prædicunt aliqua, nam & casu hoc fieri potest, & pueris & amentibus & somniantibus interdum hoc accidit: quia verò, quæ falsò ab Astrologis dicuntur, ea velut solita, & quotidiana silentur, quæ verè velut rara & insolita vulgantur, inde fit ut imperitis admirationem moveant, & putentur ex arte, & destinatò fieri. Vide S. Aug. *l. 83. qq. q. 45.* Exemplum est in Alexandro Severo, cui adolescenti & Virgilianas sortes pueriliter quærenti versus illi imperium portenderunt: *Tu regere imperio populos Romane memento &c.* Vide S. Thom. *2. 2. q. 85. a. 8.*

Resp. 2. Negari haud potest, operam dæmonum plerumque prædictionibus Astrologicis misceri, ut notat S. Thomas *2. 2. q. 95. a. 5.* & S. Aug. *5. de Civ. c. 7.* & *l. 2. de doctr. Christ. c. 22. & 23.* Astra ergo & cœli ab Astrologis prætexuntur, sed præcipuæ partes dæmonis sunt, non quòd iste futura prænoscat, sed quia cùm omnium artium, scientiarum, causarumque naturalium peritiam habeat, solertissimè omnia confert, & ita per discursum unum ex alio sagaciter conijcit, colligitque: & cùm omnibus locis, personis ac negotijs præsens esse possit, facilè ex verbis, signis, factisque quæ facturi sumus præsentit: *deinde* ut clientibus suis fidem faciat, & ut videatur conscius futuri, priùs prænuntiat, tum causas aptat, hominesque urget (quod facilè ab obsequentibus obtinet) ad prænuntiatorum executionem, & ita ea præscit, prædicitque, non quæ alij, sed quæ ipse facturus est. Sic *Agrippina* lethum non in stellis legerat, sed facilè prævidere potuit in animo Agrippinæ superbo & ambitioso & in *Neronis* crudeli,

deli, insolente, & regni sociam non passuro; cui enim notæ erant Claudij, Agrippinæ, & Neronis naturæ, indolesque, quid facilius erat, quàm sic vaticinari? *Agrippina mulier ambitiosa Neroni filio imperium procurabit: Claudius homo uxorius Agrippinæ blanditijs capietur, & Neronem adoptabit: Nero animo crudeli, & ambitioso matrem imperij avidam & linguâ impotentis è medio tollet.* Quid etiam facilius dæmoni erat, quàm tragœdiam hanc omnem parare, ut Neronis vid. crudelitatem in Religionem Christianam armaret? quàm facilè Claudium movere potuit, ut amaret Agrippinam, ut amatam duceret, ut ductam audiret; Agrippinam verò, ut maritum veneno tolleret, milites ut præmijs & spe corrupti Neronem acclamarent, hunc ut matrem importunè filium castigantem, & imperandi avidam morti addiceret! Planè hæc omnia facilè persuaderi à dæmone & præstari poterant, & consequenter facilè ab eo prævideri, ut qui sciret illos omnes & sibi & suis cupiditatibus obsequentes esse. Sicut ergo qui statuit domum incendere, & media ac rationes incendendæ habet, poterit domum arsuram prædicere; ita & dæmon Neronem imperaturum, Agrippinam morituram, quorum utrumque curaturus ipse erat, nec spectatis causis naturalibus impediri poterat. Deum autem hæc sæpè permittere, *tum* ob hominum peccata, *tum* ut illos ipsos puniat, qui spes suas hujusmodi vaticinijs, non verò gratiæ, ac Providentiæ divinæ committunt; *tum*, ob occultas aliquas solique Deo notas rationes, docent & quotidiana experientia, & S. Aug. *l. 4. Confess. c. 3.* & *l. 2. de Doctr. Christ. c. 22. & 23.* & *2. de Genes. ad liter. c. 17.* & *l. 2. ad Simplic. q. 3.* S. Thom. *2. 2. q. 172. a. 6.*

Unde jam patet, quomodo potuerit dæmon apud Gentiles tot statuas animare ac oracula fundere, quæ tamen sæpissimè, aut ita erant obscura, ut intelligi nequirent, aut ita ambigua, ut possent in sensus oppositos explicari, aut *denique* apertè falsa, ut testatur Porphyrius Philosophus paganus *l. de Orac.* & videri potest Euseb. *l. 4. de Præparat. Evang. c. 1.* & præsertim *l. 5. c. 10.* *Deniq;* sicut Deus aliquando per asinam & Pseudoprophetas locutus est, ut etiam testimonium veritati esset ab hostibus veritatis, ita sæpè dæmonibus revelavit, quæ ipsi in testimonium veritatis proferrent;

rent; talia ſunt oracula Sibyllina, quæ Chriſtianam Religionem tam apertè confirmabant, ut Imperatores ea legi publico edicto prohiberent. Sic teſte Oroſio quærentibus Romanis, quamdiu templum Pacis duraturum eſſet? reſpondit oraculum: *Dum Virgo pariat:* & eâ nocte, quâ Chriſtus eſt natus, templum corruit. Vide Plutarch. *de defectu orac.* & S. Thom. *2. 2. q. 172. a. 6.*

Reſp. 3. Ad Hiſtoriam *Athenaidis*, non tam Aſtrologum in cœlo & aſtris ejus fortunam prævidiſſe, quàm in corporis animique dotibus: ejus enim fatum ex oculis & vultu, non ex ſtellis pendebat, quot enim cum Athenaide eodem momento, ſtellaque natæ, non tamen eodem thoro receptæ ſunt! non ergo Athenais ideo Regina, quia ſub hoc vel illo ſigno nata, ſed quia ſapiens, quia pulchra, quia placuit, & præſertim quia Deo ſic viſum, ejus virtutes ac injurias, quas à fratribus acceperat, compenſanti.

De *Pico Mirandulano:* potuit dæmon ejus mortem prævidere, quia cauſas mortis non in ſtellis videbat, ſed in corpore latentes; & earum vim cum medicinis, & alijs mortem retardantibus comparatam eâ quâ eſt ſagacitate, certo tempore & annis duraturam definire; quod etiam peritus Medicus, ſi tam accuratè morbi in corpore cauſas videret, dicere poſſet: ſicut ergo peritus belli Dux poteſt & ſcire & prædicere, quot menſibus ſit commeatus militi ſuffecturus; ita & dæmon quot annis calor naturalis, in quo vitæ ſedes, medicinis adjutus contra internos, externoſque impetus duraturus.

Multò faciliùs potuit Spurina Aſtrologus Julio Cæſari diem mortis præſagire, cùm enim ſexaginta conjurati eſſent, & in diem convocati ſenatûs parricidium condixiſſent, quid potuit dæmonem morari, ut illorum conſilia, quibus intererat, & quæ ſuggerebat, ignoraret? & planè mali genij artibus factum videtur, ut Cæſar tot indicijs monitus, imò etiam oblatis in libello conjuratorum nominibus, cùm jam in curiam, hoc eſt, ad locum ſupplicij iret, inſidias tamen non caveret, Deo maximè id permittente, ut Cæſar vid. qui tot mortalium ſanguine ſuæ ambitioni litaverat (gloriari enim ſolebat, ſe quinquaginta prælijs undecies centena millia hominum cecidiſſe) ipſe quoque tribus &

viginti vulneribus caderet, Romano imperio tribus tantùm annis potitus. Hoc exempli causâ memoravi, ut appareat, cur Deus permittat dæmones aliquando vera Astrologis prædicere, nec impediat eventa ab illis & nuntiata & sæpè procurata.

Obijcitur 2. Stellæ præsertim erraticæ, & planetæ aliter & aliter corpus ac temperamentum disponunt, variasque inclinationes animæ imprimunt, hæc enim sequitur corporis & temperamenti sui impetum, maximè intensum rapidumque, & quamvis inclinatio naturalis voluntatem non cogat, plerumque tamen in suas partes trahit; quotus enim est ex millibus, qui vim naturæ inferat, & non potiùs obsequatur? quod maximè verum est in Magnatibus & Principibus, quibus voluntas est pro ratione: facilè ergo Astrologus ex cœli ac stellarum situ futuras hominum actiones prævidere potest: sicut siquis navim in alto videat procellosis ac rapidis jactatam ventis, facilè judicabit eam quamvis velo clavoque instructam illic appulsuram, quò ventis feretur.

Resp. 1. Minimam esse impressionem, quam corpus à stellis accipit, longè enim majorem à Parentum sanguine, ab educatione, exemplis, studijs, cibo potuque &c. quàm à stellis accipit, & ideo quamvis mille sub eodem cœli aspectu nascantur, vix duos reperias ijsdem moribus, fortunâ ac exitu pares; & demus inclinationes ac impetus meos naturales à stellis esse, quid de illis eventis dicendum erit, quæ non ex mea, sed aliorum inclinatione pendent? nec enim ut Episcopus, ut Rex, ut victor evadam, ut felici morte defungar, ex meo tantùm nutu fatoque pendet, sed ex nutu & fato aliorum, & quidem non unius aut alterius tantùm, quibus & mores, & propensiones, & respectus, & fata diversissima sunt, & quorum stellas nunquam Astrologus vidit, nec videre potuit, quî ergo ex meis stellis prædicat, quæ à meis stellis non pendent? & quid profit mihi Jovem infulas polliceri, si à quibus eligendus sum, sub Marte aut Saturno nati aversis à me animis in alium conspirent?

Deinde, quæ sunt illæ stellæ, in quibus futura perlegitis? quas in conceptu habui, quas in ortu, aut quas totius vitæ decursu? primas & ultimas nunquam vidistis, mediæ non sufficiunt, quî enim

enim possint uno illo & brevissimo momento, quo transvolant, tantam vim in corpus adeò remotum exerere? & si exerant, aliæ stellæ, planetæ, ac quadraturæ primis succedentes, multoque illis numero, ac virtute agendi potentiores non primam illam cœli tincturam influxusque aut delebunt, aut mutabunt, eo ferè modo, quo aqua multo infuso vino, aut frigus multo calore adjecto, aut character alijs multisque characteribus inscriptis? Non ergo ex stellis corporis animique propensiones præsciri & certò possunt, & si præsciantur propensiones, non ideo tamen etiam, quæ ex aliorum propensione & voluntate, non nostra pendent, qualia sunt genus ac tempus mortis, promotiones ad dignitatem, divitiæ, favores ac amicitiæ Regum &c.

Objicitur 3. Possunt futura ex animalium motu, imò etiam ex inanimatis prænosci, ergo etiam ex stellis, quæ aut animatæ sunt ex sententia multorum Patrum, aut saltem ab Intelligentijs moventur. *Antecedens probatur*: signum enim futuræ pluviæ est, cùm aves pennas suas rostris aut cutem fodicant, quasi pulices quæritantes; quando quæ arbores incolere solent,ad nidos refugiunt: cùm mergi, fulicæ, aliæque aquaticæ aquis ludibundæ se immergunt: cùm solito magis strepunt, clanguntque, præsertim anseres: cùm apes alveario non exeunt, aut non procul: cùm muscæ oculos hominum petunt, aut acriùs mordent: cùm ranæ extra ordinem coaxant: cùm feles caput & aures anterioribus pedibus scalpunt, linguâ reliquum corpus lingunt, cùm boves junguntur & stipantur, seque lambunt & caput attollunt: cùm iris in meridie apparet, magnam vim aquarum denotat, sed circa occasum, levem pluviam ac tonitrua, circa vesperam ab ortu conspecta, serenitatem: idem iridis color, quo magis viret, eò majorem inundationem, quò plùs rubet, vehementiores ventos: Circa lunam seu halon indicat aquas: circa solem aëre sereno pluvias, aëre pluvio serenitatem; circa lucernas & lampades pluvias &c.

Resp. Ex stellis futuras aëris mutationes ac tempestates prænosci posse dubium non est: Sic enim sol in ortu pallidus & aqueus pluvias portendit, in occasu ventos: cùm nube obductus mergitur, pluvias: Si verò occumbente statim sint pluviæ, se-

quenti die ventus erit. Sole oriente si statim circa illum nubes conglobentur, atra erit tempestas, si verò ab ortu solis versus occasum pellantur, serenitas. Sol duplicatus aut triplicatus visus maximas portendit per plures dies tempestates. Sic Novilunia, plenilunia & quadraturæ plerumque aëris mutationem afferunt. Lunæ dies quarta confirmat novilunium, quinta verò nautis est suspecta ob tempestates. Luna quarta & quinta totius subsequentis lunationis prænuntia. Luna à novilunio ante diem quartum non apparens turbidum aërem toto deinceps mense portendit. Luna utrumque cornu acutum exhibens pluvias, uno tantùm acuto, altero obtuso ventos. Circuli duplices aut triplices circa lunam, maximè si fracti, intersecti & maculosi, horrendas tempestates; circuli verò simplices ventos, maximè circa eam partem, quâ franguntur, aut magis splendent. Plenilunia æstatem plerumque serenant, hyemem infrigidant. Luna sub solis occursum ampliata & luminosa plurium dierum serenitatem.

Ex stellis ergo, præsertim luna, præsagiri possunt aëris tempestates ac mutationes, quia istæ sunt illarum effectus: Non ita in moribus, & actionibus hominum liberis, quæque non à tot stellis, sed aliunde pendent.

Plura de mirabilibus hominis superessent dicenda, sed reservantur suis locis, ubi de corpore humano; sicut etiam de Mirabilibus Cœli, Stellarum &c.

XII. *Quæritur 7.* Quid sit violentum?

Resp. Naturæ opponitur *violentum;* sicut enim quod est naturale, fit à principio intrinseco, ita quod violentum, fit à principio omnino extrinseco; sic motus lapidis sursum projecti est violentus, quia ab extrinseco provenit contra intrinsecam & naturalem ejus inclinationem.

Definitur ergo *violentum, quod est à principio extrinseco nullam vim conferente passo.* Deus si agat per potentiam absolutam, & ut causa universalis, nulli rei potest inferre violentiam. S. Thom. *1. p. q. 105. a. 6. ad 1. & 3. contra Gent. c. 100. & q. 6. de pot. a. 1. ad 19. tum* quia obedire Creatori non est creaturæ violentum, sed naturale; sicut enim est omni enti finito naturale esse creatum & dependens, ita

Crea-

Creatori obedire: *tum* quia subordinatio creaturæ ad Creatorem est creaturæ essentialis, multoque naturalior, quàm subordinatio animæ ad corpus, lunæ ad solem &c. *tum* quia nihil ita naturale, quàm sui ipsius conservatio: atqui hæc pendet à subordinatione cum causa prima; sicut enim palmes non conservatur nisi in vite, nec flos nisi in radice, ita nec creatura nisi in Deo: *tum* quia Deus non potest censeri principium extrinsecum ullius creaturæ, cùm sit causa totius entis; nihil autem patitur violentiam à sua causa naturali; *tum* quia omne violentum dicit resistentiam, nulla verò creatura habet resistentiam respectu Dei, hæc enim resistentia & impetus vel esset à Deo, ejusque voluntate, vel non? si hoc? non esset ens creatum, & participatum: Si esset à Deo ejusque voluntate, ergo non resisteret; sicut penicillus dum ab artifice movetur, non ei resistit, quia ad artificis nutum, ejusque manu ac voluntate movetur. Secùs est in lapide, cùm sursum projicitur, resistit enim & gravitat, quam gravitatem non habet à projiciente: *tum* denique quia S. Thomas *1. p. q. 60. a. 5.* docet aquam, cùm metu vacui sursum attollitur, non pati violentiam, quia illi ut est pars universi, naturale est sursum moveri ad impediendum malum, & dissolutionem totius, hoc est, vacuum; sicut manui ut pars est corporis, naturale est, ut se opponat, & vulnus excipiat in caput vibratum.

Dices: Cur ergo aqua metu vacui sursum acta gravitat in fistula, si naturaliter sursum movetur?

Resp. Causam non esse, quòd aqua, dum sursum movetur, deorsum etiam tendat, id enim fieri non potest, sed quia habet partes terræ admixtas, & quia corpus grave gravi additum facit gravius; non ergo in fistula aqua aut vinum gravitat, sed est gravis; sicut terra in suo centro non gravitat, sed est gravis; si enim gravis non esset, quid illam centro alligaret, redderetque immobilem?

Si tamen passum aut subjectum aliquod se tantùm *negativè* ad aliquam formam habeat, non autem *positivè* illi repugnet, non patietur violentiam, & ideo lux aëri, gratia animæ non sunt formæ violentæ, quia aëri lux, gratia animæ non repugnant. Etiam *materia* pati potest *violentiam*, si vid. aut omni omnino formâ pri-

vetur (quamvis hoc in sententia nostra fieri haud possit) aut ultimò ad aliquam formam, v.g. ignis disposita impediatur illam recipere; utrumque enim est contra naturalem ejus & passivam inclinationem; respectu tamen Dei & potentiæ obedientialis, si hoc utrumque, vid. per absolutam potentiam fiat, jam diximus nullam fore violentiam. Quodsi Deus conservet resistentiam ac repugnantiam, & simul contrariam formam inducat (ut si lapidem sursum projiceret, aut cùm dæmones invitos ac propterea tristes dolentesque igni corporeo subjicit) non videtur absurdum dicere, Deum in hoc casu violentiam inferre, quia hæc consistit in tali resistentia & repugnantia. Si Angelus cesset cœlum movere, quies cœlo non erit violenta, sed naturalis, quia sublato motu ab extrinseco, est juxta cœli inclinationem, ut quiescat.

Dantur etiam aliqui motus ex naturali & violento mixti, v.g. in motu progressivo elevatio pedis sursum *ut* corporis gravis est violenta, sed *ut* est à forma animalis, cui is motus debetur, & quæ est forma prædominans ac totius, est simpliciter motus naturalis. Sic appetitus sensitivus & actus externi possunt esse violenti, quia contra imperium voluntatis, quæ est forma prædominans, & cui aliæ naturaliter subduntur potentiæ; quamvis ut à suis potentijs immediatè eliciuntur, sint naturales, ut si v.g. idolothyta, aut cibi aliàs prohibiti contra voluntatem ori ingerantur, ea gustatio *secundùm quid* est naturalis, quia elicitur immediatè à potentia connaturali, hoc est, gustu: *simpliciter* tamen est violenta, quia contra imperium formæ ac potentiæ regnantis, hoc est, voluntatis. Vide S. Thom. *1. 2. q. 6. a. 4.* Qui etiam *1. de Cœlo lect. 4.* admittit quemdam medium motum inter naturalem & violentum, qualis est circulatio perfecta ignis & aëris ex motu Firmamenti, & imperfecta maris secundùm fluxum & refluxum, hæc enim nec est à principio intrinseco, nec cum resistentia, aut contra inclinationem istorum elementorum, reduci tamen potest ad motum naturalem, quia elementa sunt naturaliter à primo mobili mobilia, & sicut influxui, ita motui cœlorum locali naturaliter subsunt.

XIII. *Quæritur 8.* Quomodò natura cum arte conveniat?

Resp. Natura multis modis cum arte convenit, dissidetque.

Con-

Convenit 1. Naturæ opera ſicut opera artis procedunt, hoc eſt, certis, ratiſque legibus ac ordine, & ideo naturam *artem Dei* Philoſophi nuncupârunt, Deum verò Αρισοτέχνην, hoc eſt, optimum artificem. 2. Sicut agens naturale producit ſibi ſimile quoad formam phyſicam, ita agens artificiale quoad formam technicam, & idealem menti ſuæ impreſſam, & utraque formam educit ex ſubjecto diſpoſito, ac præparato. 3. Sicut ars naturam, ſic natura Deum ſupponit. 4. Tam ars, quàm natura ſenſim proficit, & de imperfectioribus ad perfectiora progreditur, & ideo imperfectorum major, quàm perfectorum copia, hæc enim plura illis requirunt. Vide Ariſtot. *3. de animal. c. 4.* & *in Problem. ſect. 10. problem. 44.* 5. Ut natura tantò nobilior, quantò propiùs ad divinam accedit, cujus eſt imitatio, ita tantò ars nobilior, quantò naturam magis exprimit: talis fuit Alexander fulminans Apellis, digitis eminentibus, & fulmine velut extra telam micante, tanto operis, famæque ſucceſſu, ut vulgò diceretur, duos eſſe Alexandros, unum Philippi nullis viribus ſuperabilem, alium Apellis nullâ arte imitabilem. 6. Et in artis & in naturæ operibus caſus locum habet. Caſus pinxit Pyrrhi achatem, caſus Americam naufragio Alphonſi Sanchezij detexit, caſus expreſſit ſpumam equo currenti, ſpongia coloribus plena, in tabulam à Protogene impacta. Vide Plin. *l. 35. c. 10.*

Differt ars à natura 1. Natura res veras efficit, ars falſas & verò tantùm ſimiles. 2. Ars naturam perficit, ut patet in cantu, in medicina &c. 3. Forma per artem inducta non generat aliam formam artificialem, v. g. domus non producit domum; bene autem forma naturalis. Vide S. Thom. *l. 2. contra Gent. c. 76.* 4. Forma naturalis advenit enti in potentia, ſed artificialis enti in actu. 5. Ars tota in ſuperficie hæret, interiorum plerumque negligens, natura verò interna magis elaborat, quia magis neceſſaria.

XIV. *Quæritur 9.* Utrùm ars poſſit efficere opera naturæ?

Reſp. 1. Ars *propriè & per ſe loquendo* non poteſt efficere opera naturæ, ſed tantùm applicare activa, & paſſiva naturalia, ex quibus effectus naturalis ſequitur. Vide S. Thom. *2. 2. q. 96. a. 2.* Patet experientiâ, & *ratio* eſt, quia ars eſt habitus intellectualis

in

in intellectu consistens; intellectus autem non est immediatè ad extra operativus.

XV. *Resp. 2.* Sunt tamen sicut naturæ, ita quoque artis multa miracula; nam *1.* Meritò inter miracula ars navigandi censetur; quid enim mirabilius, quàm per tot scopulos, per tot undarum montes, ventorum bella, sine itinere, sine vestigijs, sine ducibus, sine facibus, sine litoribus, & ripis, quæ portum & metam laboris, ac navigationis ostendant, cæcâ nocte densisque tenebris, omnia tamen videre ope chartæ hydrographicæ, ac si oculis præsentia essent? gubernatore in abdito, recessuque latente, & sibilo itinera, naufragia, scopulos, ventosque, ac omnem navis motum præcinente?

Inventio navigandi non Græcis, Neptuno & Danao, sed Noacho illis antiquiori debetur. Vide Joseph. *l. 1. Antiq.* & Euseb. *l. 10. Preparat. Evangel.* Ab Hebræis ad Phœnices, & Ægyptios Græcosque hæc ars pervenit, & ideo apud Græcos Auctores Danaus, Neptunus, Minos tamquam primi Auctores celebrantur, Cretenses præsertim, de quibus proverbium: *Cretensis nescit pelagus.*

Velocior est navigatio ab ortu in occasum, quàm ab occasu in ortum, id enim testatur certa experientia; qui enim ex Anglia in Hispaniam navigant, velocius eò perveniunt, quàm revertantur; & qui ex Hispania in Americam navigant, viginti dierum spatio hoc iter conficiunt, revertentibus verò vix quatuor mensium spatium sufficit. *Ratio* non alia videtur, quàm quòd Mundus elementaris motu primi mobilis ab ortu in occasum currentis volvatur, & consequenter etiam aqua, & ita navigatio ab occasu in ortum tardior, quia adverso cœlo: motus tamen Maris Adriatici est circularis, angustijs litorum undas repercutientibus, motumque rectum morantibus. Tot hominum, opum, mercium, regnorumque vis ab acicula pendet magneti affricta, parvaque papyri plagula, in qua triginta duæ lineæ calamo ductæ, & tot ventorum, ac graduum indices; quis unquam credidisset potuisse in re tam exili tantùm esse momentum usumque? Inventa est pyxis nautica ante annos ferè 400. à quodam Flavio Melphi Neapolitano.

Veterum navigandi ars multò erat nostrâ imperfectior, carebant

rebant enim pixide, & ideo ad ſolam urſam ſpectabant, quâ nubibus, aut ſole obductâ neſciebant, ubi locorum agerent: ſolas etiam habebant naves actuarias, hoc eſt, quæ remis, non quæ ſolis velis agebantur: Oceanum Occidentalem ingredi non ſunt auſi, nec Gadibus exire, ſed litora tantùm legere. Vide tamen Sanſonem in ſua Coſmographia fol. 2. de America. In Nilo navibus ex papyro, ſcirpo, aut arundine navigatur. In Mongiæ portu in Gallecia navis eſt tota ex vivo lapide, malus quoque & vela; & cùm tanta ſit moles, à quovis puero moveri digito poteſt, in ea fertur Deipara apparuiſſe. Nieremb. *l. 1. c. 23.* Machomet II. cùm Conſtautinopolim obſideret, ſpatio duarum Leucarum 70. myoparones, qui velis tantùm aguntur, & 80. triremes unâ nocte terreſtri itinere deportari fecit, & in portum urbis demitti conatu planè inaudito & inimitabili.

Anno 1520. una ex navibus Ferdinandi Magellani, quam poſtea ab eventu Victoriam nominârunt, Hiſpali ſolvens per fretum Magellanicum ſuperato Athlantico mari ad inſulas Moluccas pervenit, inde per mare Æthiopicum ſuperato Bonæ Spei promontorio Hiſpalim, & prima enavigati Oceani palmam tulit; quod cùm ſecundò feciſſet, & tertiò repeteret, tandem naufragio perijt, indignante mari ſe toties à ligno vinci. In hanc navim Poëta ſic luſit:

Prima ego velivolis ambivi curſibus Orbem,
Magellane novo te duce vecta freto:
Ambivi; meritoq; vocor Victoria: ſunt mî
Vela alæ, pretium gloria, pugna mare.

P. Bartholi in Geographia morali ſcribit, naves cùm ad promontorium Bonæ Spei perveniunt, triduo ſub undis ſepultas luctari, omnibus feneſtris, rimiſque, ne aquam admittant, occluſis.

2. Miracula Picturæ hæc ſunt. Initium picturæ fuit umbra hominis lineis circumducta, ut ergo homines ex luto, ita hominum pictura ex umbris fuit. Zeuxis tanto artificio uvas pinxit, ut in illas deceptæ aves irruerent: Parrhaſius linteum tantâ veri imitatione, ut Zeuxis velum crederet, & removeri flagitaret. Apelles duas lineas in tabula pinxit tantâ ſubtilitate, ut oculum effugiant,

giant, ipſaq; inanitate placeant, & hoc ipſo viſum alliciant, quòd videri non poſſint. Idem carbone ex foculo rapto imagines vultuum tam ad vivum expreſſit, ut protinus intelligeret Ptolomæus Rex, quorum eſſent: pinxit & Alexandrum cum fulmine; eminere videntur digiti, & fulmen extra tabulam cadere; 20. auri talentis, hoc eſt, aureis 12000. tabula ſtetit: equum etiam, cui ſoli inter multos alios ab æmulis pictos, quoties proponebatur, equi tamquam vivo adhinnivêre: unum in Apelle imitari nemo potuit, quòd abſoluta opera atramento illinebat ita tenui, ut repercuſſu colores excitaret, nimisque floridos frangeret ac à pulvere cuſtodiret, & imagines ſpeculo potiùs, quàm telæ inductæ viderentur. Ariſtides Thebanus pinxit ægrum ſine fine laudatum, quem Attalus Rex 100. talentis, hoc eſt, aureis 60000. emit.

Protogenes Jalyſum pinxit coloribus quater uno ſuper alium inductis, cujus tanta venuſtas fuit, ut Demetrius Rex metu illius perdendæ obſidionem Rhodi ſolveret. Ferunt toto hujus picturæ tempore omni cibo, potuque præter lupinos abſtinuiſſe, ne curam & laborem intermitteret. De hac tabula hæc Plin. *l. 35. c. 10. Demetrius relictis victoria ſua votis inter arma & murorum ictus ſpectavit artificem, crevitq; hujus tabulæ fama, quòd eam Protogenes ſub gladio pinxerit.* Methodius Monachus & pictor judicium coloribus expreſſit tantâ Judicis majeſtate & reorum terrore, ut ejus aſpectu Bogor Rex Bulgarorum concuſſus cum tota gente Chriſtianus fieret. 3. In ſtatuis hæc miranda. Solis Coloſſus Rhodius, quem fecerat Chares Lyndius Lyſippi diſcipulus, ſeptuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc ſimulachrum poſt quinquageſimum ſextum annum terræmotu proſtratum jacens quoque miraculo eſt: pauci pollicem ejus complecti poſſunt; majores ſunt digiti, quàm pleræque ſtatuæ: Vaſti ſpecus hiant de fractis membris; duodecim annis effectum talentis trecentis, hoc eſt, centies octuagies mille aureis: ejus fragmentis Ægyptius Soldanus 700. camelos oneravit. Mons integer in Semiramidis ſtatuam formatus. Memnonis ex marmore ferrei coloris, quæ ſolis orientis radio contacta in modulos ſolvitur; ea Thebis in delubro Serapidis poſita. Alia multa omitto, quæ paſſim videri poſſunt.

XVI.

XVI. Illud quoque admiratione dignum est, artem humanam tantorum operum effectricem nunquam tamen potuisse hæc tria moliri: *Motum perpetuum*, *Demonstrationem Tetragonismi* seu *Quadratura circuli*, & *Lumen perpetuum*. *Motum perpetuum* quod attinet, patet experientiâ nunquam hactenus effectum fuisse; quamquam quid motu perpetuo opus est, quiete potiùs perpetuâ indigentibus.

De *Quadratura circuli* videri possunt Mathematici.

De *Lampade perpetua*; hactenus quidem à nullo reperta est; vix tamen negari potest, fuisse Antiquis rationem aliquam notam, quâ hujusmodi lampades in multa secula accenderent. Antiochiæ in ejus templi vestibulo sub aperto Jove lampas 500 annis arsit, testibus Cedreno, Nicephoro, & Kirchero in Mundo subterraneo, & Oedipo. Anno 1401. prope Tyberim repertum cadaver molis giganteæ, cujus sepulchrum hâc inscriptione notabatur: *Hic jacet Pallas Evandri filius, quem Turni militis lancea interfecit:* ad ejus caput lampas ardebat, quæ nullâ vi flatuque extingui potuit, inferiori parte confractâ oleum effluxit; reperta est ducto annorum calculo bis mille annis luxisse; alij mille tantùm annos numerant.

Romæ Paulo III. Pontifice Max. repertum est viâ Appiâ sepulchrum, cui hæc inscriptio: *Tulliola filia mea.* Cadaver integrum intactumque, & oleo cuidam innatans, ore penè ridente, & crinibus adhuc integris, & acu aureâ distinctis: lampas inextincta sepulchro appensa, quæ minimùm mille & quingentos annos arserat. Patavij sepulchrum Maximi Olybij (ut inscriptio docebat) cum lampade adhuc lucem servante à rustico detectum est, quæ & ipsa mille & quingentos annos luxit. In Pyramidibus quoque Ægyptijs multas hujusmodi faces repertas esse, quamplurimi testes sunt, quibus omnibus fidem abrogare difficile omnino est.

Modus hujusmodi lampades parandi varius à varijs assignatur, sed nemo præstat. Optimi videntur hi tres. 1. Tenuissimo oleo ac purissimo liquori ellychnium asbestinum indere ac pilâ crystallinâ includere, tum speculis ustorijs flamam in ellyhnio excitare, hæc enim extingui ampliùs non poterit metu vacui.

2. Lampadem conficere ex ellychnio & oleo asbestino (videtur enim posse ex lino asbestino oleum, ut ex rebus alijs extrahi) utrumque enim extingui non potest, flammâ perenni. 3. Ex loco, venaque subterranea, ex qua bitumen, naphta, pix, oleum, aut alia materia accendibilis perpetuò manat, canalem in locum destinatum ducere, & per illum lampadi paratæ alimentum suggerere: & hoc modo confectas fuisse Antiquorum lampades Kircherus docet ex Arabo Scriptore in suo Mundo subterraneo. Addunt alij quartum modum; dicunt enim Gagatem lapidem stillas aquæ, quæ in illum stillaverint, continuò accendere. Lampas hujus lapidis pulveribus impleatur, loco semper humido & rorante, qualia sunt subterranea, & habebis lampadem perpetuam.

XVII. *Quæritur 10. & ultimò.* Utrum per artem Alchimicam verum aurum possit produci?

Resp. Non potest, *moraliter* saltem, & *civiliter* loquendo, per artem alchimicam verum aurum fieri: quid Angeli possint, aut dæmones, non disputo, sed neque *Physicam*, aut *metaphysicam* potentiam in controversiam voco, quam jura, & hominum commercia non attendunt; non enim homines cum Angelis, aut dæmonibus, qui fortè applicando activa passivis aurum excludere possunt, sed cum alijs hominibus negotiantur, quorum industriam aurificium superat. Nostra ergo Conclusio

Probatur 1. Authoritate SS. Canonum, & DD. textus sunt expressi in extravag. *Spondent.* De crimine falsi inter communes: ubi Joannes XXII. *Spondent*, inquit, *quas non exhibent, divitias pauperes Alchimistæ, quibus cùm veritas quæsita non suppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, ijsdemq; verbis dissimulant falsitatem, ut tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum, vel argentum sophisticâ transmutatione confingant.* Jubentur deinde hujusmodi Chrysopœi, & fictores potiùs, quàm factores auri, tantundem de auro, argentoque vero solvere: & insuper aurum, argentúmve, quod moliti sunt, amittunt, perpetuam infamiam incurrunt, & si Clerici sunt, beneficijs spoliantur. *Rursus.* Canone. *Episcopi.26.q. 5.* Concilium Anquirense. *Quisquis*, ait, *credit, posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & Pagano deterior.* S. Tho-

S. Thomas quoque in *2. dist. 7. q. 3. a. 1. Quadam*, inquit, *formæ substantiales sunt, quas ars nullo modo inducere potest, quia propria activa, & passiva invenire non potest: sed etiam in his potest aliquid simile facere, sicut Alchimistæ faciunt aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora, sed tamen verum aurum non faciunt, quia forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo utuntur Alchimistæ, sed per calorem solis in loco determinato, ubi virtus mineralis viget, & ideò tale aurum non habet operationem consequentem speciem.* Unde in *2.2.q.77.a.2.ad 1.* concludit, & cum eo communis Theologorum, si tale aurum eodem pretio, quo naturale, in commercijs adhibeatur, restituendum esse. *Nec sibi repugnat S. D.* hoc ipso loco, cùm dicit: *si per Alchimiam fieret verum aurum, posset pro vero auro expendi, quia nihil prohibet, artem uti aliquibus naturalibus causis ad producendum veros, & naturales effectus, ut dicit August. in 3. de Trinit.*

Respondetur enim, cùm aurum per causas naturales producatur, non esse dubium, eum, qui eas causas auri effectrices novit in loco proportionato, & debita matrice applicare, aurum effecturum esse; sed *nego* hominibus harum causarum notitiam suppetere, multoque minus modum, locum, tempusque eas causas applicandi.

D. Albertus Magnus *l. 3. de Mineral. c. 9.* Sic loquitur: *Qui per alba albificant, & per citrina citrinant, remanente specie prioris metalli, procul dubio deceptores sunt, & hoc modo ferè omnes vel in toto, vel in parte procedunt: proptereaq; ego aurum alchimicum feci experiri, quod ad me delatum est, & postquam sexies, aut septies ignem sustinuit, tandem consumitur, & perditur, & quasi ad fæcem revertitur.*

Avicenna quoque in commentarijs super Meteoris: *Sciant artifices Alchimiæ, species metallorum transmutari non posse, quamvis similia in his fiant: etsi enim tingere queant ipsum æs colore, quo volunt, donec fit multum simile auro, semper tamen secundum substantiam manebunt æs, & plumbum.*

Deniq; Athanasius Kircherus doctrinis Mathematicis, & Chymicis artibus instructissimus, imò divinitùs edoctus, hanc adynamiam, & impossibilitatem educendi auri in mundo subterraneo *lib. 12.* eruditissimè ostendit, & *c. 2. ejusdem libri, quatuor,* inquit, *à Philosophis avidissimè quæsita, laboriosissimè tentata, diutissimè*

sperata, nunquam tamen inventa esse, videlicet, motum perpetuum, lumen perpetuum, quadraturam circuli, seu tetragonismum, & deniq; aurificium.

Probatur 2. Exemplo ex SS. litteris deprompto: si enim aliquis mortalium ad hanc conficiendi auri scientiam, & notitiam pervenire potuisset, utique omnium maximè is fuerit Salomon, de quo Sacra Scriptura *2. Paralip. c. 9. v. 23. Magnificatus est Salomon, omnesq; Reges terrarum desiderabant videre faciem ejus, ut audirent sapientiam, quam dederat DEUS in corde ejus.* Et Ecclesiast. 47. *Impletus es, quasi flumen, sapientiâ, & terram retexit anima tua. Collegisti quasi aurichalcbum aurum, & ut plumbum complesti argentum.* Et *3. Reg. c. 10. v. 27. Fecitq;* Salomon, *ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum.* Et tamen hanc auri conficiendi scientiam fuisse Salomoni ignotam, colligitur ex eadem Sacra Scriptura: quò enim tot navigationes longinquæ, & dispendiosæ in Ophir ad convehendum aurum, tot imposita subditis tributa, ut populus onerum impatiens rebellârit? & *deniq;* unde tanta Regis paupertas, si Midæ virgulam, tingendique auri peritiam domi suæ habebat?

Probatur 3. Ex ipsa rei natura, & ratione â S. Thom. in *2. dist. 7. q. 3. a. 1.* insinuatâ: qui enim per artem vult aurum conficere, oportet, hujus naturam, principia, qualitates, causas, locum, & reliqua, quæ ad aurum concurrunt, & ex quibus componitur, sciat; sicut enim nemo verum panem confecerit, qui nesciat, ex qua materia, in quo loco, quo calore, quâ fermentatione &c. panis elaboretur, ita nec aurum; jam verò quis hominum unquam veras matrices, seu mineras auri, sinusque montium, cùm aurum natura moliretur, ingressus est? aut quâ experientiâ deprehendit, & cognoscere potuit, ex qua materia aurum emerserit? De sola auri materia tantum inter ipsos Alchimistas dissidium est, ut planè ignorantiam suam prodant. *Alij* sulphur arsenicum, auripigmentum *alij*, hydrargyrum, alumen, magnesiam, cadmiam, alantum, bufonem, vitriolum, antimonium, ovorum crusta, sanguinem humanum, & quid non denique? Hæc tanta opinionum varietas, & incertitudo vanitatem jactatæ artis ostendit: si tam incerta calcei materia, quàm auri, nemo calceum gestâsset. *Sed demus*, de materia constare, ubi locus tanto operi moliendo idoneus? certum est enim, non ubique locorum, sed in abdi-

abditissimis, & profundissimis montium visceribus, venis, & matricibus produci, quo nulla hominum industria penetrare potest: quoscunque enim furnos, pyristeria, distillatoria &c. quibus metalla fulminentur, calcinentur, sublimentur, præcipitentur &c. adornaveris, nunquam tamen qualitates specificas, & plasticas, seu formatrices illis imprimes, quarum virtute aurum producitur; quod apertum est in quotidiana transmutatione alimentorum in carnem, & sanguinem humanum; quantumcumque enim instrumenta, & vasa humanis visceribus simillima pares, nunquam tamen alimentum in carnem, sanguinem, ossa, spiritus &c. convertetur, quia illis instrumentis non insunt facultates, & qualitates specificæ, quarum ope in corpore humano contingit illa conversio. *Sed esto*, arte chymicâ & materiam, & locum, seu matrices auri præparari, ubi erunt influentiæ cœlestes, solares, stellares, lunares, earumque per diversas circulationes, & motus tam regulares, quàm irregulares, applicatio, ex quibus metallorum, & maximè auri genesis, & fabricatio pendet? ubi humidi, calidi, frigidi, siccique, uniformis, difformisq; temperatura? ubi tempus necessarium? nam metallorum generationem longissimi temporis esse, experientiâ constat, minimum tempus dicitur esse 30. vel 40. annorum.

Probatur 4. Ex absurdis illorum, qui hanc artem profitentur, nam

Primò. Paracelsus eâdem arte chymicâ extra maternum uterum hominem fieri posse affirmat, & modum docet *lib. 1. de natura rerum.* Eumque in cucurbita vitrea, sigillataque nasci, humano sanguine ali, crescere, & ut quondam homines ex equo Trojano, ita nunc ex ampulla chymica, scintillarum instar, prosilire: & subjungit, hoc unum ex maximis secretis esse, quod DEUS mortali homini patefecit, & reservari usque ad extrema tempora. Hoc artificio Satyros, Nymphas, Sirenas, Pygmæos, imò Gigantes in lucem emersisse; hoc chymicorum hominum genus, utpote arte, non naturâ genitum, omnes artes percallere, & ad maxima quæque à Deo destinari.

Secundò idem Paracelsus in Præfatione in Paragranum, se, inquit, literas à Galeno ex inferno accepisse, & cum Avicenna

in

in vestibulo inferni de auro potabili, lapide Philosophico, Theriacâ disputâsse.

Tertiò. Lapidem Philosophicum, seu tincturam auri ejus esse efficaciæ dicunt, ut, si totum mare esset mercurius, hoc pulvere benedicto aspersum extemplò in aurum transiret. Taceo plura, quæ hujus artis vanitatem ostendunt.

Non obstat, quòd aliqui aurum produxisse dicantur.

Respondeo enim, aliud esse aurum à reliquis metallis separare, aut colore auri tingere, aut scobem, aureúmve pulverem inspergere, aliud verum aurum efficere, hoc *non admitto,* illud *concedo:* sicut enim non omne quod lucet, ita non omne, quod apparet, est aurum.

§. VII.

De Causis in genere.

SUMMARIA.

1. *Quid?*
2. *Et quotuplex sit causa?*
3. *Semper saltem naturâ est prior suo effectu.*
4. *Non tamen ipso simpliciter perfectior.*
5. *Suntq; in certo sensu sibi mutuò causæ.*
6. *Ex eo quod idem effectus* divisivè *sub duplici causa* totali, *creata sc. & increata contineatur.*
7. *Malè infertur, ergo idem effectus potest etiam à duplici causa creata* totali *non subordinata* divisivè.
8. *Aut* copulativè *procedere.*
9. *Requiritur causa existentia, ad hoc ut operetur.*

Hacte-

HActenus de Principijs rerum naturalium, deque ipsa natura, nunc de *causis*. Dari aliquas causas rerum tam certum est, quàm solem existere, ut enim solem lucentem, ita & agentem vides.

I. *Quaritur 1.* Quid sit causa?

Resp. *Causa* in communi bene definitur: *Principium quod per se influit esse in aliud*. Per illas particulas, *per se influens esse*, excluditur privatio, & causæ *per accidens*, & exprimuntur conditiones ad causam necessariæ, ut vid. sit principium essendi; ut derivet & communicet suum esse effectui; ut effectus à causa dependeat; & *denique* ut effectus realiter à causa distinguatur, hoc enim significat *aliud*, naturam vid. causæ realiter ab effectu distinctam. Vide S. Thomam *1. p. q. 33. a. 1. ad 2.* & hæc dependentia & distinctio realis inter naturas causæ & effectûs reperitur in omnibus causis naturalibus, quas experimur.

In Divinis verò natura (quæ est terminus primarius, & quæ per se primò ac essentialiter communicatur vi Divinæ processionis, non Personalitas, quæ tantùm est complementum naturæ, & ideo generatio Christi, *ut* hominis, fuit verè humana, quamvis Persona fuerit Divina) Patris non distinguitur realiter à natura Filij, & ideo Pater producit quidem Filium, sed non est causa Filij; in Divinis ergo non datur principium, quod influat esse in *aliud*. Et eodem modo non potest in Divinis dici, *unam Relationem pendere ab alia*, quamvis una aliam producat, *tum* quia dependentia est nomen imperfectionis; *tum* quia si Filius dependet à Patre, vel radix hujus dependentiæ est Paternitas, vel Divinitas, vel utraque? non Paternitas, quia primum & radicale principium Processionum non est relatio, cùm hæc non sit activa, nec sit ratio assimilandi, sed potiùs diversificandi unam Personam ab alia; Filius enim non convenit cum Patre generante relatione, sed tantùm natura. Non etiam Filius dependet à Patre ratione naturæ Divinæ, quam à Patre accipit, natura enim in utroque est una; sed unitas non fundat dependentiam, cui potiùs repugnat. Non ratione utriusque, hoc est, Relationis & naturæ, quia huic, ut dixi, repugnat in Divinis dependentia.

Verbum Divinum, ut sustentat in Christo naturam humanam, non exercet rationem causæ, sed puri termini, reddens naturam alteri supposito incommunicabilem. Conditio, applicatio, remotio impedimenti conducunt quidem ad causandum, sed non influunt in esse, & ideo nec sunt causæ: sic v. g. inanitas tabulæ conducit pingendæ imagini, non tamen causat, aut pingit, quomodo enim possit, quæ privatio tantùm, & nihil est? Non dicitur tamen causa esse in actu primo perfectè & expeditè, ita ut effectus sequi ex illa possit, nisi positis conditionibus ad agendum necessarijs, ac remotis impedimentis; quis enim dicat hominem catenis vinctum, aut podagrâ, vel paralysi constrictum habere potentiam currendi expeditam, ita ut imputari illi possit ac pœna decerni, si non currat? & *ratio* est, quia sæpè fit, ut una causa non contineat totum effectum, & ita non potest sola totum producere, nisi alteri causæ conjungatur: sic potentia motiva non potest sola pedes, & cursum moliri, nisi concurrant nervi, ergo istis vel recisis, vel aliàs stupefactis & inutilibus potentia motiva non habet sufficientem virtutem eum effectum producendi.

Quodsi causa contineat totum effectum quidem, sed tamen ab alia potentiori causa impediatur, pro eo statu effectus simpliciter repugnat, estque impossibilis; ergo pro tali statu non habetur causa & potentia expedita illum producendi, nec enim datur potentia ad impossibile; sic pedes catenâ revincti non habent virtutem in actu primo expeditam & causatricem, quia potentior causa obstat, catenæ vid. ferreæ, quæ repugnantem motui effectum producunt, vid. immobilitatem; ergo pro eo statu effectus simpliciter est impossibilis, ergo pro eo statu non est in pedibus virtus & potentia in actu primo ad motum expedita.

II. *Quæritur 2.* Quotuplex sit *causa*?

Resp. Causa est quadruplex, *Materialis*, *Formalis*, *Efficiens*, *Finalis*.

Ratio est 1. Quidquid fit, *ab alio fit*; & est causa *efficiens*; *propter aliquid fit*, & est *finalis*; *ex aliquo fit*, & est *materialis*; *in aliquo fit*, & est *forma*, quæ vid. in subjecto & materia recipitur.

2. Ad quæstionem *propter quid* res est (quæ est quæstio causæ)

sæ) respondetur solùm per aliquam ex assignatis causis; v. g. si quæratur, *propter quid homo est homo?* respondetur per causam formalem, quia est rationalis: *propter quid homo est albus?* propter albedinem. Si quæratur, *cur homo est corruptibilis?* quia constat materiâ, vel quia componitur ex contrarijs. Si quæratur, *cur milites pugnent?* respondetur per causam *finalem*, ut vincant, & dominentur: *cur pleraque amara non nutriant?* quia medentur: *cur aër per se & naturaliter nec est sonorus, nec coloratus, nec saporibus aut odoribus imbutus?* ut sit medium omnes colores, sonos & odores percipiendi. Si quæratur, *cur mare fluit & refluit?* respondetur per causam *efficientem*, quia cietur, & movetur à luna: *cur argentum vivum in plano solido & lavi semper agitatur & in particulas scinditur?* quia est calidum, subtile ac siccum, quæ sunt principia motûs & divisionis. Vide S. Thom. *in opusc. 31.*

Objectum & idea reducuntur ad causas *formales* extrinsecas, objectum enim specificat, idea verò est forma exemplati: reducuntur etiam ad causas efficientes, objectum enim per species agit, idea artificem dirigit, de quo infrà.

Videtur autem hæc divisio esse univoca, in genere enim & ratione causandi & dandi esse omnes æquè conveniunt, nec materia v. g. habet à forma suam virtutem, & influxum passivum: quodsi una causa est aliâ nobilior, v. g. efficiens nobiliùs causat, quàm materialis, hæc inæqualitas non derivatur immediatè ex ratione causandi *ut sic*, sed ex taleitate & differentia causæ; sicut homo est animal nobilius bruto, non *quà* animal, sed *quà* tale animal, hoc est, rationale; inæqualitas verò ex differentijs orta non impedit univocationem.

III. *Quæritur 3.* Utrum omnis causa sit prior suo effectu?

Resp. Omnis causa est prior saltem *naturâ* suo effectu, est communis. Vide S. Thom. *q. 28. de verit. a. 7.* & *Quodlib. 5. a. 19.* Hæc verò prioritas non consistit in hoc, quòd causa suum effectum tempore præcedat, causa enim finalis movet etiam non existens, & sol est causa suæ lucis, nunquam tamen expers lucis: & causa cùm agit, est simul tempore cum suo effectu, & tamen est prior *naturâ:* dicitur ergo causa prior *naturâ* suo effectu, quia effectus dependet à causa, hæc autem à suo effectu non dependet, nec ab illo

esse suum accipit, quamvis enim causa dicat respectum transcendentalem ad effectum, & consequenter ab hoc ut termino & re possibili pendeat, non tamen quoad existentiam, & ita illa dependentia causæ ab effectu non est causalis & naturæ, sed tantùm objectiva & simultanea; tam enim effectus supponit possibilitatem causæ, quàm causa possibilitatem effectûs.

Prioritas etiam *originis*, quæ est in Divinis Personis, non est *natura*, quia non dicit dependentiam, dependere enim dicit indigentiam, & distinctionem naturæ, quæ in Divinis non reperitur; quamvis enim Filius producatur à Patre, non tamen eget, aut pendet à Patre, quia est Deus, Deitas autem nec eget, nec ab alio pendet; & quamvis hoc respectu creaturæ mirum sit, imò impossibile, non tamen respectu Dei, si enim Deum esse, eumque infinitè perfectum non miraris, nec mirari debes plures in illo esse productiones, distinctasque Personas (hoc enim ad fœcunditatem pertinet, quæ utique magna perfectio est) nec tamen unam ab alia dependentem, unam alterius indigam, hoc enim imperfectionis est, quam in Deo non esse mirari non debes, imò mirandum esset, aliquam in illo imperfectionem reperiri.

Ex dictis patet, omnem causam esse priorem *naturâ* suo effectu, *tum* quia causa non dependet ab effectu, sed è contrà, hæc autem independentia est ipsa prioritas; *tum* quia omnis causa est principium, sed principium est essentialiter prius suo principiato. Non omne tamen, quod præcedit *naturâ*, continuò est causa, ut patet in approximatione, alijsque conditionibus ad agendum necessarijs. Alij dicunt, hanc *natura* prioritatem in eo esse, quòd causa præsupponatur effectui, quia causa magis est in suo esse determinata, quàm effectus, hic enim ut sit, duabus existentijs indiget, propriâ vid. & alienâ suæ causæ.

IV. *Quæritur 4.* Utrum omnis *causa* sit perfectior suo *effectu?*

Resp. Non omnis causa simpliciter, & absolutè est nobilior suo effectu. S. Thomas *1. 2. q. 66. a. 6. ad 3.* & *q. 7. de verit. a. 7. ad 1.* *Causa* enim *materialis* causat formam eam sustentando, & tamen est multò ignobilior formâ: idem dicas de causis disponentibus. *Forma* causat seipsam materiæ communicando, & ita quoad hunc præcisè effectum non est nobilior & perfectior, sed ejusdem perfectio-

fectionis, quia effectus non distinguitur à sua causa intrinseca. *Causa instrumentalis* suo effectu est imperfectior, calor enim producit ignem, penicillus imaginem, & effectus utrumque superat perfectione. *Causa efficiens univoca* non excedit perfectione effectum, quia huic totam suam perfectionem communicat, imò fieri potest, ut effectus evadat perfectior *individualiter* suâ causâ, sicut cùm turpis formosum, æger sanum generat; qui tamen excessus perfectionis in aliam causam reducitur, v. g. temperamentum matris, aspectum cœli, salubritatem auræ &c. & quamvis causæ sint subordinatæ, v. g. secunda primæ, sublunaris cœlesti &c. quia tamen causa prima suum concursum secundæ attemperat, ideo fit, ut effectus non possit perfectionem causæ secundæ univocæ excedere.

Causa tamen *æquivoca* est suo effectu perfectior, quia effectum non *formaliter* sed *eminenter* continet. S. Thomas *1. p. q. 4. a. 2. ad 3.* Causa *finalis* sæpè est suo effectu imperfectior, ut cùm nobilissimæ actiones humanæ vilissimo *fini*, pecuniæ v. g. voluptati, vindictæ impenduntur. Cùm ordinatè tamen agitur, *finis* nunquam est ignobilior, aut imperfectior suo effectu & medijs; *finis* verò *ultimus* semper perfectior.

Illud etiam *advertendum*, causam *ut* causam semper esse perfectiorem effectu, quia effectus ab ea dependet, non illa ab effectu.

V. *Quæstio 5.* Utrum *causæ* sint sibi *mutuò causæ*?

Resp. In aliquo sensu certissimum est, *causas* sibi *invicem* esse *causas*, hoc enim tradit Aristoteles *2. Phys. text. 30.* & *5. Metaph. text. 2.* ubi D. Thomas: Sic *Materia* sustentat *formam*, & *forma* informat *materiam*, eique existentiam præbet, nec una sine alia potest esse. Non tamen *secundùm idem* se mutuò causant, illam enim perfectionem, quam forma præbet materiæ, non habet à materia, nec è contrà. *Finis* verò est causa agentis, non quidem quoad esse, sed quoad operari, ejusque causalitatem; excitat enim ad agendum, v. g. sanitas ad ambulandum, divitiæ ad navigandum. Econtrà *agens* causat finem quoad esse, ambulans enim, & ipsa ambulatio causant realitatem, & entitatem ipsius sanitatis. *Subinde* tamen *finis* causat ipsum agentem etiam quoad esse, sanitas enim

eſt cauſa ambulationis, cujus & finis eſt; & homo creatus propter æternam beatitudinem ab hac ipſa ſuum eſſe habet, nec enim creatus eſſet homo, ſi finis iſte non eſſet.

Tota ergo *difficultas* eſt, an cauſæ aliquæ realiter cauſantes, quales ſunt materia & forma, poſſint in eodem inſtanti ſibi mutuò eſſe cauſæ, ita v. g. ut in eodem inſtanti *A materia* recipiat ſuam exiſtentiam à *forma*, & *forma* ſuam exiſtentiam à *materia*? &

Reſpondeo affirmativè. Ita S. Thomas *q. 28. de verit. a. 7.* & *opuſc. 31. §. 2.* & *5. Metaph. lect. 2.* Suar. *d. 27. Metaph. ſect. 2.* Vaſq. *1. 2. d. 112.*

Ratio eſt 1. Quia de facto in eodem inſtanti *A materia* eſt cauſa *formæ* materialis (hæc enim ex materia educitur, & à materia ſuſtentatur, nec poteſt naturaliter extra & ſine materia exiſtere, dependet ergo *in eſſe*, & conſequenter cauſatur à materia) è contrà materia accipit ſuum *eſſe*, & *informari* à forma, hæc enim dat materiæ exiſtentiam, ergo dependet, & conſequenter cauſatur à forma.

2. Faciunt multæ experientiæ: cùm ventus feneſtram aperit, & ingreditur, ingreſſus venti cauſat apertionem feneſtræ, & apertio feneſtræ cauſat ingreſſum venti, nec enim niſi apertâ feneſtrâ ingredi poſſet: duo carbones & manus conjunctæ mutuò ſe fovent, & calorem conſervant, & ideo calorem diutiùs conjunctæ retinent, quàm ſeparatæ: duo baculi erecti, quorum alter in alterum incumbit, ſe mutuò ſuſtinent, & ita ſuſtentatiò baculi *A* eſt cauſa ſuſtentationis baculi *B.* & ſuſtentatio *B* eſt cauſa ſuſtentationis *A.* in curru motus unius rotæ eſt cauſa facilitans motum rotæ alterius, & ita unâ ceſſante, aliæ difficiliùs volvuntur: impulſus violentus lapidi impreſſus cauſat ejus motum ſurſum, & idem motus conſervat impulſum, qui propterea motu impedito ſtatim vaneſcit: & piper ſtomachum calefacit, & ſtomachus piper, imò diſſolvit & digerit.

Objicitur 1. Si poſſunt cauſæ ſibi mutuò eſſe cauſæ, ergo cauſa efficiens poterit effectum producere, & in eodem inſtanti à ſuo effectu produci, quod ſi admittis, unde probabis Deum, hoc eſt, ens improductum, à quo omnia, exiſtere? dicet enim aliquis cauſam v. g. cœli productricem in eodem inſtanti eſſe à cœlo productam, & ita nec ens improductum, nec Deum dari.

Reſp.

Resp. Neg. conseq. causa enim efficiens cùm producit suum effectum, v. g. calorem, facit calorem existere, ergo in instanti quo producit, jam existit (si enim non existit, quomodo effectui dabit existentiam, quam non habet?) ergo non potest existentiam ab effectu accipere, quam effectui dedit. At verò materia cùm recipit formam, non dat formæ existentiam (hanc enim potiùs à forma recipit) sed tantùm recipi & sustentari, quæ receptio, & sustentatio *ut est* actus respondens potentiæ receptivæ, & sustentativæ, est à sola materia, non à forma, hæc enim non est radix sustentandi & recipiendi, sed tantùm actuandi.

Formam ergo esse in materia, duo dicit, vid. formam existere & recipi, hoc est à materia, quia dicit potentialitatem; illud, à forma, quia dicit actualitatem. *Deinde* cùm forma non existat (nisi *ut quo*, hoc est, ut radix existendi) sed totum compositum, non oportet ut materia causans formam præsupponatur existens: secùs in causa efficiente, quæ dat effectui existentiam, & ideo præsupponi debet existens, nec potest existentiam ab effectu accipere, cùm illam jam habeat.

Objicitur 2. Causa causæ est causa causati, si ergo materia v. g. causat formam, & forma materiam, ergo materia causat seipsam, quia est causa suæ causæ.

Resp. *Materia* causat *formam sustentando, forma materiam informando & actuando*; actuare autem non habet forma à materia, ergo forma non causat materiam, per aliquid à materia acceptum; ergo forma causat materiam non ut à materia est causata, & ideo materia non est causa sui, nec à se causatur, quia sub ea ratione, quâ causat materiam, non causatur à materia; sicut Deus est causa liberi arbitrij, hoc verò causa peccati, sed Deus non est causa peccati, quia arbitrium non causat peccatum, sub ea ratione quâ conditum à Deo est, sed sub alia, quâ conditum à Deo non est, vid. per recessum, & defectum à Deo, ejusque voluntate.

Objicitur 3. Sequitur in causis circulum dari vitiosum, forma enim causat materiam, & materia formam; imò contradictionem, materia enim dum realiter causat, supponitur existens, & dum causatur, supponitur non existens, quod enim causatur, accipit existentiam, quam nondum habebat.

Resp.

Resp. Non omnem circulum esse vitiosum, quid enim aliàs tot cœlestes, stellares generationum & corruptionum circuli facerent? sicut ergo quòd eadem circuli figura in idem punctum redeat, à quo cœpit, non est vitium, sed perfectio naturæ, & ideo circularis figura est omnium perfectissima, ita non est vitium, sed perfectio naturæ, cùm causæ in se redeunt per mutuam causalitatem; solus ergo ille circulus est vitiosus, qui causat ignorantiam & confusionem, hoc est, cùm idem per idem explicatur, ut si quærenti, ubi sit Nili origo? respondeas, in montibus Lunæ, & quærenti ubi sint montes lunæ? respondeas, ubi est Nili origo. Nec etiam ex mutua causalitate sequitur contradictio, materia enim causans supponitur existens, & dum causatur etiam supponitur existens, quo enim instanti causatur, utique est, nam causari est esse, & ideo quod nondum causatur, nondum est.

Objicitur 4. Causa est prior naturâ causatò, ergo si materia causat formam, & hæc materiam, materia erit prior naturâ, quia causat formam, & non erit prior, sed posterior, quia causatur; & idem dicas de forma; ergo hæc mutua causalitas duplicem contradictionem involvit.

Resp. Materia sub ea ratione quâ causat, semper est prior, quia sub ea ratione nunquam causatur, causat enim ut pura potentia sustentando, & recipiendo, & ut sic non causatur à forma, hæc enim est actus, & ideo non influit in materiam esse potentiale & sustentativum, sicut albedo non potest esse ratio denigrandi, vel congregandi visum; sub alia ergo ratione & in diverso genere materia causat & causatur, est prior & posterior, in quo nulla est contradictio; sicut animalitas *ut* rationalitati identificata est ratio conveniendi cum bruto, & non conveniendi; in quo nulla est contradictio, quia hoc fit sub diverso respectu: si ergo sola distinctio virtualis (qualis est inter animalitatem, & rationalitatem) fundat diversos respectus, & impedit contradictionem, quantò magis distinctio verè realis, qualis est inter potentiam, & existentiam materiæ?

Objicitur 5. Omnis causa realiter causans causat *ut* existens, ergo est prior *ut* existens, ergo non est posterior *ut* existens, ergo non causatur *ut* existens, ergo materia non causatur à forma

ut

ut existens, ergo materia non accipit existentiam à forma, si enim acciperet existentiam à forma, esset *ut* existens posterior formâ, ergo *ut* existens non causaret formam, causaret ergo *ut* non existens, quod repugnat causæ reali.

Resp. Causam efficientem causare *ut* existentem, quia dat effectui existentiam, & ideo non potest existentiam ab effectu recipere: causa verò *materialis* non causat *ut* existens, sed *ut* recipiens existentiam, quia est pura potentia, & causat ut potentia, potentiæ autem quà tali non convenit actum dare, sed tantùm recipere; materia ergo existit quidem dum causat, sed non causat *ut* existens; sicut animalitas in homine est quidem rationalitas, sed ut animalitas non est principium, & radix ratiocinandi.

VI. *Quæritur 6.* Utrum idem numero effectus possit à duabus causis totalibus, & adæquatè distinctis produci?

Resp. Idem effectus numero continetur *divisivè* sub duplici causa *totali* effectiva, altera creata, altera increata, & ita poterit idem numero calor *A.* qui producitur ab igne *B.* etiam à solo Deo produci, modò aliunde non adsit implicantia, ut in actu vitali; actus enim vitalis essentialiter dependet à principio vitali & intrinseco. Ratio Conclusionis est, *tum* quia idem numero homo, qui à parentibus genitus est, solâ divinâ virtute reproducetur & resurget, *tum* quia omnes differentiæ tam numericæ, quàm specificæ sunt ens reale & aliqua perfectio; sed omnis realitas & perfectio continetur in Deo *eminenter* tamquam in idea, matrice & vena totius entis; sicut omnis numerus virtualiter continetur in unitate, & omnes radij in stellas derivati continentur in sole.

VII. *Resp. 2.* Implicat ut idem numero effectus *divisivè* procedat à duplici causa creata *totali & ejusdem ordinis*, v. g. non potest idem numero calor productus ab igne *A.* produci, aut productus fuisse ab igne *B.* Dicitur hîc causa *totalis*, & *adæquata*, quæ totum esse effectui dat, non autem, quæ tantùm aliquam partem; sicut cùm duo equi eumdem currum trahunt, singulis equis non totum effectum, sed partem tantùm aliquam producentibus. Loquor etiam de causis *ejusdem*, & non *diversi ordinis*, certum enim est, causas universales (quales sunt cœli, clemen-

ta) ad eumdem numero effectum concurrere, quamvis non *adæquatè*, & *divisivè*; nunquam enim sol sine arbore & vite, pomum, uvasque producet.

Ratio Conclusionis est 1. auctoritas S. Thomæ *Quodlib.* 5. *a.* 1. & *Quodlib.* 3. *a.* 25.

2. Non potest esse idem numero effectus, in quo sunt prædicata necessariò, & *essentialiter* distincta à prædicatis alterius: sed calor productus ab igne *A* habet prædicata *essentialiter*, & necessariò distincta à calore producto ab igne *B.* calor enim ab igne *A* necessariò ab hoc igne *A* pendet, & non pendet necessariò ab igne *B.* à quo non est productus; & è contrà calor productus ab igne *B* necessariò ab hoc pendet, & non ab igne *A.* à quo productus non est, ergo non potest esse idem numero calor ab *A* & *B* productus, quomodo enim idem est, si non habet eamdem sed contradictoricè distinctam dependentiam? *Secùs* est, si calor ab igne *A* produceretur à solo Deo, tunc enim haberet eamdem numero dependentiam, quia causalitas ignis *A.* cùm sit perfectio & realitas, tota & *eminenter* continetur in Deo tamquam in pelago totius entis & realitate omnium realitatum.

Objicitur 1. Species continet omnia individua, ergo v. g. leo *A* habens naturam specificam leonis poterit quodlibet individuum leonis producere, etiam eum qui à leone *B* vel C productus est, sunt enim leones paris virtutis, cur ergo non possit quilibet leo à quolibet produci?

Resp. Naturam specificam non esse productricem omnium individuorum intra eamdem speciem, quia effectus ut est individuum, dicit essentialiter dependere à causa per quam productus est, & non dependere à causa, à qua productus non est; calor ergo productus ab igne *A* essentialiter ab hoc dependet, & non ab igne *B.* ergo non potest esse idem numero cum calore, qui producitur, & dependet ab igne *B.* Vide S. Thomam 1. *p. q.* 45. *a.* 5. *ad* 1. & ideo quamvis sol contineat *eminenter* totam speciem caloris, non potest tamen eumdem numero calorem producere, qui ab igne productus fuit.

Objicitur 2. Constat experientiâ, idem cadaver bovis produci, à quocunque mactetur: & duo motus locales terminantur ad eumdem terminum extrinsecum.

Resp.

Resp. Mactantem non esse causam *per se* formæ cadavericæ, sed tantùm *per accidens*, quia tollit, quæ sunt vitæ necessaria, ex quo sequitur forma cadaverica, sive à cœlis, sive à Deo, sive ab elementis generetur. Sic etiam motus localis non est productivus loci extrinseci.

Objicitur 3. Idem calor in aqua ab igne *A* productus potest conservari ab igne *B* vel à sole, ergo & produci, sæpè enim difficilior est conservatio productione; arbor enim v. g. producit pomum, quod tamen non potest conservare.

Resp. Calorem in aqua ab igne productum conservari conservatione non *per se* (quæ est productio continuata) sed *per accidens*, removendo qualitates contrarias, & inducendo alias similes; aliud ergo est producere, aliud rem productam *per accidens* conservare.

VIII. *Resp. 3.* Non potest idem effectus à duplici causa *totali & adæquata ejusdem ordinis & creata copulativè* procedere. Videtur esse S. Thomæ *1. p. q. 52. a. 3. & 1. de potent. q. 3. a. 7. ad 11. & a. 19. ad 1.*

Ratio est 1. Ponamus in eodem indivisibili loco (hoc enim divinitùs fieri potest) duos ignes *A* & *B*. quorum uterque incendat festucam debitè applicatam; jam sic argumentor: Combustio seu ignis in festuca productus, si causatur ab igne *A* essentialiter & necessariò ab eo pendet (hoc enim est causari) ergo non potest esse sine igne *A* (sicut quia visio essentialiter pendet à vita, non potest esse sine vita) ergo non causatur, & totum suum esse accipit ab igne *B*. si enim totum suum esse haberet ab igne *B*. non indigeret igne *A*. nec ab eo penderet (sicut si crumena aureis impleatur unâ manu, non indiget nec potest impleri alterâ manu) Si verò non indiget, nec pendet ab igne *A*, quomodo ab isto causatur?

2. Unum individuum creatum non potest continere *eminenter* aliud individuum, ejusque differentiam numericam, alioqui Petrus posset *eminenter* esse Paulus; ergo una virtus causativa non potest continere aliam virtutem causativam numericè distinctam, ergo una virtus causativa non potest continere eumdem numero effectum, quem altera continet, ergo una causa non potest eumdem numero effectum producere, quem produxit alia. Si

tamen altera causa totalis sit increata, non videtur implicare, ut ab utraque totali, una increata, altera verò creata, effectus procedat; effectus enim creatus, qui totus est à causa secunda, totus etiam est à Deo, & secundùm totam perfectionem & realitatem suam in Deo continetur.

Objicitur 1. Si ponantur ignis *A* & *B* in eodem loco, cur non possit uterque & conjunctim festucam incendere, quam potest quilibet separatim? nec enim conjunctio minuit virtutem agendi.

Resp. Non posse id fieri, non quidem ex defectu virtutis activæ, quæ in ignibus est, sed propter implicantiam effectûs, qui alioquin ab eadem causa penderet, & non penderet, ut dictum est.

Objicitur 2. Potest quis idem opus duplicis finis intuitu perficere, v.g. ambulare gratiâ sanitatis & recreationis, ita ut posito quolibet fine æquè actio sequatur, ac posito utroque.

Resp. Voluntatem magis à duplici fine, quàm uno excitari, moverique, ergo signum est, non esse totum effectum & voluntatem ab uno fine.

Objicitur 3. Plures Sacerdotes simul proferentes verba Baptismi conficiunt unum numero Baptisma. S. Thomas *3. p. q. 67. a. 6.*

Resp. Plures Sacerdotes in hoc casu aut tantùm *moraliter* concurrere, aut tantùm ut *instrumenta* unius divinæ & increatæ virtutis, cui subordinantur, & ita effectus procedit non à duabus causis totalibus; sed ab una tantùm, eademque virtute divina pluribus instrumentis communicata. Vide S. Thomam *3. p. q. 82. a. 2. ad 2.*

IX. *Quæritur 7.* Utrum ad hoc, ut causa operetur, requiratur, ut existat?

Resp. Existentia requiritur ad agendum, & ita causa non existens non potest operari.

Ratio est 1. Ab experientia, quem enim momordit canis mortuus, aut quem combussit ignis extinctus?

2. Ab actu ad potentiam bona est consequentia, v.g. ambulat, ergo potest ambulare; sed non esset bona, si quod non est, posset operari, diceret enim aliquis, actum ambulandi fieri posse etiam potentiâ ambulandi sublatâ & non existente.

Dices

Dices: posito actu in instanti *B.* inferri potentiam ambulandi extitisse in instanti *A* immediatè antecedenti; sicut ignis in loco *A* potest agere in loco *B* immediatè contiguo. *Contra:* Si hoc fieri potest, cur nunquam factum est, ut v. g. canis in instanti *A* mortuus, in instanti *B* latraverit? ignis in instanti *A* extinctus, domum combusserit in instanti *B*? *Deinde* sequeretur, posse causam etiam post multos annos, quàm corrupta est, operari, tam enim non est, nullamque operandi virtutem habet primo instanti, quo non est, quàm post multos annos; sicut ergo ideo non potest operari, quod jamdudum corruptum est, quia tunc nullam habet virtutem operandi, etiam non poterit instanti immediatè corruptionem sequenti, quia etiam pro eo instanti nullam virtutem operandi habet, & ideo experimur, canem in instanti *A* mortuum tam non currere, aut latrare in instanti *B.* quàm in alijs pòst instantibus: & retorquetur instantia de operante in loco contiguo; sol enim v. g. non tantùm calefacit in loco immediatè contiguo, sed etiam in locis intra suam sphæram remotissimis, v. g. in terra, quæ distat à sole milliaribus germanicis duarum horarum nongentis millibus sexaginta quatuor millibus trecentis sexaginta uno, teste Clavio in sphæra *c. 1.* hoc est, diebus 80363. Si ergo argumentum à loco petitum aliquid valet, sequeretur post tot à corruptione dies posse aliquid operari, sicut potest in tanta loci distantia agere, quo quid absurdius?

3. Corrupta & nondum nata æquè non existunt, si ergo potest agere quod desijt, poterit etiam quod necdum est; at hoc absurdissimum, quomodo enim potest effectus contineri in eo quod non est? aliàs & aqua posset contineri in vase, quod non est, sed paulò pòst fiet, & homo navigare in navi, quæ nondum est, sed paulò pòst erit.

Causa tamen *finalis* movet ad operandum, etiam quando *realiter* non est, sed tantùm *intentionaliter*, quia agit ut objectum, & ita sufficit, ut existat *objectivè*, hoc est, ut cognita, cognosci enim potest, etiam quod realiter non est, ut rosa in hyeme.

§. VIII.

De Causa Prima.

SUMMARIA.

1. *Varij variorum circa existentiam Dei errores refelluntur.*
2. *Multisq; rationibus primæ causæ necessitas comprobatur.*
3. *Eandem perpetui rerum motus:*
4. *Entis intelligentis summa potentia ac sapientia:*
5. *Pulcherrima rerum omnium symmetria, & ordo:*
6. *Maxima de omnibus cura, ac providentia:*
7. *Miracula. Item*
8. *Et promissa justis præmia evincunt.*
9. *Non obstantibus tot malis & peccatis, quæ fiunt in orbe.*
10. *Potentia creativa soli Deo propria.*
11. *Creaturæ incommunicabilis est:*
12. *A qua istæ sicut in fieri, sic in conservari essentialiter dependent.*
13. *Nunquam acturæ, nisi Deus immediatè concurreret:*
14. *Qui causas secundas determinat quoad individuationem effectûs.*
15. *Respondetur ad objectà.*

I.

Q*Uæritur 1.* An, & quomodo possit probari existentia *Causæ primæ?*

Resp. Dati *Causam* aliquam *primam* rerum omnium effectri-

effectricem, ac gubernatricem multi olim Philosophorum negârunt, & nunc quoque temporis multi cum hæretici tum Politici. Illi enim cùm oculos, hoc est, fidem amiserint, quid mirum est, si solem etiam in meridie non videant? noctuis credas, diem si possent negantibus? & quamvis naturale illis lumen extinctum non sit, hoc tamen tot cupiditatibus, & amoribus rerum temporalium involvitur, ut perinde non videant, ac qui in densissima nocte versantur: negant ergo Deum esse, quia cuperent non esse: nec perduelles Regem, nec latrones Judicem, nec adulteræ maritum, nec phrenetici Medicum, nec laborantes oculis solem, nec athei, & scelerati Deum vellent, conscium vid. vindicemque malorum: negant ergo Deum esse, quia nollent esse; nollent verò esse, quia ipsi tot nominibus rei Judicem timent.

Negavit Deum esse *Diagoras Milesius*, cui propterea nomen Athei datum: Athenis ob impietatem pulsus est, duobus talentis, qui vivum reduceret, uno qui perimeret, promisso, ita periijt. Negavit & *Protagoras*, & ipse exilio punitus ac peregrè mortuus. Idem *Theodoro* Philosopho factum, qui passim Atheus dictus est: negabat ulla esse peccata, & scelera, nisi tantùm hominum opinione, exilio primùm, tum capite mulctatus. *Bion Boristhenites* Deum dum valuit & vixit, negavit, moriturus agnovit, & vota, si obtineret sanitatem, vovit, de quo Laërtius: *Stultus qui mercede voluit Deum esse; quasi tunc Dij essent, quando illos esse Bion arbitraretur.*

Sed nemo de natura meliùs, & pejùs de Deo naturæ auctore, ut *Plinius*, meritus est. Primò dubitat, an aliud præter solem & naturam sit in Mundo Numen; & si aliquod est, totum esse animum, totum visum, totum auditum: non occupari illum curâ rerum humanarum, nec tam multiplici, tristique ministerio pollui, id enim infra summam Majestatem esse, sed uno ac æterno decreto omnia futura dirigente, altum deinceps otium Deo esse; in hanc sententiam & eruditum vulgus ire & rude. Ita Plinius *l. 2. c. 7.* Sed & ipse negatæ Divinitatis pœnas dedit, flammis ex Vesuvio prorumpentibus haustus.

Primus Atheorum *Cain* fuisse videtur, hujus enim postremum colloquium cum Abelo à Paraphraste Hierosolymitano in

hæc

hæc verba recitatur: *Non eſt judicium, neque judex, nec ſeculum aliud: nulla juſtis merces repoſita, nulla impijs pœna: Mundus nec Dei bonitate creatus eſt, nec providentiâ gubernatur.* Quæ verba cùm Abel non ferret, ſed vehementi oratione refutaret, à fratre cæſus eſt. Vide Salianum *ad annum 1130.* Princeps ergo Atheorum Cain, & ipſe à Lamecho pronepote inter venandum pro fera occiſus eſt. Nulli ergo Atheorum impunè ceſſit Deum negare.

Sed *notandum* eſt, hanc propoſitionem: *Deus eſt, ſecundùm ſe* eſſe *per ſe notam*, ut docet S. Thomas *1. p. q. 2.* cùm enim exiſtere pertineat ad eſſentiam *actûs puri* & neceſſarij, hoc eſt, Dei, nec Deus poſſit aliter concipi, quàm ut exiſtens, nec exiſtentia Dei ullas cauſas habeat, ſequitur nihil dari, per quod exiſtentia Dei *à priori* demonſtrari poſſit. *Quoad nos* verò Deum exiſtere non eſt *per ſe notum*, teſte S. Thomâ cit. & *1. contra Gent. c. 11.* & *de verit. q. 10. a. 11.* Quamvis enim per ſe & ex terminis notum ſit, actum purum & ens infinitè perfectum ſi à parte rei ſit, exiſtere, non tamen ex terminis notum eſt, à parte rei actum purum eſſe. Hæc ergo nomina *Deus*, *Actus purus*, dicunt omnem & infinitam perfectionem in ſtatu *intentionali*, & intelligibili, non tamen exercitam, & in ſtatu *reali*, niſi aliunde probetur, hoc eſt, per evidentes demonſtrationes, & præſertim à poſteriori & effectibus, juxta illud *Sap. 13. A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* & *ad Rom. 1. Inviſibilia enim Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.* Sicut ergo nemo ſolem agnoſceret, niſi luceret, nemo artem pictoris, niſi ex aliquo opere; ita nec Deum niſi ab effectibus. Age jam ergo, & demonſtremus Deum eſſe.

II. *Probatur 1.* Vel datur aliquod ens improductum & *à ſe*, vel nullum datur? ſi datur, eſt Deus, nihil enim aliud intelligimus nomine Dei, quàm ens improductum & *à ſe*; ſi enim eſt *à ſe*, habebit omnem perfectionem entis, nam quâ ratione potuit ſibi dare gradum v. g. ſubſtantiæ, potuiſſet gradum vitæ, intelligentis, ſapientis &c. dare, & ſi potuit dare, dedit; nemo quippe, ſi poſſit, in ſe non dives & beneficus eſt. Quid impediret *ens à ſe* & improductum, ut non haberet

beret omnem perfectionem, quæ ad Deum requiritur? nec enim impediri poterat, antequam erat, quia semper erat: nec cùm fieret, quia non fiunt, quæ semper sunt: nec postquam factum est, quia res facta, aut nata impediri ampliùs non potest, ut non sit facta, aut nata: impediri ergo non potest ens à se, ut non habeat omnem divinam perfectionem. *Deinde* quid ens *à se* determinavit, ut esset hoc potiùs, quàm aliud, materiale potiùs, quàm imateriale, non intellectivum potiùs, quàm intellectivum, hujus potiùs, quàm alterius speciei? ideo enim nascitur homo, quia ex homine est, non ex equo: ideo nascitur pyrum, quia ex pyro, non pomo: quodsi nulla esset pyrus, nulla etiam causa esset, ut pyrum potiùs, quàm pomum nasceretur.

Nec dici potest, illud ens improductum *casu*, & fortuitò hujus potiùs, quàm illius speciei evasisse: *Contrà* enim est; quia in omni *casu* reperitur causa aliqua *per se*; quamvis enim fodiens casu thesaurum inveniat, non tamen casu fodit, nec casu in illo loco aurum fuit repositum: ergo illud ens improductum, licèt *casu* factum sit bos, non tamen *casu*, existet, ergo ab aliqua causa *per se*, ergo non est ens simpliciter improductum. *Deinde* quid causæ est, ut nulli ampliùs boves improducti, aut *casu* facti reperiantur, qualem tu fingis? quis non impostorem te crederet, si diceres nasci in Italia fruges non seminatas in aëre, arbores non plantatas in aquis, nec vel unum exemplum ostenderes? Patet ergo, si aliquod ens improductum & à se datur, illud habere omnem perfectionem illimitatam, & divinam, & consequenter Deum esse.

Si verò nullum ens improductum datur, sed omnia sunt producta, ergo tota collectio & cumulus omnium entium est productus: sed à quo productus? ab aliquo extra cumulum omnium? at extra omnes nullum aliud datur: ab aliquo intra cumulum? ergo inter causas efficientes daretur mutua productio quoad *primum esse*, quod implicat, nam v. g. *A* produceret *B.* & sic non haberet existentiam à *B.* & produceretur à *B.* & sic haberet existentiam à *B.* Rursus *A* perfectè existeret, quia producit *B.* (productio enim supponit esse) & non perfectè existeret, quia indigeret causari à *B.*

Dices: Entia sunt infinita: sed in infinito non est absurdum

admitti causalitatem mutuam, quia non possunt assignari illud *A* & illud *B*, quæ se mutuò producant.

Contra. Assignari quidem non poterunt, sed tamen dabuntur: atqui implicat non tantùm tales mutuas causas assignari, sed etiam dari; sicut in Labyrintho assignari quidem exitus non potest, sed tamen datur: nec infinitum tollit repugnantias essentiales, quia enim corvo v. g. naturaliter convenit esse nigrum, etiamsi ponas infinitos, omnes erunt nigri: & quia lapidi naturaliter repugnat moveri sursum, etiamsi ponas infinitos lapides, nullus ab intrinseco sursum movebitur: Sicut ergo si duæ tantùm creaturæ darentur v. g. *A* & *B*. implicaret ut *A* produceret *B* & *B* produceret *A*. & idem si tantùm tres *A B. C.* implicaret ut *A* produceret *B*. & *B* produceret *C*. & *C* produceret *A*. ita etiam implicabit, si centum, si mille, si infinitæ ponantur, nam, ut dixi, infinitas non mutat prædicata, & essentias, aut naturas rerum. Cùm ergo non possint omnia entia esse producta, oportet unum admitti, quod sit improductum & *à se*, & hoc dicimus Deum. Vide S. Thomam *1. p. q. 46. a. 2. ad 7.* & *1. 2. q. 109. a. 1.* & *1. p. q. 2. a. 3.*

Dices: Multa prædicata repugnant singulis, quæ non repugnant toti collectioni, v. g. singulis militibus repugnat victoriam obtinere, non toti exercitui: cùm figuli rota movetur, singulæ partes rotæ locum mutant, non tota rota; ergo etiam licèt mutua causalitas duobus entibus repugnet, non tamen toti, & infinitæ entium collectioni.

Contra. Vires conjunctæ sunt fortiores, quàm dissipatæ, & sigillatim sumptæ, cùm enim quilibet aliquas partes roboris in adversario vincat, quò plures conjunguntur, eò plus roboris vincunt, & impediunt resistentiam: at verò si mille corvos, aut infinitos sumas, numerus non illis colorem naturalem demit, sed potiùs auget, quia solus numerus non mutat naturam numerati: sic in proposito *A* non potest producere *B*. & *B* producere vicissim *A*. quia *A* esset existens & non existens: existens quidem, quia producit *B*. non existens, quia esset producendum: & hæc *ratio* æquè procedit, si quatuor, si centum, si mille, si infinita ponas, imò multitudo auget implicantiam, quia si implicat causam semel à suo effectu produci, multò magis implicat produci sæpiùs,

& à

& à pluribus suis effectibus, si enim v.g. sol *A* producat plantas *B. C. D. E.* & implicat eum reproduci à planta *B.* multò magis, & sæpiùs implicabit reproduci à plantis B. C. D. &c. Sic etiam si duo pauperes sint insufficientes habendo pani, nisi dederit alius dives, multò magis erunt insufficientes tres, quatuor, quinque & aucto numero augetur insufficientia, & indigentia.

Et ad hoc reducitur axioma illud Philosophicum: *In causis essentialiter subordinatis non datur processus in infinitum, sed deveniri ad aliquam debet; quæ sit producens & improducta.*

Dices, hâc ratione non probari unum tantùm ens improductum dari.

Respondeo, non esse jam mihi propositum unum, sed aliquem Deum demonstrare, tot enim erunt Dij, quot entia improducta; quod enim est *à se*, non habet limites suæ perfectionis, ut suprà dictum, & ad hæc entia improducta reduci debet productio omnium, quæ non sunt improducta.

Confirmari potest tota hæc ratio exemplo omnium causarum; sicut enim dantur materia prima non materiata, & forma aliqua, quæ sit actus primus non actuatus; & finis aliquis *primò* ad agendum movens, & *primò* intentus, qui ad alium finem non dirigatur, & in quo velut centro voluntas, & mediorum applicatio quiescat, ut experientiâ patet; ita & aliquod *primum efficiens* non *factum*, aliquod *producens* non *productum* concedi debet, à quo causæ aliæ subordinatæ suum esse recipiant; sicut ergo, si conclusio non possit probari, nisi per præmissas probatas per alias sine termino, nunquam perveniendo ad prima principia *per se nota* & per se moventia ad assensum, sine alia probatione, inducitur absoluta impossibilitas probandi conclusionem: & si non possit aliquid amari nisi propter aliud, quod ametur propter aliud, nunquam perveniendo ad ultimum finem & ad bonum *per se* amabile, inducitur impossibilitas amandi; ita si effectus *A.* non possit causari nisi à *B* & hic à *C* & hic à *D* &c. & ita in infinitum, nunquam perveniendo ad aliquam causam non causatam, improductam, sibique ad essendum sufficientem, inducitur impossibilitas ponendi illum effectum *A.* Vide Aristotelem *2. Metaph. textu 5.* & ibi S. Thom.

Probatur 2. ab existentia *entis necessarij.* Vel datur aliquod *ens necessarium*, quod vid. non possit non esse, & de cujus essentia sit existere, vel non datur tale *ens necessarium*, sed omnia sunt contingentia, ita ut possint esse, vel non esse? Si datur aliquod *ens necessarium*? ergo hoc erit improductum, vel saltem ab improducto (tandem enim, ut dixi, ad aliquod primum veniri debet) ergo Deus, ut supradictum. Si omnia contingentia? ergo potuerunt omnia non esse, ergo datâ hypothesi, quòd non sint nihil, sequitur impossibile (ex possibili enim non sequitur impossibile, sicut quia potest æstate non pluere, si non pluat, nihil sequitur impossibile) ergo in hac hypothesi omnia erunt possibilia (contingens enim potest esse) & simul erunt impossibilia, quia nec fieri possent à se, cùm nihil seipsum producere possit; nec ab alio, cùm nullum aliud sit: dari ergo debet aliquod *ens necessariò* existens, improductum, & quod alijs det esse, & hoc est Deus, videmus enim nullam creaturam etiam nobilissimam, cœlum, solem, hominem, posse aliquid ex nihilo producere, multò minùs ex se nasci sine alio producente.

Urgetur amplius idem argumentum. Poterant plures soles esse, poterant plures, aut pauciores stellæ, & istæ alijs qualitatibus, alijs motibus, alio ordine præditæ: poterant plures rerum species esse, homini alia membrorum harmonia, situs, facultatum dispositio: Sic primo pavoni alia pennarum pictura: primæ lusciniæ alius cantus & organorum fabrica: poterant etiam plures Mundi esse, aut saltem plures globi terrestres; cùm ergo hæc omnia fuerint ex se indifferentia, & aliter, aliterque esse potuerint, quis illa determinavit ad hunc statum, ad hunc numerum, ad hanc structuram, ad hanc temperiem, quam modò habent? Non se ipsa, quod enim ad plura est indifferens, non à seipso, sed ab alio ad unum determinatur, ut in libra, in cera, in speculo, & in omnibus ad plura indifferentibus patet: alioqui cur domus non seipsam struit, tabula non seipsam pingit, charta non seipsam scribit, tela non seipsam texit? Si sol v.g. qui modò est, quique potuit non esse, sibi suffecit, ut esset, quid causæ est, ut alius sol æque possibilis non seipsum quoque determinet ad essendum? tam invidus sibi sit, ut cùm possit

esse

esse, malit non esse? cæcus possit sibi oculos, mutus vocem restituere, nec faciant? quantò minùs credendum est, posse aliquid sibi existentiam dare, nec tamen dare.

Non etiam illa determinatio tam ordinata, tam sapienter instituta *Casui* adscribi potest, si enim *Casus* solem fecit, cur nunquam ampliùs facit? cur non etiam domus, imagines, libri, pulcherrimæ, & diuturnæ sonorum, ac vocum harmoniæ *Casu* fiunt? quis vidit horologium *Casu* factum? & quid hoc est illis rotis, motibus, influxibus, globisque cœlestibus comparatum? si ergo nec à seipsis, nec *Casu*, ergo ab alio, & quidem omnipotenti, & sapientissimo; si enim omnium hominum ingenia, vires, artes, machinæ conferantur, quantus erit sapientiæ, & potentiæ cumulus? imò si tot homines, quotquot sunt, fuerunt, eruntque, meri sint Archimedes, Salomones, Euclides, Vitruvij, Apelles, omnes, inquam, conjuncti, nunquam uni soli condendo, figurando, librando, influxibus, & radijs ornando pares erunt; ille ergo qui hoc potuit, & cujus vel minima potentiæ & sapientiæ pars in opere minimo relucens tot sapientissimis & potentissimis præstat, nullisque instrumentis utitur, seipso dives, erit utique omnipotens, & infinitè sapiens, & consequenter Deus, nec enim modò aliud intelligimus nomine Dei, quàm aliquam potentiam omni potentiâ majorem, sapientiam omni sapientiâ majorem &c.

Dices, hoc & similibus argumentis probari tantùm, dari aliquam causam, quæ aliquos effectus produxerit, v. g. elementa, primum hominem &c. non autem eam causam produxisse omnia, nec Deum esse: dixerit ergo aliquis, cœlum esse v. g. ens æternum, & improductum, & ab illo elementa provenisse &c. solem quoque esse ens improductum, & causam primi hominis, à quo alij omnes: primæ vitis & aliarum plantarum, à quibus aliæ omnes; quamvis enim non possit ingens palatium sine Architecto esse, non sequitur tamen omnia, quæ in eo reperiuntur, ab uno artifice esse; alius enim est, qui ideam fecit, alius qui fabricavit, alius qui pinxit, alius qui columnas & marmora sculpsit, alius qui aulæis vestivit, alius qui hortos consevit &c. idem de hoc universo dici potest.

Contra 1. Non jam hoc agimus, ut unum Deum esse ostendamus, sed aliquem, sive unus sit, sive plures.

Contra 2. Si cœlum esset improductum, jam dixi, fore Deum & illimitatæ perfectionis; & quî possit cœlum esse ens *à se*, quod nec à se habet motum, nec sibi, sed alijs continuo motu servit? illi enim melius esset quiescere, & quod longè muscâ est imperfectius, quæ vivit, cùm tamen *aseitas*, hoc est, independentia ab alijs omnibus causis sit maxima perfectio.

Contra 3. Si cœlum produxit elementa, aut creavit, aut non creavit? si non creavit? ergo ex materia eduxit; materiam verò quis creavit? cœlum? hoc non, quia aliàs Deus esset, ut mox dicemus: alius à cœlo? ergo hic alius est Deus, creatio enim est opus solius Dei, & ideo videmus nullam creaturam, ne cœlum quidem, ex nihilo aliquid producere; sicut enim major requiritur potentia ad producendam formam ex subjecto improportionato, & quò major est improportio, & indispositio subjecti, eò major requiritur potentia (parvus v. g. ignis sufficit ad paleam incendendam, major ad silices, major ad ferrum, major ad adamantem, quantus verò ad Angelum, aut nihilum inflammandum?) sed inter agens, & nihil nulla omnino est proportio, requiritur ergo maxima, imò infinita virtus ad aliquid ex nihilo producendum, & consequenter divina; quis ergo credat, potuisse cœlum ex nihilo elementa producere, quod ne paleam quidem aut muscam potest? Quodsi cœlum non creavit elementa, sed produxit ex materia jam ab alio creata, hunc alium dico esse Deum, cujus tantùm, ut dixi, est creare.

Contra 4. Cœlum naturaliter & eodem modo agit, si omnia sint paria, non ergo potuit ex materia ad tot formas indifferente elementares potiùs, quàm alias elicere, & præsertim tantâ mole, tanto ordine, tantâ proportione, tot aptissimis & commodissimis ad suos fines qualitatibus instructas, tot miraculis plenas, ut planè fieri non potuerint à causa rationis experte, sed sapientissima, & potentissima: quodsi elementa non sunt opera mentis sapientiâ prædita, da ergo alium quemvis sapientissimum, qui simile aliquid moliri queat, par enim est, ut videant

deant aquilæ, quod etiam noctuæ vident, & possint gigantes, quod possunt pygmæi: sicut ergo nemo statuam, aut ordinatissimam musicam, aut pulcherrimam picturam, scalpro, plectro, penicillo alijsque instrumentis adscribit, sed artifici illa moderanti; ita nec effectus sublunares cœlis, animæ, & rationis expertibus adscribi possunt, eorumque mortuis, cæcisque influentijs, sed Deo conditori; quippe nec ab influxu ignis aliarumque rerum inanimatarum vel minima opera artis provenire possunt, v. g. panis, calx, aquæ distillatæ &c. nisi aliqua causa artifex & intelligens eorum influxus moderetur, regatque.

Contra 5. Si *denique* dicas, Mundum non à Deo, sed Intelligentijs separatis, hoc est, Angelis, conditum esse. *Contrà* est, *tum* quia si creârunt, jam sunt Dij, ut supradictum; *tum* quia Angelos *vel* revelatione divina cognoscimus? & hæc docet illos à Deo creatos esse, eique subordinatos: vel ratione naturali, quia movent cœlos, hominique serviunt docendo, monendo &c? & hinc sequitur eos habere causam superiorem, cui obsequuntur, cujus nutu & imperio sublunaria curant &c. *tum* quia Intelligentiæ vel sunt productæ, vel improductæ? si hoc? ergo jam Deum habemus; si illud? perveniendum est ad primum producens improductum, & hic est Deus.

Probatur 3. Ab existentia *Summi Boni.* Nomine Dei intelligimus ens aliquod *summè bonum,* & infinitè perfectum, à quo alia omnia suum esse, bonitatem & perfectionem accipiunt; de hoc igitur quæro, an sit, an saltem possit esse, an verò repugnet ut sit? Si est? ergo vicimus: si non est, sed potest esse? quæro quis, aut quid impediat, ne sit? non seipsum impedit, quomodo enim impediat, quod nihil est? imò potentia ad esse non est impedimentum essendi, sed potiùs prima essendi radix & dispositio. Non etiam impeditur ab alijs, quia effectus non impedit existentiam causæ, sed eam potiùs supponit, amatque: & sicut nulla res tendit ad sui corruptionem, nec istam appetit, sed potiùs suas perfectiones, & causas conservatrices naturaliter quærit, ita nulla creatura impedit existentiam Dei, quia hic est causa totius esse, & perfectionis creatæ. Non etiam repugnat Deum, hoc est, *Summum bonum,* & *causam primam* existere; in propositionibus enim

repu-

repugnantibus prædicatum opponitur, tollitque subjectum, v. g. in ista propositione: *Circulus est linea recta*, rectitudo opponitur circulo, ejusque rationem tollit, quia est essentialiter curvus. At verò in ista propositione: *Summum & infinitum bonum, ac causa prima existit*, prædicatum non opponitur subjecto, nec enim existentia opponitur *bono*, cùm & ipsa sit *bonum*: nec opponitur infinito, cùm enim sit realis aliqua perfectio, potiùs includitur ab infinito: nec tollit causam primam, sed potiùs eam ponit: nihil ergo in ea propositione repugnat: si ergo non repugnat Deum esse, nec est aliquid quod impediat, ut actu sit, ergo actu est.

Confirmatur idem argumentum. Natura non operatur frustra & sine aliquo fine, ut suprà ostensum, ergo naturales inclinationes, præsertim in homine, non sunt frustraneæ irritæque: sed homo nullo *bono* creato, finitoque satiatur, ut patet experientiâ, ergo datur aliquod *bonum increatum*, & *infinitum*, quo satietur; sicut enim materia prima, quia omnem formam appetit, nullâ in particulari satiari potest, unde corruptiones & generationes: ita voluntas, quia habet pro objecto *bonum* universale, appetitque omne *bonum*, nullo in particulari satiatur, sed illo tantùm, quod est *omne bonum*, ergo hoc datur: & quamvis motus cœli, & mutationes materiæ primæ sint sine termino, & quiete, quia ita expedit bono universi, cujus sunt partes; non ita tamen in voluntate, cujus motus & amores non sunt, ut serviant rebus creatis, sed potiùs istæ, ut serviant voluntati humanæ tamquam Dominæ.

Probatur 4. Argumento ex lege *contradictoriarum* desumpto. Istæ duæ propositiones sunt sibi *contradictoriè* oppositæ: vid. *Summum Bonum existit*, *Summum Bonum non existit*: ex quo sic argumentor: Illa propositio est vera, cujus opposita repugnat (v. g. hæc propositio est vera; *nix est alba*, quia ejus opposita *naturaliter* repugnat, vid. *nix non* est alba) sed hæc propositio: *Summum Bonum non existit*; est omninò repugnans (quod enim non existit existentiâ reali, non est *Summum Bonum*, imò nec aliquod *Bonum*; quis enim dicat, pomum corruptum, aut necdum natum esse *Bonum*, cùm sit nihil?) ergò altera est vera, videl. *Summum Bonum existit*. Sicut ergò istæ propositiones sunt falsæ, & implicantes, nimirùm: *Cir-*

Circulus non est rotundus, triangulus non habet tres angulos, numerus impar non habet partes inaquales, quia sine istis prædicatis subjectum concipi non potest, ita & ista: *Summum Bonum nihil est: Actus purus non existit:* quia sine prædicato existentiæ realis *Summum Bonum* intelligi non potest.

Urgetur adhuc eadem *ratio:* In duabus propositionibus *contradictoriis,* quarum una *repugnat*, altera semper est *necessaria:* si enim ista est vera. *Repugnat hominem esse brutum*, ista erit etiam vera, *Necesse est hominem non esse brutum:* ex quo ita argumentor: *Repugnat* nullum omnino ens dari, ergo *necessè* est aliquod ens dari, ergo datur aliquod ens *necessariò* existens & quod implicat non esse, ergo datur aliquod ens improductum (si enim productum est, transiit de non esse ad esse, ergo non implicabat non esse) ergo datur Deus ex supradictis. *Antecedens verò probatur*, quia, ut patet, aliquod ens est possibile, si ergo non daretur ullum ens, posset saltem dari, quæ ratio ergo est ut non detur? ex se enim potest esse, & non esse, est enim contingens: ab alio autem non potest impediri ut sit, quia in tua hypothesi nihil datur, quod possit impedire ejus existentiam.

III. *Probatur 5.* Ab existentia *Primi Motoris immobilis.* Nihil à seipso solo *moveri* potest, nisi ab *alio moveatur* (Patet inductione; gravia enim & levia, aut *per accidens* ab alio moventur sublato impedimento, aut *per se* à suis genitoribus, aut aliis causis levitatem tribuentibus, ut cùm sol vapores sursum trahit: corpus movetur ab anima, hæc ab appetitu, aut voluntate, hæc ab intellectu, hic verò à cognitione, adeò ut voluntas ipsa, quæ maximè est sui juris, suique motrix, non moveatur nisi mota, nec amet nisi ab objectis provocata) sed hæc inferiora moventur (alterantur enim, & generantur) ergo non à seipsis, sed ab aliis, v. g. *D.* movetur à *C.* & hoc à *B.* & hoc ab *A.* planta à verno & æstivo calore, hic à sole, sol à Deo.

Nec potest procedi in infinitum, *tum* quia non datur infinitum, *tum* quia si daretur, vel in illo cumulo moventium esset aliquod primum movens immobile, vel non esset? si esset? habeo intentum, dari vid. aliquod primum movens immobile, quod dicimus esse Deum: si non est in illo cumulo movens immobile?

ergo in illo genere dari non poteſt motus: ſicut ſi in cumulo cauſarum efficientium non datur primum efficiens, non poteſt etiam dari effectus, ut ſuprà diximus, & patet experientiâ; ſint enim duo calefactibilia v. g. aquæ, & neutrum ſit calidum, nunquam ſequetur calefactio, cùm unum ab alio accipere non poſſit virtutem, quâ calefaciat: nullum etiam generabile eſt ſufficiens, ut ponatur generatio, cùm debeat ab alio per generationem accipere virtutem generandi, etſi duo, quatuor, centum, infinita generabilia ponantur: eodem modo nunquam ex ſolo generabili ſequetur generatio. Ita ſolum mobile ab alio non motum non ſufficit ad movendum (ſi enim ſufficeret, ſemper moveretur; & ſicut quod non eſt, non eſt ſibi ſufficiens, ut exiſtat, ſed debet exiſtentiam ab alio accipere; ita quod movetur, cùm pergat de non eſſe ad eſſe, ab alio moveri, ac determinari debet, ut jam ſit movens, calefaciens, generans, cùm tamen non eſſet; poni ergo debet aliquod movens immobile, & hic eſt Deus; nec enim aliud nomine Dei intelligimus, quàm primum motorem immobilem.

Dices 1. Ponamus ſolem v. g. eſſe primum movens immotum reſpectu vegetabilium, ſuo enim calore, luce, influxu diſponit terram, plantas, ſemina ad generationem vegetabilium; non ſequitur tamen eſſe Deum, quia non eſt primus motor reſpectu animalium, & intelligibilium &c. Unde ergo colligimus eſſe primum motorem rerum omnium & univerſalem, ac conſequenter Deum?

Reſp. 1. Hanc quæſtionem pertinere ad unitatem, non exiſtentiam Dei. *2.* Cùm motus vegetabiles ſint artis omnino ſtupendæ, inimitabiles, ac omne ingenium, induſtriam, ac humanam providentiam ſuperent, neceſſariò in cauſam aliquam, & motorem intelligibilem ac ſapientiſſimum reduci debere, imò & potentiſſimum, qui ſine coloribus pingit, ſine pectine & radio texit, ſine pharmacis medicamenta parat, ſine inſtrumentis laborat, ſine ſuffitu odoramenta aſpergit, terram in flores, iſtos in fructus, aquam in liquores, in balſama, in gemmas, in vina transformat, quæ omnia ſunt mentis ſapientiſſimæ ac omnipotentis, & conſequenter Divinæ argumenta, ſive jam illa ſit una, ſive plures, de quo jam non quæritur.

Dices

Dices 2. Potest aliquid, quod *eminenter* aut *virtualiter* est tale, se movere, ut *formaliter* fiat tale, v. g. aqua calida *virtualiter* est frigida, & ideo se movet, & non ab alio movetur, ut fiat *formaliter* frigida; sic dicere aliquis posset, solem aut alias causas particulares esse primum movens respectu omnium vegetabilium, nec moveri ab alio, sed à seipso, ita vid. ut quà *virtualiter* calidus moveat seipsum, ut *formaliter* calefaciat, non ergo oportet semper ab alio moveri, sed idem potest diverso respectu seipsum movere.

Resp. 1. Nulla potentia est magis sui juris, seque ipsam movet, ut voluntas humana, & tamen non seipsam movet nisi mota, quantò minùs alia? *2.* Patet universali inductione, nihil moveri nisi ab alio motum, ergo illa distinctio est merè fictitia, alioqui maximè locum haberet in voluntate; nec valet exemplum aquæ se reducentis ad nativum frigus, hæc enim reductio & motus est *instrumentaliter* tantùm à forma aquæ, *principaliter* à generante, ut suprà explicatum. *3.* Quod movetur, aliter se intrinsecè habet, quàm antè habuerat, antè enim erat in potentia, nunc est in actu; ergo jam habet aliquod esse, quod antè non habuerat, ergo sibi soli non sufficit, ut transeat de non esse ad esse, nisi ab alia causa determinetur, alioqui si sufficeret sibi, semper moveretur, cur enim aliquid ita sibi inimicum sit, ut cùm possit aliquam perfectionem habere, eâ se privet? & patet in bilance, quæ cùm indifferens sit, ut sursum moveatur, aut non moveatur, non seipsam movet, sed ab alio, hoc est, ponderibus movetur.

Et hactenus *Demonstrationes Metaphysicæ*, quæ à doctis tantùm intelliguntur, nunc *physicas* & *morales* exponemus, doctis pariter & indoctis apertas.

IV. *Probatur ergò Existentia Dei 6.* ab existentia, potentia, Sapientia *Entis intellectualis.* Datur aliquod ens improductum, à se, & *intellectuale, summâ potentiâ, ac sapientiâ præditum*, ergo datur Deus. *Antecedens*, dari ens improductum, & à se, suprà probatum est; illud verò esse *intellectuale*, summâ potentiâ ac sapientiâ præditum, *probatur:* Siquis videat navim expansis velis, remis æqualiter agitatis, jam in lævam, jam in dextram partem flecti, & scopulis undique ordinatissimo motu superatis in portum ferri, etsi gubernatorem haud videat, non dubitat tamen, eam ab aliquo mente &

arte prædito regi, non à seipsa, non casu ferri: at longè ordinatiores sunt & constantiores cœlorum, stellarum, elementorum motus, nec unquam à fine suo particulari, aut universali, quod est bonum totius universi, exerrant; ergo multò minùs dubitari hîc potest, aut si dubitas nec credis, duc, si potes, ex Occidente in Orientales Indias triremem, aut nullo aut bruto duce, idque non unâ tantùm, sed perpetuâ, & millies repetitâ navigatione.

Siquis videat horologium tribus, aut quatuor rotis instructum, catenulâ nexum, libramento irrequieto & semper tremulo, malleolo ad sonum parato, & indice per horas vagante, quis nisi fatuus persuasum habeat, illam machinam suâ sponte aut fatali necessitate sine arte & *intellectu* factam esse? at quantò plures sunt cœlorum, stellarum solisque rotæ, agitationes, conversiones, tantâ varietate, tantâ proportione, velocitate, constantiâ, ut ne major quidem possit cogitari, umbris interim velut horarum indicibus ac gnomonibus toto Mundo discurrentibus: calore verò & influxu diem, annum, tempestates, labores & quietem homini distinguentibus: ergo hæc sine artifice, sine *intellectu* & quidem sapientissimo? At non video auctorem. Num ergo cùm templum vides aut palatium, etiam Architectum vides? aut quia non vides, credis illa sine Architecto facta? *Anima tua*, inquit Augustinus in psal. 73. *non videtur, corpus tuum videtur; cùm ergo corpus tuum solùm videatur, quare non credis te exanimem, quare non sepeliris? & respondes, quia vivo: Unde scio, quia vivis, cujus animam non video? unde scio? respondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnosco viventem, ex operibus creatura non potes agnoscere Creatorem?*

Siquis videat picturam, quæ coloribus pavonem ad vivum exprimat, statim concludit, manum aliquam artificem, non casum illic laborâsse: sed pavo vivus est opus multò præstantius & mirabilius picturâ pavonis, habet enim quidquid pavo pictus; imò pictura tantò nobilior, quantò propiùs vivo accedit, nunquam tamen omnino, & perfectè accedit. Sed multò plura in vivo quàm picto, compositio vid. interna tot ossibus, nervis, organis, facultatibus, sensibus, imaginativâ etiam futurorum præsciente, generativâ quâ sibi similem producit, motivâ, quâ non tantùm pro-

progreditur, sed etiam volat: si ergo imago pavonis partus est artis, & intellectûs, & hoc evidens est, nec ignorari aut dubitari nisi à stulto potest, quantò evidentius est ipsum pavonem opus & partum intellectûs esse? & quidem maximi ac sapientissimi, quia si omnes architecti, pictores, fullones, mathematici, geometræ, Philosophi conveniant, suamque industriam, vires, ideasque conferant, nihil simile cogitare, aut moliri possunt.

Quodsi pavo tantum opus, quantum erit homo, anima, Angelus? quamvis enim homo materiam corpori formando & generando offerat, non ipse tamen est, cui tam mirabilis fabrica debetur (illo enim ignorante, dormiente, aut etiam rationis experte res tota peragitur) sicut qui lapides, aut calcem affert palatio construendo, non est auctor & architectus palatij. Si ergo & homo & pavo, imò & musca opera sunt perfectissimæ mentis, quantò magis tota hujus Mundi machina cœlis, elementis, mixtis, plantis, animalibus, hominibus, summâ varietate, connexione, proportione, utilitate, pulchritudine distincta? quantum hîc potentiæ, sapientiæ, providentiæ, bonitatis, majestatis, amoris?

Planè cæcus est, imò stultus, qui Deum hîc non agnoscit, & ideo Psaltes Regius: ***Dixit insipiens in corde suo; non est Deus.*** Dixit corde, non mente, quia cognoscit quidem Deum esse, sed vellet non esse, vellet enim non esse judicem, non esse vindicem, non esse oculum, qui videret, manum, quæ puniret: credit ergo esse, sed vellet, cuperet non esse; erravit ergo corde, non mente, & ideo dixit in corde, non in mente: cur non dixit & in ore? cur clàm, cur in angulo, cur vocem foras non mittit? Timet, inquit Chrysostomus, audiri & tot testibus convinci, quot creaturis; singulæ enim suum auctorem fatentur & clamant: ***Ipse fecit nos, & non ipsa nos.*** Vide Cic. *lib. 2. de nat. Deor.*

Confirmatur. Videnti templum Salomonis, aut palatium Regis Christianissimi, evidens est, illa non casu, nec sponte, sed arte, & à præstantissimis architectis constructa esse; ergo hoc multò evidentius est, totum hunc Mundum spectantibus. Terra fundamentum est, in aëre librata, non hîc machinæ, non funes, non columnæ, sed punctulo, h. e. centro sustinetur, quis simile fundamentum vidit? Montes verò parietes sunt, tanto ordine ac arte

divisi, ut regiones & regna distinguant, fontes & flumina profundant, ventos arceant, exundationes sistant: & ne desint aulæa, gemmis, marmoribus, crystallis replentur. Cœli in fornices curvantur, stellis ac cæruleo colore, ut simul & oblectent & prosint, pulcherrimè picti: quis circinum huic globo, quis aurum & radios huic laqueari, quis tantæ moli mensuras, quis immortalem materiam huic adamanti dedit? Quot fontes, lacus, maria, tot piscinæ: quot silvæ montesque, tot vivaria: quot campi segetibus ac arboribus referti, tot penuaria: quot radices, herbæ, flores, balsama, succi, liquores, tot contra mortem, morbosque medicamenta. Lampades facesque cœlo suspensæ, quibus ad labores, ad itinera, ad studia, ad navigationes homini prælucetur, sol & stellæ sunt. Quæ possint aut Salomonis, aut Cyri, aut Neronis regiæ magnificentiâ, pulchritudine, divitijs, amplitudine, ordine, symmetriâ, perpetuitate huic componi?

Si ergo nec casa, nec tugurium, nec mapale aliquod surrexit, cui faciendo ratio & mens non præfuerit, & cui aliter persuasum esset, planè desiperet, quantò plus desipit, qui hanc Mundi domum casui, aut naturæ adscribit, non sapientissimæ menti, quæ par sit tanto operi? & cùm ista nec exemplaribus, nec instrumentis, nec fabris, nec cæmento, & lapidibus, sed solo nutu & voluntate usa sit, sequitur omnino potentissimam & Divinam esse.

Nec dicas, Mundum à seipso & æternum esse. Si enim ita est, cur nullæ ædes, basilicæ, palatia à seipsis? cur naturæ tanta, & tam subita sterilitas, ut quæ olim Mundum, nunc ne casulam sine artifice pariat? quæ enim naturæ conveniunt, non semel tantùm & olim, sed etiam nunc & quotidie spectantur; ignis enim & olim & nunc calefacit: equæ etiam nunc pariunt; cur ergo natura semel tantùm, non sæpius Mundum, aut aliquas saltem casulas sponte, nec artifice expectato, profert?

V. *Urgetur* amplius. Nihil magis rationem, ac *intellectum* prodit, ut rerum proportio, symmetria & ordo; quò enim sunt plures ac connexæ proportiones, eò magis & ad plura debet intellectus advertere, quod non absque magna ratiocinatione & collatione fieri potest; & ideo tota statuarum, imaginum, sono-

rum

rum gratia in proportione consistit: *tum* partium inter se & ad totum: *tum* colorum; & ideo noster magnus artifex proportiones servat: Siquis igitur statuam videat exquisitissimâ partium symmetriâ, aut musicam audiat sonis, ac vocibus, eorumque spatijs accuratissimè temperatis, dubitabit hoc sine sculptore, aut Musico fieri? Hæc verò proportio in Mundo præsertim cernitur, in quo omnia connexa, temperata, distincta, & in unum finem, sicut diversæ voces in unam harmoniam, cadentia.

Primum mobile rapidissimè movetur, ut diem naturalem conficiat: sol verò tardiùs, ut annum absolvat. Sicut verò annus, ita dies in quatuor partes distinguitur quatuor tempestatibus pares; nox enim hyemi, matutinum tempus veri, meridies æstati, vesper autumno respondent, Luna pulcherrimo ordine à sole discedit, ad eumque menstruis spatijs redit, sic tamen, ut nec repentè extinguatur, nec repentè plena sit, sed paulatim, æquisq; intervallis: nec ipsa solem, nec sol lunam turbat, nullâ inter tot stellarum millia alteram morante.

In ipsis anni tempestatibus non extremæ junguntur, sed mediæ; nec enim hyems æstatem, sed ver & autumnus excipiunt. Idem in elementis cernas. Idem in humoribus ac temperie humani corporis, abundante semper debiliori. Eamdem proportionem videre est in herbarum, florum arborumque radicibus, caudice, ramis, venulis, fibris, coloribus, in quibus ne si velis quidem, pulchrius aliquid suoque fini accommodatius possis excogitare; imò si ex materiæ aut defectu aut abundantia error contingat, hic ipse velut ex opposito gratiam auget.

Sed corporis humani accuratissima proportio; proportio enim longitudinis ad latitudinem est sextupla; ad crassitiem (à superficie dorsi ad superficiem pectoris) decupla: ad cubitum quadrupla: ad extensionem utriusque brachij æqualis: ad pedem exporrectum sextupla &c. Similes sunt proportiones ad ossa, ad nervos, ad viscera, venas, musculos &c. ita ut in sola fabrica corporis humani plus centum millia proportionum sint consideranda, oportuit ergo sapientissimum fuisse opificem, cui & mens & vires ad hæc omnia suffecêre.

Quid dicam de proportionibus, quæ in objectis & facultatibus

tibus animarum inveniuntur? species ab objecto profunduntur, intrant per sensum, hic imaginativam movet, ista appetitivam, appetitus membris externis imperat, & possessionem parat.

Jam ergo ex Atheis quæro: Possúntne omnia casu, & seipsis fieri, an aliqua sunt, quæ rationis ac intellectûs egent? Si aliqua sunt (nec enim negari hoc potest) quid magis eget ratione, quàm tam varia & concinna proportionum in Mundo mixtura? si enim nec statuis symmetriæ, nec sonis harmoniæ casu insunt, & sine arte, idque ne brevissimo quidem tempore, aut minutissimis rebus, quantò minùs toti Mundo & infinitis speciebus, & tot annorum millibus?

VI. *Probatur 7.* Ex summa & universali *Providentia.* Datur aliqua causa intellectualis rebus omnibus parvis, & magnis semper, & ubiq; *providens*, ergo datur Deus, nihil enim aliud nomine Dei intelligimus, nec potest tam universalis *providentia* non conjuncta esse cum infinita bonitate, sapientia, omnipotentia, alijsque Dei attributis; quomodo enim *providet* ubique, si non est ubique? saltem immediatione virtutis & causando? quomodo omnibus benefacit, si non omnia diligit? quomodo tam aptè, & efficaciter, si non omnia potest, omnia intelligit? *Antecedens probatur. Providentia* nihil aliud est, quàm ratio ordinans res ad fines per media convenientia. Vide S. Thom. *1. p. q. 22. a. 1.* hæc verò ordinatio ubique, & mirabiliter in omnibus apparet; nam

1. Sol non est propter seipsum, nec sui gratiâ (nec enim sua bona ac perfectiones videt, intelligit, amat, fruitúrque, & ideo non magis est propter seipsum quàm lampas in domo, cor in corpore, ignis in fornace propter seipsa sunt) sed totius vniversi, ut istud irradiet, foveat, & generationes perficiat; & ideo quidquid in sole est, ad hos fines dirigitur; est enim lucidissimus, alioqui non posset aëris & terræ regiones vastissimas satis illustrare, ac omnes colores reddere aspectabiles: est calidissimus, alioqui non posset omnia, etiam intima terræ, metallorum ac gemmarum matrices calefacere, segetes ac vites maturare, vapores, ex quibus venti & pluviæ, attollere: quamvis sit terrâ centies sexagies sexies major, quotidie tamen totam percurrit, ut ostendat se terræ obsequi: quotidie mergitur, ut alternis somno & vigiliâ, quiete & labore,

labore, frigore & calore animantes, ac naturam reficiat: annuo tamen motu lentior est, ut majori vid. morâ quatuor efficiat tempestates, quas non potest diurno velocissimo transitu: eâdem ratione sub eclyptica currens jam ad Septemtriones 23. gradibus, nunc ad Austrum vergens hyemem ac æstatem distinguit, si enim semper rectâ & non obliquâ incederet, æqualem in Mundo temperiem efficeret, hæc verò inæqualitas & varietas delectat simul & prodest; sublatâ enim æstate, nec ver nec autumnus essent caloris defectu, sola hyems nimium frigus & squalorem, sola æstas nimios calores afferret.

Medium quoque locum sol in cœlis occupat, nam vicinior terram exureret, remotior incultam, gelidamque relinqueret. Nec eclypses suis finibus carent, *tùm* quia solis & lucis beneficia ex opposito monstrant, *tum* quia terræ magnitudo & figura ex umbris notatur. Sol ergo totus in hominis gratiam, & suis finibus accommodatissimus. Idem de Cœlo, nam

2. Cœlum est sphæricum, hæc enim est nobilissima, capacissima & motui aptissima figura, decuit ergo corpus nobilissimum & velocissimum: quod si quadratum aut triangulum esset, impedirent se cœli, angulis impingentibus: semper movetur non quidem in bonum proprium (nec enim hoc motu cœlum perficitur, aut quiescit, cùm tamen omnis motus in quietem tendat) sed universi, cui suos influxus & radios varijs motibus applicat, sicut in cithara ex diverso fidium pulsu unus concentus.

3. Terra perfectam rotunditatem naturaliter exigeret, gravissimo elemento æqualiter in centrum ruente, ut videmus in guttis aquæ se conglobantibus, sed quia hæc figura fini obstabat, hoc est, hominum habitationi & rerum generationi, mutata, ut vid. in montes cresceret, qui exundationibus obstent, & ipsa contra naturam suam supra aquam extaret, quamvis aquâ gravior: paulatim verò & molliter assurgit, ne flumina nivesque aut imbres soluti terram uno impetu obruant potiùs, quàm rigent.

4. Mare salsum est, ut nutriat infinitas piscium species, easque solidiores, & sapidiores reddat, sparsis tamen ubique insulis, in quibus dulcem ad potum navigantes expeterent: aliarum aquarum & fontium utilitates apertæ sunt, & magis patebunt, ubi

de elementis in genere: eadem terra denſior alijs elementis & fœcundior eſſe debuit, quia tot oneribus, ædificijs, alimentis, veſtimentis, delicijs deſtinata, homini velut Domino rerum abundantiùs naturâ providente.

5. In ipſa corporis humani fabrica quanta ordinis & finium diligentia? oſſa plus quàm 2241. quorum ſingulis officia ſupra 40. muſculi ſupra 600. & ſingulis officia decem: circa oculorum ſitum, menſuram, figuram, tunicas, muſculos, neruos, palpebras, cilia, ſupercilia reflexiones fieri poſſunt ſupra 200. de quibus vide Ariſtotelem de part. animal. ubi ſingularum fines & rationes reddit. Et Galen. de format. fœt. ubi Epicureos Deum negantes urget, conceditque tot annos, quot velint ad cogitandum, quid in quovis officulo potuerit melius cogitari, & pollicetur ſe verò multa & graviſſima oſtenſurum incommoda ac defectus, ſi aliter fierent.

Hæc omnia ſunt totidem divinæ artis miracula, & ideo ſi vel minimum ex illis omnino deperdatur, niſi miraculo reſtaurari non poteſt, & quod auget admirationem, tantum opus & in tot partes diſtinctum, duras, molles, liquidas, ſolidas, denſas, pellucidas, magnas, parvas, internas, externas, calidas, frigidas &c. ex pauculo, rudique ac uniformi ſanguinis fluxu factum, ſeque ipſum per certa ſpatia & intervalla temporum perficiens; ſi enim omnes adoleſcentes aut viri naſceremur, quis parentes amare, vereri, cognoſcere, obedire diſceret, quis labores addiſcendi ferret? his omnibus in ſinu & amplexu matrum imbuimur, miſerente naturâ, etiam cùm punit.

In alijs animalibus eadem cernitur ad fines ſuos *ordinatio* per media proportionata, quia enim ut ſe nutriant, egent alimentis, proviſum eſt ſingulis proportionatum alimentum: quia verò ut alimentum ſumant, opus eſt, ut noxium ab innoxio diſcernant, dati ſunt ſenſus, præſertim interni: quia verò non appeterent alimentum, niſi delectaret, hæc quoque illecebra cibis addita, quâ movent appetitum: nec tamen eadem omnibus; bos enim fœno, carne canis delectatur: ſed quia non ſufficit cibum diſcernere & appetere, niſi etiam conſequi & frui poſſis, data eſt animalibus potentia motiva, quâ ad illum moveantur, os quo ſumant

mant, dentes quibus frangant; ſtomachus calidiſſimus, qui coquat, hepar qui alimenti & chyli maſſam nimis adhuc crudam & indigeſtam in ſanguinem extenuet; ut verò ſanguis omnibus partibus corporis applicetur (omnes enim nutriuntur) infiniti venarum alveoli & canaliculi toto corpore diffuſi, qui ſanguinem deferunt; & venæ quidem molles, & oculo expoſitæ, ut incîdi poſſint, ſanguine, cùm abundat, minuto.

Quid ergo poſſet ſapientius cogitari magisque ſuis finibus accommodatum? Datur ergo aliqua mens ſapientiſſima, quæ hæc omnia concepit; providiſſima quæ ordinavit; potentiſſima quæ executa eſt.

Quodſi hæc non ſunt maximæ ſapientiæ, *providentiæ* ac potentiæ opera, conjungantur vires omnes, arteſque humanæ, & ſimile aliquid, imò vel minimam partem tanti operis moliantur: non cœlum, ſolem, ſtellas, elementa peto, ſed unicam oculi pupillam.

Dices, hæc omnia non Deum, ſed *naturam* operari. *Contra.* Quid intelligis nomine *Naturæ*? cauſam illam proximam, radicem v.g. ex qua arbor, maſſam ſanguinis, ex qua homo formatus eſt? at quî poſſit à cauſa, quæ nec ſentit, nec intelligit, opus tantæ artis ac ingenij prodire? non hoc eſt idem ac ſiquis diceret, pulcherrimam imaginem non à pictore, ſed penicillo pictam? ordinatiſſimam fidium harmoniam à fidibus & cithara, non Muſico eſſe? verum eſt, & radices & ſemina ſummi Opificis inſtrumenta eſſe, ſicut penicillus & cætera inſtrumenta artificis; ſed ars illa, quæ occultè quidem, ſed in illis ſapientiſſimè laborat, eſt ars divina & *natura* naturæ: ſicut enim & omnes corporis motus ab anima ſunt, & omnis arborum florúmque germinatio à radice, quamvis utraque lateat, ita & omnis ſeminum & naturæ opus à Deo viſibilia inviſibiliter producente.

Quodſi per *naturam* Cœlum intelligis, aut hoc rationis expers eſt, aut ratione pollet? ſi rationis expers eſt? procedunt argumenta jam facta, & experientia ſatis oſtendit, nec cœli, nec elementorum influxus vel minimum eorum præſtare poſſe, quæ rationis & artis egent; quamvis enim farinam igni, cœloque exponas, nunquam panis fiet. Si verò cœlum ratione pollet, &

quidem tantâ quæ tantis operibus sufficiat? jam admittis Deum aliquem, cœlum vid. hoc est, mentem sapientiæ, *providentia* ac potentiæ plenam, imò & amoris, cui enim non benefacit? minimo etiam è plebe flosculorum, & mensas & purpuras & suffitus & telas plumarij operis & succos & medicamenta & vela quibus integantur, & gratias ac illecebras oculorum parat, ut huic uni intentam credas. *Quis non stupeat*, inquit Quintilianus *Declam. 13. hoc posse fieri sine manibus? nullâ interveniente doctrina hanc artem nasci?* & Greg. Nazianz. *Quis Euclides. lineis contemplandis intentus & in demonstrationibus solicitè laborans hac posset imitari?* & Hier. *in c. 6. Matth. Reverâ quod sericum, quæ pictura textricum potest floribus comparari?* & Plin. *l. 22. c. 6. Pinxit remedia in floribus, visuq; ipso animos invitavit, etiam delicijs auxilia permiscens. Sed omnium optimè Christus Matth. 6. Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex illis.*

Non minor cura & *providentia* emicuit in varietate humanis vultibus impressa; reliqua enim animalium individua ex vultu vix distinguas, & si distinguis, oportet ut in bobus equisque gregatim pascentibus inuratur nota: homini in facie discrimen est, quod si non esset, quis hostem, quis amicum, quis parentes, quis creditores, debitores agnosceret? quas paucarum facierum similitudo in pseudis Alexandro, Smerde, Nerone, Demetrio ac Sebastiano tragœdias dedit? quid ergo fieret, si omnium facies similes essent? & sint similes, adiecta est vocum diversitas, quæ simillimos aliàs aut etiam tenebris abditos proderet.

Eadem *providentia* etiam in illis apparet, quæ maximè damnantur: nulla res aut magis, aut sæpiùs ut paupertas accusatur, ista tamen omnium artium & virtutum mater est: si omnes abundarent, nemo egeret, quis serviret, aut laboraret, & consequenter quis artes exerceret? nullæ ergo agriculturæ, negotiationes, navigationes, medicinæ, architecturæ, texturæ &c. quæ omnia, ut experientiâ constat, inter divites cessant; nemo enim divitum remos ducit, sine quibus nulla navigatio: nemo calcem aut lapides convehit, sine quibus nullæ fabricæ &c. nulli sunt, aut paucissimi, qui egent, nisi voluntariâ desidiâ, & ideo in

in China, ubi omnes laborant, nulla mendicitas: sapientissimè igitur Deus sua beneficia humanæ industriæ conjunxit, ut dum unus alterius operâ utitur, omnes invicem necessarij essemus, & vel inviti ad amandum cogeremur. Negari ergo universalis providentia non potest, ergo nec Deus.

VII. *Probatur 8. Ex miraculis.* Dantur aliqua miracula, quæ vincunt omnem naturæ vim, ergo datur aliqua causa omni naturâ superior, & consequenter Deus. *Antecedens probatur* recensendo aliqua, quæ negari haud possunt, nisi omnem historiæ, & sensibus fidem neges.

In Gallæcia portu Mongiæ exundantes fluctus saxis, quibus illiduntur, cruces perfectissimè insculpunt, quas omnes æstus sequentis diei delet, & alius iterum pingit. In eodem portu navis videtur ex vivo lapide, velis quoque maloque saxeis, uno tamen pueri digito tanta moles impellitur: testis tota Hispania: in eo dicitur apparuisse Deipara. In omnibus ædificijs, quæ sumptibus Cardinalis Mendozæ condita sunt, herbula sponte nascitur, quæ Crucis formam refert, erat enim addictissimus Cruci. Nieremb. *de mirac. nat. l. 2.* S. Keimninus alumnum nobilem & adolescentem habebat, cui desideranti poma ex vicina salice dedit: Videre adhuc est totum nemus ex hujusmodi salicibus pomiferis in Ecclesia ejusdem S. Keimnini, seu ut alij, Coëngini. Vide Girald. in Topograph. Hiberniæ *l. 4. c. 28.* In eadem Hibernia reperire est pulcherrima campestria, quæ ab incolis Brigittæ pascua vocantur, in quibus licèt totius provinciæ animalia interdiu pascantur, cùm illuxerit, tantundem fœni est, & ager illibatus.

Willilæ in Hispania, Diœcesi Cæsaraugustana, campana est, quæ impendente aliquâ calamitate insigni sonum edit nullo impellente. Notum hoc tota Hispania. Vide Mariana *l. 21. de reb. Hispan. c. 10.* Alibi de similibus campanis dixi. In oppido Scabalisei, vulgò *Santaren* crucifixus visitur utrâque manu à cruce clavisque revulsâ spondentis aut testantis in morem, cujus hæc origo:

Juvenis puellæ matrimonium promiserat, & cùm nulli præsentes testes, Ecclesiam adeunt, & Christum fidejussorem, ac sponsorem

sorem statuunt; sed cùm Juvenem datæ fidei pœniteret, nec puellæ alij testes essent, Christum inclamat, qui revulsis à Cruce brachijs pro virgine dixit. Nieremb. *l. 1. c. 14.* Circa partes Corcagiæ est insula & templum S. Michaeli sacrum: prope fores lapis modicè cavus, in quo tantum vini quotidie exsudat, quantum Sacerdotibus illic operaturis sufficiat. Nieremb. cit. *c. 10. l. 2.* Perpetuum quoque miraculum est aquæ Baptismalis incorruptio; cùm enim aqua facillimè putrescat & fœteat, Baptismalis toto anno, imò in triennium æquè limpida nulloque fœtore, aut corruptionis vestigio durat.

Miracula quæ in templis Lauretano, Monserratensi, Einsidlensi, Cellensi, Oetingano fiunt, tam sunt multa & omnibus nota, ut negari nisi à fatuis non possint; quis enim fatuum non dicat, qui quamvis Romæ, aut Constantinopoli non fuerit, neget istas civitates existere, quas tamen tot alij viderunt, & esse testantur? & quas, si velint, videre & ipsi possunt? Idem de alijs quæ à Christo ejusque Discipulis mirè patrata sunt; nec enim ficta esse indubitatum est, *tùm* quia à viris sanctissimis & fide dignissimis testata, quales fuerunt SS. Augustinus, Basilius, Hieronymus, Gregorius M. Bernardus &c. *tum* quia etiam à nostræ Religionis hostibus asserta, de quo eleganter Petrus Daniel Huettius in Demonstratione *Evangel. propos. 3. n. 19.* *tum* quia tot fulciuntur testibus, ut non magis quàm aliæ historiæ negari possint; quot enim testes habent Alexandri M. & Cyri expeditiones & bella, quæ nemo in dubium vocat, tot habent Gregorij Thaumaturgi, Martini, Bernardi, Antonij &c. miracula; & deniq;, ut dilemmate S. Augustini utar, aut Ecclesia Catholica vera miracula habuit, aut nulla habuit? si habuit? hoc ipsum est quod dico, dari vid. in Mundo vera miracula, & consequenter causam & virtutem aliquam omni naturâ superiorem. Si non dantur vera miracula? hoc ipsum miraculorum maximum fuit, à duodecim vid. piscatoribus, & inermibus, & indoctis, nullâ eloquentiæ, armorum aut pecuniarum vi totum Orbem persuasum & victum esse, ut in novam Religionem consentiret, antiquâ ejuratâ, & Religionem, quæ tam multa creditu, factuque difficillima docet, idque trecentorum annorum spatio, tot Romanis Imperatoribus, hoc est, toto

terra-

terrarum Orbe, Christianam legem ferro, flammis, supplicijs persequente. Quid rogo est miraculum, si hoc non est? credere vid. incredibilia, gaudere tormentis, crescere & florere supplicijs, honores ex contumelijs metere, totamque Mundi potentiam, sapientiam, gloriam duodecim piscatoribus cedere, & crucem ante omnes coronas & sceptra haberi: hæc planè omne miraculum superant, declarantque aliquam potentiam huic operi præsedisse, cui omnis natura, ratio, vires, industria ac consilia humana pareant.

Dices, Miracula quæ videntur contingere, operâ dæmonis fieri.

Contrà. Ergo illi miraculis præstarent, qui amici dæmonis sunt, cùm tamen videamus ab istis nulla fieri, sed ab illis plurima, qui dæmonem persequuntur: quis dicat nisi impudens, Sanctissimos illos viros Basilium, Gregorium Thaumaturgum, Martinum, Franciscum magos fuisse? & cur apud Turcas, Judæos, Indos nulla hujusmodi miracula patrantur, ubi tanta vitiorum lues & dæmonis potestas? Fiunt quidem etiam ab istis aliqua mira, sed cùm vitam ducant flagitijs plenam, & contra honestatis præscriptum, meritò præstigijs & dæmoni adscribuntur, non Deo, cui virtutes, non vitia placent.

Probatur 9. A *Conservatione* rerum omnium. Quæ contrarijs constant, non possunt diu subsistere, nisi ab aliquo, qui omnibus præest, temperentur, & in unam harmoniam redigantur, & ideo nec navis gubernatore destituta contrarijs ventis diu resistet, & Civitas, cui nullus Magistratus, discordijs bellisque civilibus peribit: & corpus abscedente animâ dissolvitur; quî ergo fieri potest, ut Mundus, in quo perpetua est contrariorum pugna, tot annorum millibus subsistat, nullo gubernante Numine?

VIII. *Probatur 10.* Ex Præmijs, Justis promissis, & supplicijs, impijs paratis. Si non est Deus, ergo nec divina mandata, nec ulla præmia ea servantibus, aut pœnæ violantibus: sed contrarium patet ex Sacris Scripturis, quas non esse fabulosas & humano ingenio scriptas patet *tùm* ex motibus & affectibus, quos in animis legentium excitat, quales in nullis alijs libris experimur; *tum* ex infinitis mysterijs, quæ complectitur, adeò ut quamvis illi

explicandæ tot millia librorum conscripta sint, & nobilissima ingenia illi insudaverint, nunquam tamen satis sit explicata, & quotidie novæ in illa veritates & doctrinæ appareant, fonte hactenus inexhausto. *Tum* ex vaticinijs, quæ continet, & quæ videmus quotidie adimpleri, qualia sunt de adventu & passione Messiæ, de conversione Gentium, de subversione Hierosolymitana, de persecutione Fidelium &c. *tum* denique ex mirabili translatione *Septuaginta*, quam Aristæas describit.

Probatur II. Ex communi omnium hominum sensu; si enim nemo dubitat vera esse, quæ à septem fide dignissimis asseruntur, quantò minùs dubitari debet, ubi tot sunt testes, quot nationes, quot homines? sed nulla natio, nulla gens est tam barbara, tam inculta, quæ Deum aliquem non agnoscat, quem non timeat, colat, veneretur: nemo tam impius & ignarus est, cui in subita aliqua necessitate voces istæ non excidant; *Deus adjuva; velit Deus: si Deo placuerit &c.* & ipsi, qui Deum negant, si tamen in silva, aut tenebris, nulloque teste homicidium, aut adulterium committant, negare haud possunt, se occultis stimulis conscientiæ urgeri, timore ac pudore suffundi, naturâ vid. Deum profitente etiam cùm negat.

Probatur deniq; argumento ad hominem. Aut enim Deus aliquis est, aut nullus est: si aliquis est? eumque negas, imò & flagitijs ad vindictam provocas, exponis te periculo omnium æternarum ac temporalium pœnarum, quas hujusmodi minatur, infligitque. Si nullus Deus est? nullum ejus offendendi aut provocandi periculum est, etiamsi credas esse; cur ergo non malis Deum credere sine omni periculo, quàm cum tanto periculo negare?

IX. *Objicitur I.* Si Deus aliquis est, cur in hoc Mundo tot mala naturæ & culpæ? cùm enim Deus sit ens optimum, tam non potest, aut debet malum pati, quàm non potest ignis paleam sibi admotam.

Resp. Nullum esse malum *natura*, cui non insint plurima bona: quid veneno pejus? & tamen quot ex veneno medicinæ? Sicut in bene ordinata Republica non tantùm præmia & honores, sed etiam pœnæ, supplicia & tortores sunt; ita in Mundo, in omni

omni creatura est, quod prosit & noceat, quia utroque egemus. Quis æterna amet & cœlum, si nihil in Mundo sit, quod doleat? Multò magis Dei beneficia æstimantur, cùm malis conferuntur; sicut expertis aliquando morbum, multò sanitas gratior: providentissimè ergo Deus mala beneficijs miscuit, maximè quia plerosque videmus metu potiùs pœnarum à malo arceri, quàm spe aut largitione beneficiorum; utrumque ergo maximum Dei beneficium est, & quòd malis nos terreat, & quòd afficiat tot bonis.

Si verò de malis *culpa* loquamur, Deus illa permittit gravissimas ob causas; *tùm* quia plerique sponte, libereque illa committunt, Dei autem providentiæ est, hominis libertatem non impedire, nec illi vim inferre: monet, terret, promittit, minatur, sed non cogit. Cur ergo tam multi mali? quia ita volunt. Cur Deus non impedit? impedit, quantùm decet, & quantùm salvâ libertate potest. Cur non cogit ad bonum? quia non debent cogi, qui ex natura liberi sunt; tam enim contra jura libertatis, & humanæ naturæ est cogi, quàm contra naturam ignis madefacere; & virtus coacta nec Deo placet, nec præmio digna est. Imò cùm tam sit pronum hominibus peccare quàm lapidibus cadere, non tam mirandum est, quòd tam multi peccent, quàm quòd tam multi non peccent: sicut si centum lapides deorsum cadant, & unicus ascendat, hoc solum, non illud mirandum est.

Dices: Deo tot media præstò sunt, quibus, si velit, omnia peccata salvâ libertate impediat, cur ergo non impedit? cur tot animarum permittit naufragia? & æterna quidem, cùm illi nec anchora desit, nec tabula, quas porrigat, aliàs perituris?

Resp. Imò porrigit: tot enim sunt tabulæ, tot anchoræ, quot Sacramenta, quot internæ admonitiones, quot gratiæ: sed nolunt plerique porrectas accipere, & ideo pereunt; cujus igitur culpa, porrigentis an recusantis? Stat Medicus ad lectum, rogat, terret, instat, ut sanari velis, & pharmacum ori admovet, cujus haustu certò sanitatem recipias; tu nec monentem audis, nec imperanti pares, nec medicinam acceptas, quem moriturus accuses nisi teipsum?

Sed dices: Poteſt Deus de nolentibus volentes facere, idque ſalvâ libertate, cur ergo non facit?

Reſp. Hoc eſſe arcanum humanis mentibus hactenus inacceſſum; neque id mirum, cùm enim tam multa in cœlo, terraque & ab hominibus fiant, quorum nullam rationem poſſumus reddere, quid miramur aliquid à Deo, & in Deo fieri, cujus cauſæ nos lateant? nec propterea negari debent, quæ certa ſunt, quia aliqua nobis ſunt incerta; quis enim ſapiens neget eſſe Nilum, quia ejus originem ignorat? neget in luna maculas eſſe, quia neſcit quid illæ ſint? certum eſt, Deum eſſe juſtum, & infinitè miſericordem, id enim & Scriptura, & ratio convincit; incertum cur tam multos perire ſinat, quos poterat, ne perirent, juvare, non ergo propter iſtud incertum negari debet illud certum. Sed de hoc alibi fuſiùs.

Objicitur 2. Experientia docet, eventus rerum non tam ex juſtitia cauſæ, quam fovemus, aut providentia Numinis pendere, quàm ex induſtria & viribus humanis; & ideo nec in caſtris, nec in foro penes innocentes victoria, ſed penes potentiorem. Nulla gens pejor & pluribus ac graviſſimis flagitijs inquinatior Turcicâ, & tamen nulla ditior, nulla potentior; quilibet ergo ſibi & Numen & Fatum & Providentia eſt.

Reſp. Hic Mundus non eſt à Deo conditus, ut in illo perpetuò vivamus, & præmia virtutibus perſolvantur, hoc enim cœlo reſervatum eſt. Mundus ergo locus laboris, & pugnæ eſt, non triumphi: in hoc juſti exercentur, impij dominantur, Deo cauſis ſecundis habenas laxante: & quia rarò fit, ut non etiam in impijs aliqua ſint benefacta & virtutes præmijs dignæ, Deus illos bonis temporalibus, quæ umbræ ſunt tantùm & floſculi quidam fugaciſſimi, remuneratur, tot interim curis, timoribus, laboribus, inſidijs, morbis, periculis, infortunijs mixta, ut multò plus doloris habeant, quàm gaudij. Quem reperias Salomone feliciorem? & ipſe tamen inter ipſas delicias & voluptates exclamavit: *Et vidi quòd omnia ſint vanitas & afflictio ſpiritûs.* Ubi etiam advertere licet, ita Deum divitias & imperia impijs conferre, ut non ſinat nimiùm excreſcere (juſtos enim opprimerent) ſed per certa temporum, & intervalla annorum finem illis regnandi imponat, Impe-

rijs

rijs translatis, regnisque perpetuo velut æstu jam florentibus, jam casum minantibus. Justis verò etsi multæ calamitates, nunquam tamen perpetuæ, sed alternis bonis permixtæ: accedunt interna bona externis longè majora, gaudium vid. pax, æquanimitas, securitas, fiducia in Deum, & quod omnia superat, futurorum expectatio: malis tu æger, & doloribus plenus ac febri intus grassante in serico, plumeoque lecto decumbere, an sanus in palea? hæc justorum, illa impiorum conditio est: quid ergo providentiam Dei accusas, si quod melius est, justis, quod pejus est, impijs tribuit? Vide Senecam de *Provid.* & nos alibi fusiùs.

X. *Quæritur 2.* An detur in Deo potentia *creativa?*

Resp. Affirmativè. Ratio est 1. Deus est infinitè perfectus & omnipotens, ergo potest quidquid non implicat: sed posse aliquid creare, h. e. sine ullo subjecto, non implicat, quæ enim implicatio? *2.* Modus agendi sequitur modum essendi: sed Deus habet esse independens ab omni causa, ergo etiam habet modum agendi independenter ab omni causa, ergo etiam à causa materiali, quod est creare: & ita creata est materia prima, nec enim est ens à se (unde enim hæc summa perfectio enti imperfectissimo, quam ne entia quidem perfectiora habent, ut patet in homine, animalibus &c.?) ergo producta est, sed non ex alio subjecto, cùm sit primum, ergo ex nullo subjecto, ergo per creationem. Aristoteli creationem fuisse cognitam, eamque Deo attribuisse docet S. Thomas *in lib. 12. Metaph.* & *1. p. q. 44.* & *2. contra Gent. c. 15.* & *q. 3. de pot. a. 6.* & patet ex lib. de Mundo, quem Aristoteles ad Alexandrum scripsit.

XI. *Quæritur 3.* Utrum creatura possit supernaturaliter elevari ad creandum?

Resp. Potentia Creativa ita Deo est propria, ut nulli creaturæ possit communicari. S. Thomas *1. p. q. 45. a. 5.* Nullam creaturam de facto aliquid creâsse, est de fide ex *c. Firmiter. de Summa Trinit.* & patet experientiâ; ex nihilo enim nihil fit. Non posse verò hanc potentiam creativam communicari,

Ratio est 1. Per creationem producitur non tantùm ens ut tale, v. g. equus, sed ens absolutè (est enim productio ex nihilo, quod verò nihilo opponitur, est ens simpliciter: & creatio dat

totum esse, non verò generatio; nam cùm ex palea producitur ignis, non totum esse producitur, præcessit enim materia & gradus entis, substantiæ, corporei &c.) sed ens absolutè, & ut sic est objectum solius omnipotentiæ Divinæ, quæ nulli creaturæ potest communicari, sicut nec ipsum esse Divinum.

Dices: Si homo, aut Angelus possint paleam creare, non sequitur esse omnipotentes, quia non poterunt propterea etiam equum, aut leonem creare.

Contra. Qui creat paleam, attingit istam non præcisè *quà* palea est, sed *quà* ens est, ergo quantùm est de se, poterit etiam leonem, aut equum producere, quia & ista continentur sub ratione entis ut sic. Vide S. Thom. *1. p. q. 45. a. 5. ad 1.* Sicut quia intellectus versatur circa verum ut sic, potest ad omne verum extendi quantùm est de se, & oculus ad omne visibile sive coloratum: & artifex qui posset ex nihilo operari, non est ratio, cur non æquè statuam aut templum &c. produceret, quantùm vid. est ex vi potentiæ.

2. Potentia creandi est necessariò infinita, quæ nulli creaturæ potest communicari, sicut nec omnipotentia, talis enim potentia producit ex nihilo: sed ens & nihil infinitè distant, distant enim contradictoriè, quæ distantia & oppositio tanta est, ut ne divinitus quidem major esse possit, ergo ad hanc distantiam superandam opus esset virtute infinitâ. *Deinde* major requiritur potentia, ut formam educat ex subjecto improportionato, quàm proportionato, v. g. difficilius est statuam aquæ, quàm æri incîdere; ergo quò subjectum magis est improportionatum, eò major potentia requiritur: sed non potest dari subjectum magis improportionatum quàm nihil, ergo nec potest dari major potentia, quàm creativa & productiva ex nihilo, ergo hæc erit infinita.

3. Modus operandi imitatur modum essendi: sed omnis creatura in essendo est mutabilis, & constat ex actu & potentia, ergo omnis creatura operari tantùm potest per mutationem subjecti, & supponendo potentiam receptivam, & consequenter non potest creare.

4. Talis potentia creativa esset accidentalis, jam enim su-

prà

prà ostendimus, nullam substantiam esse immediatè operativam: sed nulli formæ accidentali potest esse connaturalis potentia creandi, sicut enim nullum accidens potest naturaliter esse independenter à subjecto, ita nec operari.

5. Si posset Deus alicui creaturæ potentiam cteativam dare, maximè id posset substantiæ spirituali, & Angelicæ: sed huic non potest, hæc enim agit per intellectum, & voluntatem, sed intellectio non est effectiva ad extra (Deus enim omnia etiam possibilia intelligit, nec tamen intelligendo creat) voluntas verò est quidem effectiva, sed in solo Deo, non verò in creaturis, alioqui cùm voluntas sit potentia universalis ad omne bonum, nec loco aut tempori alligetur, possem ut omnia & semper & ubiq; velle, ita omnia semper & ubiq; creare.

6. Nulli creaturæ potest communicari virtus instrumentalis creandi (ita vid. ut creatura elevetur ad creandum tamquam instrumentum Dei, sicut penicillus elevatur ad pingendum tamquam instrumentum pictoris) ergo multò minùs potest ei communicari virtus principalis creandi: *Antecedens probatur*, quia omnis causa quæ elevatur, habet virtutem inchoatam ad effectum ad quem elevatur, vel cujus instrumentum est: intellectus v.g. elevatur ad cognoscendum Deum, sed intellectus ex sua natura est cognoscitivus: voluntas elevatur ad amandum Deum, sed voluntas ex sua natura est amativa Dei: penicillus elevatur ad pingendam imaginem, sed penicillus ex sua natura recipit & relinquit colores; alioqui si instrumentum nullam propriam habeat actionem, & inchoationem ad effectum, sed tantùm agat virtute à principali receptâ, non erit instrumentum, quomodo aqua calefaciens calore ab igne accepto, & luna illuminans luce à sole impressa, non sunt causæ instrumentales, de quo vide S. Thom. *3. p. q. 62. a. 1.* & *3. de pot. a. 4.* sed nulla creatura habet virtutem inchoatam ad aliquid creandum, hoc est, ex nihilo producendum; inter aliquid enim & nihil nulla est proportio, & consequenter nulla inchoatio.

7. Et ita videntur omnino SS. Patres sentire. S. Athanasius *serm. 3. contra Arianos: Administrare creaturarum & servorum est, condere autem atque creare solius Dei & Verbi ejus, ac Sapientiæ.* S. Cyrill. *l. 2.*

contra Julian. Efficaciter posse operari ut Creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant, est unum ex illis, quæ propriè sunt solius & omnium summæ substantiæ. S. August. *l. 9. de Genes. ad liter. c. 15. Angelus tam non potest rem quamlibet creare, quàm non potest seipsum.*

Non propono objectiones, quia nullæ sunt alicujus momenti, solùm *Nota*, quando dicimus aliquid fieri *divinitùs* non posse, totam hujus causam reducendam esse non in ipsum Deum, sed in ipsam naturam, & repugnantiam terminorum, quos conjungi repugnat, aut separari; sic v.g. repugnat triangulus habens duos, vel quatuor angulos, & lapis sensitivus; & cùm repugnantia, & implicantia sit non esse, & impossibilitas, non potest *primariò* in Deum, ejusque essentiam reduci, quæ est causa rebus ut sint, non autem ut non sint, aut non possint esse. Cùm autem dicimus posse aliquid esse, tota hujus radix, & causa in Deum reducenda est, qui est causa & exemplar omnis esse; ideo igitur leo potest esse, quia in Deo habet ideam sui esse. Vide S. Thom. *1. p. q. 25. a. 3.* & *2. contra Gent. c. 25.*

Caterùm creatio quâ Deus aliquid creat, non videtur actio aliqua realiter distincta ab effectu creato seu à creatura, sed est ipse actus Divinæ voluntatis efficaciter aliquid fieri volentis, ad quam efficacem voluntatem continuò effectus sequitur sine alia media actione, & ideo creatio potest dici actio *virtualiter* transiens; quamvis enim sit actus immanens Dei, relinquit tamen ad extra, & post se effectum. Videtur esse S. Thomæ *1. p. q. 45. a. 3.* & *q. 25. a. 1. ad 3.* & *Ratio est*, quia nulla videtur esse hujus distinctæ, & mediæ actionis necessitas; ex una enim parte voluntas Dei est infinitè activa, nec eget mediâ aliquâ causalitate, per quam ejus virtus ad effectum deferatur: ex altera parte creatura est intrinsecè & essentialiter à Deo dependens, & ideo non eget aliquâ extrinsecâ actione, per quam fiat dependens; sicut lux quia est intrinsecè visibilis, non eget alio extrinseco, per quod reddatur visibilis: & secundùm Adversarios ipsa actio creativa, quia essentialiter à Deo dependet, non eget aliâ actione & creatione: at creatura non minùs essentialiter & intrinsecè à Deo dependet, quàm ipsa actio seu creatio, ergo non magis eget distinctâ aliquâ actione & dependentiâ.

XII.

XII. *Quaritur 4.* Utrum creaturæ ſicut in fieri, ita & in eſſe dependeant à Deo *conſervante?*

Reſp. Omnes creaturæ non tantùm à Deo producuntur, ſed etiam in eſſe *conſervantur*, adeò ut ſine Dei influxu ne momento quidem poſſint ſubſiſtere; ſicut nec vita ſine influxu cordis, nec lux ſine influxu corporis luminoſi, v.g. ſolis. Vide S. Thom. *1. p. q. 8. a. 1.* & *q. 104. a. 1.*

Ratio eſt 1. Ex SS. Literis Sap. 11. *Quomodo poſſit aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Et Joann. 5. *Pater meus usque modò operatur.* Ubi vide S. Aug. & ad Hebr. 1. *Omnia portans verbo virtutis ſuæ.* Sicut enim pila, quo momento non portatur, cadit, ita creaturæ omnes.

2. Dependere in fieri & *conſervari* à cauſa eſt magna perfectio cauſæ, dicit enim duplicem influxum cauſæ, & duplicem ſubordinationem, ac dependentiam effectûs, ergo debet concedi cauſæ perfectiſſimæ, hoc eſt, Cauſæ primæ.

3. Dantur aliquæ cauſæ creatæ, à quibus etiam in conſervari effectus pendent (lux enim aëris non tantùm à ſole cauſatur, ſed etiam conſervatur, & ideo occumbente ſole aër lucem amittit: calor quoque vitalis ab influxu cordis conſervatur; & flos non tantùm à radice naſcitur, ſed etiam conſervatur, & ideo à radice ſeparatus continuò marceſſit) ergo hoc ipſum concedi debet cauſæ increatæ, conſervare enim dicit perfectionem & cauſalitatem, nullam verò imperfectionem.

4. Quæ ſunt eſſentialia, non tantùm ſemel & in *fieri* competunt, ſed ſemper, ut patet: ſed omni enti creato, v.g. homini, competit eſſentialiter dependere à Deo, ergo hoc ſemper illi competit, & non tantùm *in fieri*, ſeu puncto generationis; homo enim, cùm ſit ens participatum, tam eſſentialiter dependet à Deo, quàm eſſentialiter eſt rationalis; ſicut ergo nullo momento poteſt eſſe non rationalis, ita nullo momento poteſt non dependere à Deo. *Secùs* eſt in ſtatua v.g. quæ ſecundùm eſſe non dependet eſſentialiter ab artifice, ſicut nec imago à pictore (poterat enim pingi ab alio, & non tantùm à Parrhaſio v.g.) cùm poſſit à ſolo Deo fieri: & licèt colorem tabulæ applicet (hæc enim applicatio nec coloribus, nec tabulæ naturaliter competit) ſemel tamen factâ

appli-

applicatione color naturaliter hæret tabulæ, & hæc adhæſio non eſt ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco. *Idem dicas* de domo; quamvis enim lapides non jungantur naturaliter & ab intrinſeco cœmento, factâ tamen ſemel applicatione, naturaliter & ab intrinſeco hærent, nec indigent influxu cauſæ extrinſecæ. *Aliud* eſt in creatura, quæ eſſentialiter eſt ens participatum, & dependens à Deo, & ideo non poteſt fieri niſi à Deo, quod nulli cauſæ ſecundæ competit; omnis enim effectus creatus poteſt fieri ſine omni cauſa ſecunda, & à ſolo Deo, exceptis actibus vitalibus.

5. Si Deus non omnia immediato concurſu conſervat, ſequitur quòd non poſſit pro lubitu aliqua annihilare (quomodo igitur omnipotens, ſi ne muſcam poſſit annihilare?) annihilatio enim eſt actio merè corruptiva, ergo conſiſtit in ſola ſuſpenſione influxûs, non verò in productione alicujus contrariæ & corruptivæ qualitatis, hæc enim eſt terminus poſitivus, qui non poteſt reſpondere actioni merè privativæ, qualis eſt annihilatio.

Conſervatio igitur non dat novum eſſe, ſed influit in primum eſſe, cujus natura eſt, ut dicat eſſentialem, & conſequenter continuam dependentiam à Creatore, ſicut flos à radice, lux à corpore luminoſo, & ſonus muſicus à manu artificis: in architecto creato non eſt perfectio, ut domus ſemper ab ejus influxu & cura pendeat, quia id conjungeretur cum ſummo labore, cura, alligatione ad unum locum, impedimento ab alijs, & melioribus occupationibus, quæ omnia in Deo ceſſant, ut patet, cui non major eſt labor in omnes creaturas influere eas conſervando in eſſe, quàm animæ in omnia membra corporis, ſoli in omnes ſtellas, radici in omnes ramos.

Et ideo conſervatio non eſt alia & diſtincta actio à creatione, ſed tantùm connotat aliud inſtans temporis, connotat enim rem antè jam fuiſſe: ſicut creatio connotat rem immediatè antè nihil fuiſſe. Vide S. Thom. *1. p. q. 104. a. 1. ad 4.* & *de pot. q. 3. a. 3. ad 6.* & *q. 5. a. 1. ad 2.* Qui etiam S. Doctor notat, nullas ſubſtantias creatas pendere quoad ſuum eſſe ſubſtantiale ab alijs cauſis creatis in conſervari, videmus enim ſubſtantias non tantùm incorruptibiles, ſed etiam corruptibiles, tam elementares, quàm mixtas, nec à ſuis cauſis univocis pendere in conſervari, nec ab æqui-

æquivocis; nam & homo & aurum & alia conservantur sine actuali præsentia, & influxu solis, etiam hoc absente.

Accidentia verò alia dependent in conservari à causis secundis, alia non, ut patet, de quo vide S. Thom. *3. p. q. 13. a. 2.* & *q. 5. de pot. a. 1. ad 7.* & *1. p. q. 84. a. 1.* Suar. Metaph. *d. 21. Sect. 3.*

XIII. *Quæritur 5.* Quomodo Deus cum causis secundis concurrat ad agendum?

Resp. Deus non tantùm *mediatè* & *remotè* concurrit ad actiones causarum creatarum, istas vid. conservando & producendo, sed etiam *immediatè*, ita vid. ut sicut motus penicilli est etiam, & multò principaliùs, motus pictoris, ita illuminatio solis est simul, & multò principaliùs, illuminatio Dei &c. Vide S. Thom. *1. p. q. 105. a. 5.* & *1. 2. q. 109.* & *3. contra Gent. c. 70.* S. Aug. *epist. 146. ad Consentium.*

Ratio est 1. Actio creaturæ, v. g. calefactio ignis *vel* aliquid est, *vel* nihil? si nihil? ergo nec à causa secunda, nec à causa prima pendet; quod enim pendet, aliquid est. Si aliquid? ergo est ens participatum à primo ente, ergo ab eo dependet, imò multò magis, quàm à causa secunda, quia implicat aliquam esse perfectionem, aut creaturam non acceptam à Creatore, quomodo enim est creatura, si non à Creatore?

Dices: Sufficit ut Deus dederit igni *A.* virtutem calefactivam, per quam calefaciat, id enim sufficit, ut dicatur ipse Deus esse causa calefactionis, quia vid. licèt non influat in ipsam calefactionem, influit tamen in virtutem calefactivam eam producendo & conservando.

Contra. Non minùs ipsa calefactio est creatura & ens participatum ac essentialiter à Deo dependens, quàm ipse calor calefaciens: sed hic non potest esse nisi immediatè à Deo sit, ergo nec calefactio, cur enim hæc minùs dependeat, quàm ille, si non est minùs creatura? Quodsi ille ignis & calor calefaciens non est immediatè à Deo, sed tantùm primus ignis, à quo deinde alij producti sint Deo otiante, sequitur, Deum non omnia, quæ sunt, verè producere, nec conservare; sicut nec Adam dicitur verè causa omnium hominum qui modò sunt, sed tantùm *per accidens*: nec præsentiam aut omnipotentiam Dei quidquam mundo con-

 ferre,

ferre, eoque sublato perinde omnia futura esse, & productum iri, sicut sublato Adamo perinde ac eo vivente homines generantur, quæ omnia sunt absurdissima.

2. Omnia quæ in Mundo fiunt, regulatissimè & sapientissimè fiunt, ut meritò opus intelligentiæ dici debeant, qualis est generatio v. g. plantæ ex semine; ergo indigent actuali directione & gubernatione, & consequenter influxu divinæ mentis; quis enim credat citharam peritissimè moveri nullo artifice actu movente? aut palatium nullo ædificante surgere?

Dices: Deus est infinitè potens, potuit ergo semini vim plantam producendi imprimere, quæ semel impressa in omnibus seminibus durat, & operatur Deo nihil agente.

Contrà. Imò quia Deus est infinitè potens, cur negas illum ad omnes actiones creatas concurrere, quæ nec infinitæ sunt, & si essent, non superarent, imò nec æquarent infinitam Dei activitatem? Sufficit unus sol infinitis stellis, & non sufficiat Deus infinitis causis? & si sufficit infinitis, quantò magis finitis? & si sufficit ac potest, cur non velit? maximè quia in concursu tot causarum, & circumstantiarum se impedientium facilè à suis scopis errare possent causæ creatæ, aut destrui, nisi Deus illis continuò adesset easque moderaretur.

3. Non minùs actio, quàm entitas rerum est creatura (æquè enim est ens participatum & subordinatum primæ causæ) ergo non minùs à Deo pendet: sed entitas rerum immediatè pendet à concursu & conservatione Dei, ut suprà ostensum est: sicut enim quia species visibilis est imago objecti, & ideo pendet ab immediato influxu objecti, & hoc sublato illa quoque necessariò corrumpitur, ut manifestè in speculo patet, ita quia omnis creatura aut est imago aut participatio & imitatio divinæ naturæ, necessariò ab hujus immediato influxu pendet.

4. Causa secunda semper est indifferens ad productionem hujus, vel illius individui, & determinatur à causa prima, ut infra dicetur. *n. 14.* ergo in omni actione causæ secundæ reperitur immediatus concursus causæ primæ.

5. Ita immediatè concurrere ad omnes actiones causæ secundæ nullam dicit imperfectionem aut repugnantiam ex parte causæ

causæ primæ, ergo hic modus concurrendi est causæ primæ concedendus: sicut enim non erit simpliciter infinita in genere entis, nisi complectatur omnem perfectionem entis, ita non erit infinitè perfecta in genere causæ, nisi complectatur omnem perfectionem causandi.

6. Quælibet actio seu operatio immediatè dependet ab aliqua causa secunda, v. g. calefactio immediatè dependet ab igne, illuminatio à sole, ergo multò magis dependet ***immediatè*** à causa prima, nam si tantùm ***mediatè***, sequeretur aliquam creaturam magis dependere à creaturis, quàm à Creatore, magis enim dependet quod ***immediatè***, quàm quod ***mediatè***; sicut filius magis dependet à patre, quàm ab avo.

7. Nihil potest esse virtus & causa adæquata, ut resultet aliquid ipso perfectius & melius: sed cùm sol producit lucem, resultat aliquid melius ipso sole, vid. esse in actu, seu esse actu causam, quod longè perfectius est, quàm esse tantùm in potentia; hic ergo gradus perfectionis, qui in causa secunda non reperitur, reduci debet in causam primam, quæ semper est in actu: in omni ergo actione reperitur specialis aliqua imitatio actûs primi, quæ in nullam creaturam est reducibilis.

8. Omnis effectus fit ex nihilo ***sui***; sed ad hoc nulla sufficit virtus creata, nisi concurrat & juvet virtus increata, ***esse*** enim & ***non esse*** infinitè distant, hoc est, dicunt oppositionem contradictoriam, quæ tanta est, ut nec divinitus possit esse major; ut ergo hæc distantia & oppositio infinita vincatur, opus est virtute infinitâ: & ideo forma semel amissa, & quæ in nihilum redijt, reparari naturaliter ampliùs non potest, v. g. potentia auditiva, visiva &c.

Concurrit ergo Deus ***immediatè*** ad productiones effectuum ut causa totalis ***eminenter***, quia vid. continet totam virtutem activam causæ secundæ, & posset se solo totum effectum producere: sic videmus cùm pictor penicillum movet, & tabulam coloribus imbuit, totum eum motum penicilli esse simul à manu, ab anima, ab idea & voluntate pictoris. *Nec* ideo tamen causæ secundæ sunt merè instrumentales, quia effectus illis quoad gradum specificum assimilantur.

Caufalitas tamen materiæ, cùm confiftat in recipere, & formæ cùm confiftat in recipi, dicunt intrinfecam & effentialem imperfectionem, & ideo pendent quidem & caufantur à Deo *effectivè*, caufat enim Deus, efficit, confervatque materiam, formam, & unionem (quidquid ifta fit) non tamen caufat *materialiter*, nec *formaliter*, quia, ut dixi, hoc dicit imperfectionem.

XIV. *Quæritur 6.* Utrum Caufa Prima fecundas determinet quoad individuationem effectûs? Pro ftatu quæftionis intelligendo.

Nota. Videmus eumdem ignem *A.* non poffe quidem producere fubftantias diverfæ fpeciei, poffe tamen producere alios & alios ignes folo numero diftinctos; ideò quæritur unde fit, quòd hunc potiùs numero ignem, quàm alium producat? *Aliqui* dicunt id ex *circumftantijs* loci, temporis, tali & tali difpofitione materiæ &c. Nos dicimus à folo Deo provenire. Unde ad quæftionem

Refpondetur Affirmativè.

Ratio eft 1. Ignis *A.* producat hunc numero effectum; v.g ignem *B.* idque in inftanti *C.* quæro an fi produxiffet uno momento tardiùs, v.g. in inftanti *D.* fuiffet idem numero effectus, an verò alius? *Si dicas:* Alius: cur hoc? quia variatur circumftantia temporis, aliæ enim circumftantiæ omnes manent: fed *contra:* Circumftantia temporis & inftantis *D.* non habet connexionem nec vim determinandi ad hoc potiùs, quàm aliud individuum, poffunt enim in eodem inftanti *D.* infiniti effectus genere, fpecie & numero diftincti produci, ergo illud inftans non dicit connexionem ad hunc numero effectum, ergo non determinat effectum, quomodo enim determinet, quod eft indeterminatum, & indifferens ad tam multa & varia? ficut figillum nullam determinatam figuram habens non poteft ceram ad hanc potiùs, quàm illam figuram determinare.

2. Sic fe circumftantiæ ac difpofitiones fpecie diftinctæ ad effectum fpecie diftinctum habent, ficut difpofitiones numero diftinctæ ad effectum numero diftinctum: fed difpofitiones fpecie diftinctæ non determinant agens ad effectum fpecie diftinctum (fol enim eamdem fpecie lucem & calorem in aëre, terra, flori-

floribus &c. producit) ergo nec dispositiones, & circumstantiæ solo numero distinctæ ad effectus numero distinctos; & ipsæ dispositiones à quo determinantur, ut sint hæ numero? ab alijs dispositionibus? ergo datur processus in infinitum.

3. Tota circumstantiarum varietas tandem ad diversitatem temporis reducitur, & ideo dicunt equum *A.* productum in instanti *B.* si productus fuisset in instanti *C.* alium numero distinctum equum futurum fuisse; sed tempus cùm sit adeò extrinsecum, & nullo modo activum, quis credat posse causam efficientem ad hunc potiùs numero effectum determinare, quàm illum? cùm enim effectus sit intrinsecè hic, & non alius, debet hanc differentiam realem, & numericam ab aliqua causa efficiente accipere, sed circumstantia temporis non est causa activa: & saltem de Angelis & alijs effectibus spiritualibus certum est, non dicere necessariam connexionem cum circumstantijs loci, temporis &c.

4. Petrus non dicit connexionem cum hoc, vel illo loco, tempore, accidentibus; his enim omnibus mutatis manet idem numero Petrus, ergo nulla circumstantia est connexa cum certo individuo, ergo nulla determinat ad certum individuum: sicut quia speculum cum nulla facie est necessariò connexum, non determinatur ex se ad istam potiùs repræsentandam, quàm illam: & quia sol non est ex sua natura connexus cum pyro, vel pomo, ex se non determinatur ad pyrum, vel pomum, sed aliunde determinari debet.

XV. *Objicitur 1.* Differentia individualis non distinguitur realiter à specifica, si ergo Deus determinat ad hunc amorem, determinat ad amorem *simpliciter*: sicut ergo non est in mea electione hunc potiùs amorem, quàm illum eligere (nec enim amores omnino similes, & æquè appetibiles ac solo numero distinctos possum discernere) ita non est in mea potestate *simpliciter* amare, ergo non sum liber ad amandum vel non amandum.

Resp. Tu dicis voluntatem ad hunc numero amorem à circumstantijs determinari, ego dico determinari à Deo; si ergo determinatio à circumstantijs libertati non nocet, quomodo nocet determinatio à Deo? an circumstantijs major tuendæ libertatis cura, & peritia quàm Deo? Voluntas ergo partim ab objecto ama-

amabili partim à ſeipſa determinatur ut amet; quia tamen in hoc numero amore eſt aliqua formalitas, quæ nec in voluntatem reduci poteſt, nec in circumſtantias, vid. individuatio amoris, quoad hanc ſolus Deus concurrit, & ſolus cauſam creatam elevat; nec enim abſurdum eſt eumdem *realiter*, ſed *virtualiter* diſtinctum actum quoad diſtinctas formalitates in cauſas diſtinctas reduci: ſicut licèt eadem ſit realiter imago, & tota à pictore & penicillo, eſt tamen aliquid in imagine, quod non poteſt reduci in penicillum, ſed in ſolam ideam artemque pictoris.

In peccatis verò non poteſt Deus dici determinare ad hoc numero odium v. g. in odio enim eſt perfectio aliqua realis (eſt enim ens, actus vitalis &c.) & eſt imperfectio ſeu defectus, difformitas vid. & deflexio à regula honeſtatis; Deus ergo licèt determinet quoad perfectionem odij, non tamen determinat quoad defectum (quia in Deo nulla eſt radix, idea, aut exemplar mali) ſed hoc totum eſt à voluntate, quæ ſe liberè determinat quoad ſpeciem odij, quoad differentiam verò individualem odij quà defectus eſt, ſola per ſe determinatur (quia in voluntate eſt radix & cauſa deficiendi) neceſſariò tamen; *per accidens* verò & impropriiſſimè à Deo, quatenus ſubtrahit concurſum ad omnes alios actus odij, & ſolum concurſum tribuit ad hunc numero actum odij, quoad entitatem & perfectionem ſpectati, non verò quoad defectum & malitiam moralem; quod exemplo umbræ poteſt optimè explicari, ubi enim non eſt lux, non etiam ſunt umbræ, & tamen lux non eſt cauſa umbræ (cauſa enim aſſimilat ſibi effectum, non diſſimilat; nulla autem poteſt eſſe major diſſimilitudo, quàm inter contradictoriè oppoſita, inter ens & non ens) ſed corpus opacum, quod lucem impedit & corpori luminoſo, v. g. ſoli, opponitur: ſic nullum peccatum v. g. homicidij eſſet, ſi Deus non concurreret ad naturam & entitatem ac perfectiones, quæ in illo actu reperiuntur; denegato enim divino concurſu omnes potentiæ in homine ligarentur, & velut obſtupeſcerent; hæc tamen irradiatio divini concurſûs non eſt cauſa umbræ, & malitiæ, quæ in actu homicidij reperitur, ſed ſola voluntas, ut luci, hoc eſt, rectæ rationi, & legi æternæ oppoſita.

Objicitur 2. Omnis cauſa creata ex ſua natura determinatur

ad certam speciem actûs, ergo etiam ad certam individuationem.

Resp. Causa secunda, v.g. ignis habet formam determinatæ speciei, quæ proinde naturaliter inclinat ad effectum similem, & ejusdem speciei: non verò inclinat ad idem individuum, nec etiam ad hoc potiùs, quàm aliud, & ideo debet aliunde determinari; alioqui si argumentum & consequentia valerent, sequeretur ignem ut ad unam tantùm speciem, ita ad unicum individuum naturaliter determinari.

§. IX.

De Causis secundis.

SUMMARIA.

1. *Agentia creata propria causa efficientis rationem participant.*
2. *Quibus ut instrumenta subordinantur accidentia.*
3. *Diluuntur Objectiones.*
4. *Ut causa efficiens agat, à recipiente* realiter *distinguatur necesse est: Ubi illud expenditur,* quidquid movetur ab alio movetur.
5. *Sed nec tunc in distans agere potest.*
6. *Quid Antipathia, quid Sympathia rerum?*
7. *An certum: nihil posse agere in sibi omnino simile?*
8. *Sicut causas necessarias,*
9. *Ita efficientes liberas creatas dari, & ratio & authoritas suadet.*

10. Oc-

10. *Occurritur argumentis adversariorum.*
11. *Ex quibus radicibus libertas creata exurgat?*
12. *Quid sit libertas in actu primo?*
13. Finis *est vera causa realis.*
14. *Quæ ejus causalitas?*
15. *Quid de casu, fortuna, & fato?*
16. *Item quid de monstris sentiendum?*

DAri causam *efficientem* notissimum est: definitur autem *Principium extrinsecum per se* (quo modo differt à causa materiali, & formali, & per accidens) *à quo incipit realiter* (quo modo differt à causa finali) *motus.* De varijs divisionibus causæ efficientis vide Suar. *d. 17. Metaph. Sect. 2.*

I. *Quæritur 1.* Utrum Causæ creatæ verè aliquid agant?

Resp. Agentia creata verè, ac propriè efficiunt aliquos effectus sibi connaturales, & proportionatos. Vide S. Thomam *l. 3. contra Gent. c. 69. & 1. p. q. 105. a. 5. & q. 115. a. 2.*

Ratio est 1. Ab experientia; quid enim notius est, quàm dari potentiam calefactricem in igne, illuminativam in sole, ambulativam in pedibus, & ab hisce potentijs actus proportionatos egredi? equum vid. currere, aquilam volare, ignem comburere &c? *Si dicas*, non esse ignem, qui calefaciat, sed solum Deum ad ejus præsentiam. *Contrà est*; Vel in equo est vera potentia currendi, in igne vera potentia comburendi? vel non est? si est potentia? ergo & actus, cur enim Deus illis potentiam daret, nisi ut agerent? cur tot instrumenta & organa actui aptissima, si non agunt? an creaturis magis repugnat agere, quàm posse agere? & si actus repugnat, cur non æquè potentia agendi? repugnat enim dari potentiam rei impossibilis: an saperet artifex, qui navim velis, remis, anchoris, temone, transtris, alioque instrumento instrueret, non ipsa navi, sed solâ tantùm ejus præsentiâ navigaturus? aut pictor qui telam, colores, penicillos, tantâ curâ sumptuque pararet, nunquam tamen illis, sed eorum tantùm præsentiâ picturus? Si verò in igne non est potentia comburendi, sed solus Deus hoc facit; nec in sole vera potentia illuminandi &

influendi, sed solus Deus illuminat? cur ergo non æquè calefacit aqua, illuminat aër, volat testudo, currit plumbum, lapis videt? æquè enim naturaliter hæc fieri possent solo Deo agente: sicut speculum æquè naturaliter faciem Petri ac Pauli repræsentat, quia hæc repræsentatio eorum tantùm præsentiam requirit.

2. Si nulla creatura agit, ergo nulla creatura vivit, vivere enim est agere, & posse ab intrinseco moveri: si ergo non equus currit & se movet, sed ad ejus præsentiam motus à Deo ut causa extrinseca procedit, tam equus currens non vivit, quàm navis aut rheda velocissimè acta; nihil ergo vivit, nihil moritur.

3. Res quælibet æquè ac Angelus & cœlum esset incorruptibilis, à quo enim corrumpi posset, si nihil agit? nemo enim à dormiente & nihil agente occidi mutarique potest.

4. Aut repugnat ignem v. g. aliquid agere? aut non repugnat? Si non repugnat? unde colligis ignem nihil agere, cùm potiùs mille indicijs & experientijs constet aliquid agere? Si repugnat? multò magis repugnabit ignem aliquid esse, quia esse major est perfectio, magisque appetibilis: sicut ergo non repugnat esse, & dependenter ab alio esse, ita nec agere, & dependenter ab alio agere; sicut non repugnat penicillum moveri & dependenter ab alio moveri: & sicut non repugnat Deum alijs communicare esse dependens, ita nec potentiam agendi, seque communicandi dependenter à primo ente, & prima causa: & sicut esse creatum est participatio esse increati, ita actio creata est participatio actionis increatæ, nec ulla est ratio, cur Deus participari possit à creatura secundùm esse, & non secundùm operari, cùm hoc sit facilius.

5. Sequitur ex contraria sententia, hominem æquè producere animam rationalem, ac ignis producit ignem (sicut enim ad præsentiam ignis *A.* Deus producit ignem *B.* ita ad præsentiam corporis perfectè organizati Deus producit animam, cur ergo non æquè dicatur homo generare, aut producere animam, quàm ignis dicitur generare ignem?) id verò est contra fidem.

6. Error in fide est, liberum arbitrium nihil agere. Trid. *Sess. 6. c. 4.* quod si verum est in operibus gratiæ, & naturam superantibus, quantò verius est in operibus naturæ? alioqui res etiam

inanimatæ dici poterunt libertate præditæ, si liberum arbitrium nihil agit, sed tantùm patitur, aut quod minus est, ad ejus tantùm præsentiam Deus potest aliquid agere, & non agere: numquid enim & auriga ad præsentiam navis potest navigare, & non navigare, & pictor ad præsentiam penicilli pingere, & non pingere?

7. Concilia definiunt, in Christo esse duas operationes, & duo agendi principia: atqui hoc est falsum, si voluntas humana nihil potest operari. Vide plura apud S. Aug. *l. 7. de Civ. c. 30.* & præsertim S. Ambr. *l. 3. Hexam. à c. 8.* & *l. 5. & 6.* Sunt etiam pulchra Scripturæ loca: *Germinet terra herbam virentem. Videte arbores, cùm producunt ex se fructum. Ignis virtutis suæ oblitus, justos, & indumenta eorum non consumebat &c.*

Objicitur: Deus omnia agit, *operatur enim omnia in omnibus, 1. ad Cor. 12.* ergo causæ creatæ nihil operantur, quid enim opus creaturâ Deo omnia agente?

Resp. Deum omnia operari, sicut pictor totam imaginem pingit, quod tamen non obstat, quin imago sit opus etiam penicilli. Deus ergo omnia operatur communicando virtutem suam operatricem etiam creaturis (pertinet enim ad bonum, redundare & communicari) sicut sol illuminat omnes stellas, & aërem, communicando illis virtutem illuminandi: & ignis calefacit totum ferrum candens & ignitum, communicando illi virtutem calefactivam & ignitivam: neque hoc est indigentiæ aut necessitatis in Deo, sed liberalitatis, & bonitatis.

II. *Quæritur 2.* Utrum substantiæ sint per se *immediatè* operativæ?

Resp. Substantiæ sunt causæ *principales*, Accidentia verò sunt *instrumentales* causæ, quibus *proximè* & *per se* attingitur productio formæ substantialis. Dicitur causa *instrumentalis*, quæ effectum attingit quidem, sed non illum sibi assimilat, sed tantùm causæ principali, cujus instrumentum est: sic penicillus non sibi imaginem assimilat, sed ideæ pictoris: & ignis *A.* cùm producit ignem *B.* non *immediatè* istum, sed *mediante* calore producit, qui calor est instrumentum ignis *A.*

Ratio

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 45. a. 8. ad 2.* & *3.* & *q. 77. a. 1. ad 3. & 4.* & *q. 115. a. 1. ad 5.* & *3. p. q. 77. a. 3.*

2. Experientia docet, nullam substantiam nec spiritualem nec corpoream nisi medijs accidentibus & qualitatibus activis aliquid producere; sicut nec causa artificialis, nisi medijs instrumentis, idque *tum* ob limitationem substantiæ creatæ, quæ pauca potest se solâ, sicut & artifex sine instrumentis, & dux sine militibus: *tum* quia satis est, ut substantia dicatur operari, quòd per sua instrumenta naturalia & conjuncta id agat, sibique effectum assimilet.

3. Forma substantialis est determinata tantùm ad dandum esse, ad operandum verò non est determinata (est enim ad plures specie distinctas operationes indifferens) sed à suis qualitatibus determinatur, ergo istæ immediatè agunt, non substantia.

4. Sæpè generatur substantia, quando nulla substantia alia præsens est, cui tribui possit ea generatio substantialis (v. g. cùm virtute solis generantur metalla, cùm fœnilia incenduntur solo calore fœni putrescentis, humidique, nullo igne præsente,) nec recurri debet ad causas universales & Deum, id enim voluntarium est, & sine necessaria ratione. Vide Suar. Metaph. *d. 18. Sect. 3. n. 13.* & Cajet. *1. p. q. 77. a. 1.*

S. Thomas docet accidentia ita esse prima operandi principia, ut implicet omnino substantiam *immediatè* operari, propter rationes quas insinuat *1. p. q. 54. a. 3.* & *q. 79. a. 9.* & *1. p. q. 77. a. 1.* quæ sententia tamen difficilis est explicatu, *tum* quia idem S. Doctor *1. p. q. 77. a. 6.* expressè docet, potentias fieri ab anima tamquam à causa productiva, & in *1. d. 7. q. 1. a. 2. ad 2.* non oportere, quòd potentia & actus in causis productivis in eodem genere ponantur, quod tamen est præcipuum fundamentum Thomistarum: *tum* denique quia videtur agnoscere aliquem influxum activum in substantia distinctum ab influxu accidentis *3. contra Gent. c. 69.* & *3. p. q. 77. a. 3.*

III. *Objicitur 1.* Accidens est ens substantiâ ignobilius & imperfectius, ergo non est principium *immediatè* productivum substantiæ.

Resp. Accidens esse ignobilius substantiâ, & ideo non pro-

ducere ſubſtantiam per modum cauſæ *principalis*, ſed tantùm *inſtrumentalis*, quo modo penicillus producit imaginem multò perfectiorem, quia agit ut *inſtrumentum* pictoris: ſic accidens eſt *inſtrumentum* ſubſtantiæ non quidem ſeparatum, ſed conjunctum & innatum, & quod in penicillo facit motus artificis, hoc in accidentibus facit naturalis eorum connexio, & ſubordinatio ad ſubſtantiam; ſicut enim calor, ut eſt calor ignis, producit ignem, ut calor animalis producit carnem, ut calor ſolis producit aurum, ita accidens ut inſtrumentum ſubſtantiæ producit ſubſtantiam, non quod ſubſtantia accidenti aliquam virtutem aut influxum imprimat, per quem ad productionem ſubſtantiæ elevetur (hæc enim virtus eſſet accidens, & de hac quæri iterum poſſet, quomodo elevet accidens ad productionem ſubſtantiæ) ſed quia accidens per naturalem connexionem cum ſubſtantia naſcitur ità elevatum: & ſicut penicillus eſt ideo inſtrumentum aptum pingendæ imaginis perfectioris, quia aliquid à motu, & arte pictoris recipit, quod penicillus ut ſic non habet, ita calor ignis per naturalem illam conjunctionem cum ſubſtantia ignis aliquid plus habet, quàm igni ut ſic conveniat, agit enim non ut quilibet calor, ſed ut calor igneus &c. & ita de alijs.

Cui iſta reſponſio non ſufficit, dicat mihi, numquid & penicillus & motus localis ei ab artifice impreſſus multò ignobilior eſt imagine expreſsâ, & mille aureis æſtimata? quî ergo poteſt à virtute imperfectiori ad formam & effectum perfectiorem elevari? & ſi hoc poteſt motus localis, cur non poſſit naturalis cum ſubſtantia connexio? numquid ſemen eſt multò imperfectius plantâ tot coloribus pictâ, tot frondibus, tot odoribus ſparsâ? & tamen ſemen imperfectius eſt cauſa arboris multò perfectioris, quia eſt *inſtrumentum* plantæ, à qua deciſum eſt: imaginentur ergo ſibi, accidentia eſſe ſemina ſubſtantiarum, quibus inſunt, & ceſſabit admiratio.

Objicitur 2. Poteſt accidens producere aliud accidens ſibi ſimile, ergo etiam poterit ſubſtantia aliam ſubſtantiam ſibi ſimilem producere, eſt enim ſubſtantia perfectior accidente in eſſe, cur non in operari?

Reſp. Multos effectus ab imperfectioribus fieri, qui à perfectio-

fectioribus non possunt: potest musca volare, non bos: potest ignis ignem producere, non sol solem: sic & eâdem ratione potest accidens *immediatè* agere, non potest substantia, sufficit quòd agat *mediatè* & per sua naturalia *instrumenta*, quòd det esse, quòd sibi effectum assimilet &c. hæc enim sufficiunt, ut substantia multò sit accidente perfectior; nec ideo tamen substantia est in otio, agit enim per sua instrumenta, & potentias innatas, dat esse, assimilat sibi passum, quod non est otiari.

Objicitur 3. Substantia propriè non videtur, sed tantùm color, quamvis color sit proprietas, aut accidens substantiæ, ergo etiam substantia dicetur *impropriè* tantùm & *denominativè* agere, si ipsa nihil omnino agit, sed tantùm ejus accidentia.

Resp. Visio est tantùm imago objecti expressiva, & ideo quia solum colorem exprimit, meritò solus color, non substantia dicitur videri: actio verò est communicatio esse, & ideo cùm effectui communicetur esse substantiale, idque per instrumenta substantiæ innata, meritò dicitur substantia *propriè* & *principaliter* agere.

Objicitur. 4. Imbelles milites quamvis nomine & loco strenui Ducis militent, si nihil ipsis addatur, quo fiant fortiores, æquè hostem non vincent, quàm si nomine proprio & absque subordinatione ad illum Ducem militarent: idem dicas de puero ingens pondus nomine gigantis moliente, si nihil virium, aut auxilij à gigante accipiat; ergo sola subordinatio caloris ad ignem, aut alterius accidentis ad substantiam non elevat accidens, neque illud producendæ substantiæ habilius reddit substantiâ nihil agente.

Resp. Unde ergo habet semen virtutem producendæ arboris multò perfectioris, si nihil ei confert, nec ejus imperfectionem juvat, esse arboris semen? Ideo ergo calor ignis producit ignem, quia habet *naturalem* virtutem & proportionem ad hunc effectum; hanc verò habet, non quia præcisè est calor, sed quia est calor igneus, ac *naturale* ignis *instrumentum*: non verò puer est *naturale instrumentum* gigantis, aut miles *naturale instrumentum* Ducis: hoc ipso igitur quòd natura calorem igni ut instrumentum dederit, illum ipsum elevavit ad productionem substantiæ.

Objicitur 5. Accidentia ſæpè producunt aliquam ſubſtantiam omni aliâ ſubſtantiâ abſente, ut in calore ſolis metalla elaborante; in hoc caſu accidens non agit in virtute ſubſtantiæ.

Reſp. Solem producere in proxima aëris ſuperficie alium calorem cum eadem ſpecifica qualitate & proprietate productiva auri, qui à prima ſuperficie usque ad matricem metallicam propagatur, & ita ſemper eſt verum, virtute ſolis aurum generari, hoc eſt, per calorem ſolis propagatum, qui à primogenio virtutem agendi habet, primogenius autem à ſole, cujus inſtrumentum eſt.

Dices. Quid ſi autem calor *ut octo* divinitus extra omne ſubjectum producatur, numquid ignem alium cauſabit? ſed cujus ſubſtantiæ, aut ſubjecti virtute, cùm nullum ſubjectum habeat?

Reſpondeo, hunc caſum eſſe extraordinarium, & ideo nec mirum, ſi caſui extraordinario cauſam proportionatam, hoc eſt, miraculoſam & ſupernaturalem aſſignemus, vid. Deum, qui defectum cauſarum particularium ſupplet, id enim pertinet ad cauſam univerſalem.

Objicitur 6. Res corporea ideo non poteſt naturaliter elevari ad producendam rem ſpiritualem, quia eſt diverſi ordinis, & inter inſtrumentum & effectum debet eſſe proportio (nec enim malleo pinges, aut penicillo cudes) ſed inter ſubſtantiam & accidens nulla eſt proportio, nec ſunt ejusdem generis, ergo accidens non poteſt eſſe inſtrumentum proportionatum & naturaliter elevatum ad producendam ſubſtantiam.

Reſp. Non requiri proportionem in *genere entis* (quæ enim eſt proportio *entis* inter penicillum, & imaginem, inter ſeminis minutiſſimum granum, & ingentem quercum?) ſed in *genere producibilis*; ſubſtantia verò *ut producibilis* ſufficienter eſt accidenti proportionata, in quo, ut experientiâ patet, præcipua eſt vis agendi; in *genere* verò *entis* proportionatur ſubſtantia genita ſubſtantiæ generanti, quæ, ut dixi, *radicaliter* & *principaliter* agit; nec enim ſolum accidens producit ſubſtantiam, v. g. calor ignem, ſed accidens ut ſubordinatum, & appropriatum ſubſtantiæ.

Objicitur 7. Subſtantia producit ſuas paſſiones, ignis calorem, aqua frigus, lapis gravitatem &c. ergo ſubſtantia immediatè eſt operativa, ergo non ſolis accidentibus operatur.

Reſp.

Resp. 1. Non sequitur, ut si substantia est operativa *ad intra*, sit continuò etiam operativa *ad extra*, hoc enim, ut diximus, repugnat experientiæ, multoque est difficilius; operari enim *ad intra* nullam dicit resistentiam, & victoriam contrariorum, sicut operari *ad extra*, & patet in nobilissima substantia animæ, ejusq; nobilissimis potentijs Intellectûs & voluntatis, quæ cùm *immediatè* operari possint *ad intra*, non ita possunt *ad extra*; nemo enim solâ voluntate navigat, currit, ædificat &c.

Resp. 2. Ex sententia Aristotelis *l. 8. Physic. c. 4. text. 29.* & *text. 33.* & S. Thomæ *opusc. 48. tr. 1. c. 6.* & *1. p. q. 18. a. 1. ad 3.* & *q. 105. a. 2.* & *2. contra Gent. c. 46.* & *3. contra Gent. c. 23.* & *1. p. q. 77. a. 6.* passiones non fluunt ab essentia per propriam & veram actionem, sed tantùm per naturalem quamdam resultantiam; à generante verò per propriam veramque actionem; cùm enim passio pertineat ad perfectionem, & complementum substantiæ, & cum hac necessariam habeat connexionem, pertinet ad generantem, ut eâdem actione & essentiam & proprietates essentiæ producat, nec esset completa generatio passionibus non productis: reducitur tamen essentia ad causam efficientem respectu suarum passionum, quia est *ratio ob quam* generans producat proprietates, nec enim istæ debentur nisi essentiæ actu existenti: sicut ergo mollities in cera reducitur ad causam materialem, & passivam, quia est *ratio* & dispositio, *ob quam* figura ceræ imprimitur; ita essentia reducitur ad causam effectivam, quia est *ratio, ob quam* generans determinatur ad producendas proprietates, quæ non debentur nisi essentiæ, istamque supponunt, & ideo S. Thomas nunquam dicit, essentiam esse veram causam productivam suarum passionum, sed tantùm quodammodò activam & causam *1. p. q. 77. a. 6. & 7.*

Quodsi generans non ampliùs existat, & ipsa generatio jamdudum cessârit, & tamen passio ex subjecto resultet (ut cùm aqua priùs calefacta se ad nativam frigiditatem recipit, & lapis amotis impedimentis cadit) ista productio & resultantia passionis fit à forma substantiali, non præcisè ut substantiâ, sed ut virtute à generante relicta, quia vi primæ generationis proprietas frigoris v. g. aquæ debetur.

Cæterùm non omnia accidentia sunt *propriè* & *realiter* activa, ut

ut præsertim de figuris docet S. Thomas *2. 2. q. 96. a. 2. ad 2.* & *l. 2. contra Gent. c. 76.* & *l. 3. c. 105.* & S. Aug. de figuris astronomicis *l. 10. de Civ. c. 10. & 11.* Delrio *Disquisit. magicar. l. 1. c. 3. q. 1.* disponunt tamen & figura, & motus ad operationem; acuta enim faciliùs secant, rotunda velociùs, plana difficiliùs moventur. Tota ergo vis agendi ad qualitates reducitur, de quo vide Suar. *Metaph. d. 18. Sect. 4.*

Dicendum hîc esset aliquid de causalitate efficientis, hoc est, de actione, sed de hac jam suprà, ubi de Actione.

IV. *Quæritur 3.* Utrum causa agens semper necessariò distinguatur à causa recipiente, sive, utrum *movens* semper *realiter* distinguatur à moto?

Resp. Affirmativè. Ad hanc Conclusionem reducitur axioma Aristotelicum: *Omne quod movetur, ab alio movetur*, de quo vide S. Thomam *1. contra Gent. c. 13.* & *1. p. q. 2. a. 3.*

Probatur inductione *1.* Proprietates emanant à forma substantiali, v. g. calor ab igne: recipiens est ignis, causa principalis est generans, huic enim attribuitur tamquam causæ principali, & per se illa emanatio & proprietas, quia pertinet ad complendum esse, & ita forma agit in virtute generantis, cujus est dare esse; sicut sagitta principaliter non ab impulsu, sed jaculante movetur, cujus vices impulsus supplet.

2. Alterationes etiam physicæ fiunt à causa distincta, alia enim alterat, alia alteratur: sol v. g. calefacit paulatim manum, & una pars manûs alteram, serpente per omnes calore; nec unquam una pars alterat & alteratur. Hujus autem ratio est, quia alteratio physica, quæ fit in ente corporeo, procedit activè à forma, quæ est principium agendi; & recipitur in toto, ac consequenter etiam in materia, quæ est principium patiendi, *tum* quia corpus movetur vel motu naturali, vel violento, vel neutro? si motu naturali, hic aut est rerum inanimatarum ad propria loca seu proprietates tendentium, & causatur à generante, ut sæpè dictum; aut est motus rerum animatarum seu animalium se moventium? & si quidem sit primus & per modum proprietatis, ut motus cordis, reducitur in causam generantem, nam etiam quæ vivunt generantur: si verò sint motus contingentes, ut progressi-

vus,

vus, una pars movet aliam, v. g. nervus pedem, nervum voluntas, voluntatem objectum &c. Motus verò neuter (qui est extra debitum seu principium intrinsecum naturæ, ut motus circularis ignis in sua sphæra) & maximè motus violentus, sunt à principio extrinseco, sic enim definitur motus violentus; & ideo non potest esse idem principium producens seu movens & productum seu motum: exemplum est in pipere, quod seipsum non calefacit, sed tantùm linguam aut stomachum, quia calefactio est illi corruptiva & violenta, & ideo nequit esse à principio intrinseco.

3. Levia & gravia *principaliter* à generante moventur, *instrumentaliter* verò per gravitatem & levitatem, ut expresse Aristoteles docet *l. 8. Phys. c. 4. text. 32.* & *l. 4. de Cæl. c. 1. text. 2.* & S. Thomas *1. 2. q. 36. a. 2.* & *l. 3. contra Gent. c. 23.* & suprà jam explicatum est.

4. In motu animalium cor per spiritum movet musculum, musculus pedem &c. cor ipsum à quo movetur? S. Thomas docet moveri à generante, est enim perfectio & proprietas naturaliter, & semper ac omni cordi debita, cujus natura cùm sit vehementer calida, imò fons caloris, hâc respiratione, aërisque attractione indiget. *Dici* etiam potest, cor ab anima moveri, sicut cœlum ab Intelligentia, & ita semper esse distinctionem inter causam agentem & recipientem.

5. Cœlum quoque ab extrinseco movetur, cùm enim motus circularis non deserviat cœlo ad propriam aliquam formam acquirendam, sed tantùm ad generationem sublunarium, non potest esse à forma intrinseca. Vide S. Thomam *3. contra Gent. c. 23. rat. 4.*

6. Motus localis Angeli recipitur *immediatè* in ejus substantia (hæc enim fit præsens loco) causatur verò vel ab Angeli voluntate, vel volitione, ita ut semper causa efficiens realiter à patiente distinguatur.

7. In actionibus immanentibus Intellectûs vel sensûs aliud est principium proximè *effectivum*, species vid. sensibiles & potentia sensitiva; aliud principium *receptivum*, potentia vid. & substantia animæ.

8. In actibus appetitûs sensitivi & voluntatis amor boni, ut sic est proprietas animæ rationalis, & ideo tam generanti tri-

buitur, quàm calor ignis, ac motus cordis: reliqui verò actus voluntatis causantur ex intentione boni ut sic, & ita distinctio inter causam agentem, & recipientem hîc reperitur. Patet ergo inductione, movens & motum realiter semper distingui.

V. *Quaritur 4.* Utrum dari possit *actio in distans?*

Resp. Nulla causa potest *agere in distans:* Hoc est, ignis v.g. in loco *A.* non potest priùs agere, & calorem suum diffundere in locum *D.* quàm diffundat in locum *B.* & *C.* sicut lapis cadens de loco *A.* non potest priùs venire ad *D.* quàm transeat per *B.* & *C.* Hæc Conclusio est contra Scotum aliosque Medicos, sed docetur ab Aristotele *l. 7. c. 2.* ubi D. Thom. & idem *1. p. q. 8. a. 1.* & *3. contra Gent. c 68.*

Ratio est 1. Experientia docet, omnia agentia priùs in vicina, quàm remota agere, & lucernam priùs in proximum, quam remotum aërem radios mittere, & corpore opaco interposito, v. g. ligno, aut lapide, quibus medium illustrari prohibeatur, nec partes extremas luce perfundi; cur hoc, nisi quia lux non potest ad extrema nisi per medium diffundi? sicut ergo in motu locali & temporali, ita in motu causali non pervenitur ad extrema, nisi per medium.

2. Perinde est, virtutem activam non esse & non applicari, æquè enim effectus non producitur; sive enim artifex omnino nullus sit, sive manum & malleum ligno non applicet, æquè statua non producitur: sed non applicatur distanti, quis enim dicat ignem Romæ existentem applicari ligno, quod est Constantinopoli?

3. Ideo natura tantoperè à vacuo abhorret, quia non potest in extrema agere nisi per medium.

4. Si causa potest agere in distans, quid causæ est, ut nemo possit absentem tangere, & procul positos verberare? nam & hoc est agere.

5. Illa quæ non agunt per medium, tam possunt in propinqua, quàm in absentia, & procul remota (v. g. voluntas, quamvis sit potentia limitatæ virtutis, tam potest vicina quàm remotissima diligere, idem dic de Intellectu) ergo si causa non eget medio, sed potest in extrema agere, nullam habebit sphæram activitatis, intra quam agat.

6. Per

6. Per medium densius agit agens ad minorem distantiam, & per rarius ad majorem, ergo signum est, omne agens naturaliter per medium agere, alioqui raritas & densitas medij nihil aut obstaret aut conferret actioni.

7. Quod nullibi est, operari non potest, sed perinde est, quantum ad operationem, causam nullibi esse, & non esse passo conjunctam, manus enim Pictoris Romæ existens non potest tabulam pingere Capuæ existentem, perinde ac si non esset.

Objicitur 1. Experientia, magnes enim trahit ferrum etiam remotum: stella polaris trahit acum magnete tinctam, quamvis à terra distet triginta milliones milliarium germanicorum; *nec potest* recurri ad virtutem aliquam, & qualitatem per medium diffusam, *quia* quovis corpore etiam densissimo, & ferreô interposito æqualiter polus magnetem trahit, quod non fit in illis corporibus, quæ per qualitatem diffusam agunt, hæc enim impeditur denso aliquo opposito, ut in calore, & luce patet.

Fascinantes etiam solo aspectu nocent: *basiliscus* visu & sibilo: *echeneis* prætereuntem navim moratur: *torpedo* pisciculus manum ejus, qui se arundine, aut reti tetigerint, stupefacit: *buso* aperto ore trahit mustelam invitam & gementem: *struthio* fovet ova solo aspectu: siquis Romæ vulneretur, & ego Mediolani fasciolam sanguine vulnerati tinctam unguento *sympathetico* aspergam, alter qui Romæ est, sanabitur: Venenum relictum ab *araneo Apuliæ* non cessat, nisi mortuo araneo, ubicunque araneus sit, ergo araneus distans concurrit ad illius veneni conservationem.

VI. Ut radicitus intelligantur, quæ in objectione proposita sunt, & quæ mox dicentur, aliqua de *Antipathia* & *Sympathia* rerum dicenda sunt. *Sympathia* est rerum inter se consensus, & amor, quo uniri sibi cupiunt. *Antipathia* est rerum dissensus & odium, quo se invicem refugiunt, & corrumpunt. *Dari* hujusmodi antipathias & sympathias certius est, quàm ut probari debeat, & exempla paulò pòst inducentur.

Lis ergo & amicitia rerum oritur *1.* ex qualitatibus primis, secundis (duritia, mollitie, & asperitate) & tertijs, attractione, repulsione, & occultis alijs: sic flores calore solis hiant, & frigore comprimuntur: Vitis calido delectatur, frigidis abhorret, & ideo

brassicæ (quæ frigida est) vicina pampinos contrahit, ac tandem arescit. Struthio ferrum digerit non tam vi caloris (igne enim qui calidissimus est, tardiùs ferrum absumitur, quàm calore illius avis) quàm adjunctæ qualitatis ex salibus nitri & vitrioli, quibus hujusmodi aves abundant, ut excrementa ostendunt, quæ ratio est, ut omnibus etiam volucribus aquatilibus calidior sit stomachus (cùm ossa, nummos æreos &c. concoquant) quàm alijs quadrupedibus.

2. Ex subtilium & insensibilium vaporum emissione. Dari hujusmodi evaporationem patet in floribus, fructibus, succis alijsque, quæ nimiâ evaporatione tandem flaccescunt, & moriuntur. In corpore humano transpiratio insensibilis tam abundans est, ut hyeme unâ die naturali ad quinquaginta uncias exhalentur; à somno ante sensibilem excrementorum evacuationem ad tres libras, imò major unâ die, & plerumque est evacuatio per insensibilem transpirationem, quàm quindecim dierum secessu. Vide Jonston. *f. 458.* Ex hoc igitur vaporum profluvio omnes fascini amatorij, & noxij profluunt. Basiliscus animalia, mulieres menstruatæ specula & pueros solo aspectu contaminant; aspis solo afflatu nocet; hinc stellarum in homines herbasque aspectus proveniunt. Sic metalla sunt animalibus & animatis inimica, quia spargunt quosdam halitus Spiritui animali inimicos, & ideo nunquam legitur animal aliquod fuisse metallis nutritum, & ubi venæ metallicæ, nec animalia nec stirpes reperias, prohibentque Medici, ne terendis margaritis metallinâ, sed tantùm marmoreâ tabulâ utantur; omnesque à fodinis metallorum odores animalibus pestiferi.

3. Ex naturali similitudine & dissimilitudine formarum, *omne* enim *simile simili gaudet*, eoque nutritur, & movet, ex quo tota catharticorum & purgantium medicamentorum vis: rhebarbarum v.g. similitudinem naturalem aliquam cum bili habet, eam igitur diffusâ qualitate attractivâ, qualis est in magnete, succino &c. ad se rapit, dissipat extenuatque, ac sibi miscet, donec à natura onus recusante secernatur. Vide Kirch. *l. 3. Art. Magnet. p. 7.*

Uterque igitur motus tam repulsionis, quàm attractionis à similitudine, & dissimilitudine rerum nascitur: hinc bufonis seu

rubetæ

rubetæ & aranei odia, hic enim ubi illum viderit, continuò delabitur, stupefacit, pungit, necatque, nec bufo coram araneo nisi rutâ instructus comparet, cujus *ratio* est, quia venenum bufonis est humido-frigidum, aranei calido-siccum & acreum, & ideo ex contrarijs lites, & fugæ. Vide Plin. *l. 10. c. 74.* Adamas magneti resistit, nec ab eo ferrum trahi patitur, tractum verò repetit, revocatque. Aurum cum plumbo dissidet, fumo enim plumbi in pulverem tenuissimum redigitur, & interdum odore plumbi adeò rigescit, ut nequeat malleo dilatari.

4. Ex diversa climatum constitutione, stellarumque aspectu: sic triticum incommodo solo jactum in siliginem & avenam degenerat: planta cinnamomi in Europa consita in laurum, piper in hederam, cariophyllum in castaneam &c.

5. Ex vi imaginativa mira rerum odia & amores; alij felis præsentiâ exanimantur, alij tactu holoserici, alij fragorum aspectu, alij rosarum odore; imaginatio enim propositis objectis appetitum, motumque cordis ciet, agitatisque humoribus ac spiritibus vehementer corpus alterat, & ab hac alteratione varij cum corporis, tum animi affectus prodeunt. Vide S. Thom. *de verit. q. 26. a. 3. ad 11.* Kirch. *l. 3. art. Magnet.*

6. Ex sonis & proportione harmonica: sic chorda tensa aliam æquitensam & distantem movet: phalangij venenum solo fidium concentu curari potest. Timotheus, Plutarcho teste, quoties libebat, aut in furorem concitabat, aut cantu molliebat. Theodosius ob uxoris dirutam statuam Antiochenos perimi jusserat, sed inter epulas cantu delinitus & gemuit, & pepercit.

7. Certorum corporum quoad poros constitutio facit, ut poris nimis angustis, aut raris ignem haud admittant, nec calefiant; calor enim, siquis in superficie hæreat, continuò ab innato frigore, quod intus est, repellitur, & ideo nec adamas, nec asbestinum calefiunt.

His notatis, ad ea quæ objecta sunt, facilè

Respondetur: Quòd ferrum *magnete* trahatur, in causa est actinobolismus, seu occultæ qualitatis radiatio, per quam ferrum ab amico lapide rapitur. Quòd verò magnes in polum vertatur, & illi acquiescat, *aut* vis quædam attractiva poli est stellarumque ibi

ibi commorantium, *aut* quia influxus poli est magneti amicus & salubris, & ideo illuc vertitur; sicut lapis ad centrum, & ignis ad suam sphæram; eadem enim videtur causa, cur ignis sursum & magnes ad polum agatur, qualitate aliqua intrinsecâ utrumque motum ciente: nec tamen semper acus magnetica septemtriones aspicit, sed aliquando ad dextram, aliquando ad sinistram vergit, præsertim in Æthiopico mari, ut Lusitani testantur. Cur ergo corpore interjecto motus magneticus haud impeditur? quia non tam ab influxu cœlesti, quàm ab intrinseca virtute & qualitate dependet, & ideo quomodocunque lapidem, aut ignem includas, ne cœlestes influxus sentiant, ignis sursum, lapis deorsum nititur. *Fascinus* ex radiatione noxiæ qualitatis nascitur, quæ vi spirituum in oculos, & ex oculis in objectum corpus effunditur. Maximè verò nocet fascinus laude præmissâ, dilatantur enim laudati cor, oculi, facies, & ideo magis noxiæ qualitati patent. Vide S. Thom. *ad c. 3. ad Galat.* & *1. p. q. 116. a. 3.* & *3. contra Gent. c. 103.* & Vallesf. *Sacra Ph. c. 68.* & Plin. *l. 2. c. 2.* Idem de *basilisco* & alijs dicendum. Unguentum sympatheticum sive armarium quod attinet, negamus suppositas experientias. Vide Kirch. *de arte magn.*

Objicitur 2. Lebes aquæ plenus ad ignem suspensus fundum habet frigidum aquâ effervescente, ergo calor priùs agit in remotam aquam, quàm in vicinum lebetem; quomodo enim aliàs intensum calorem in fundum lebetis ignis non producat, quem producit in aquam remotam?

Resp. Fundum lebetis paulatim suum calorem in vicinam aquam transmittere, ipsius verò aquæ partes frigidiores, & ideo graviores in fundum delabi, eumque reddere frigidiorem. Vide Aristot. *probl. 8. sect. 24.*

Objicitur 3. Phantasia quæ est in capite, movet non tantùm appetitum sensitivum, qui est in corde, sed etiam membra externa, vultu aut pallente, aut rubente, aut livido, aut tremulo pro affectuum varietate; ergo phantasia agit in distans.

Resp. Phantasiâ movetur anima, cujus illa est in cognoscendo instrumentum: post cognitionem sequitur amor & appetitus, qui est actus & à potentijs ejusdem animæ; non agit ergo phantasia in distans, cùm moveat animam, cui inest, & deinde alias

eju-

ejusdem animæ potentias; sicut cùm pondus supremam horologij rotam movet, non agit in distans, quia movet unam rotam mediante aliâ. Vide S. Thom. *q. 26. de verit. a. 3. ad u.*

Objicitur 4. Calidum ut 4. applicatum medio similem qualitatem habenti ut 4. non agit in illud (quia non potest agere in simile) & tamen aget in passum illi medio vicinum, ergo in hoc casu aget in distans.

Resp. Calidum ut 4. in hoc casu conservabit medium, aut illi unietur, ut per modum unius principij, & unius calidi operentur.

Objicitur 5. Quando stuppa duobus vel tribus digitis ab igne remota incenditur, ignis in hoc casu agit in distans.

Respondetur. Calorem prius in proximum aërem, quàm in stuppam diffundi, ignem verò in aëre non accendi, quia aër ob nimiam raritatem est incapax ad formam ignis concipiendam: sic sol producit metalla in terra, non in aëre; torpedo manum stupefacit, non rete; objectum species in speculo s[i]ique imagines, non in aëre relinquit. Imò potest sol calorem & lucem v. g. ut 7. in medio aëre producere, in ipso tamen speculo calorem & lucem ut 8. quia calor per medium diffusus agit ut virtus & instrumentum solis, ergo potest intensiorem effectum producere. Sic etiam cæteris paribus, & in æquali distantia fortiùs agit causa per lineam rectam, quàm per obliquam, non quia agit in distans, sed ex alijs rationibus pro agentium qualitate; ignis enim candelæ v. g. fortiùs agit per lineam rectam, quà cuspis ascendit, quàm lateralem, quia illic plures flammæ partes ac subtiliores concurrunt. Sol fortiùs agit per lineam perpendicularem, quia radij propter reflexionem magis uniuntur: objectum meliùs per lineam rectam videtur, quàm si à latere spectetur, quia in partibus corporeis una aliam tegit. *Subinde* tamen contrarium accidit; globus enim tormento bellico excussus velociùs & majori impetu fertur per lineam aliquantùm obliquam, quàm planè rectam, igne sursum, ferro deorsum tendente; si enim ignis directè sursum aut per lineam rectam feratur, citiùs innatâ gravitate ferrum subsidet. Bene igitur *advertendum* est, qualitatem per medium diffusam agere ut instrumentum causæ principalis,

palis, à qua diffunditur, & cùm causa principalis sit finitæ & limitatæ virtutis, inde fit, ut efficaciùs in proximum, quàm remotum agat, etiamsi aliàs ea qualitas contrarium non habeat, ut patet in lumine solis & lucernæ, quo faciliùs & intensiùs proximus, quàm remotus aër illuminatur: accedit quòd instrumentum eò fortiùs agit, quò est principali conjunctius.

VII. *Quæritur 5.* Utrum *simile agere* possit in sibi perfectè *simile?*

Resp. Nihil potest agere in sibi *omnino* simile, v. g. calidum ut 4. non potest agere in calidum ut 4. est communis.

Ratio est 1. Quidquid agit est in actu (agere enim est communicare esse; nihil autem alteri communicat, aut dat, quod *formaliter* vel *eminenter* non habet) quod verò patitur & recipit, est in potentia (per actionem enim reducitur de potentia in actum, recipiendo quod priùs non habuit, quomodo enim de novo recipiat, quod jam habet?) sed potentia & actus important dissimilitudinem. Ergo &c.

2. Nulla est ratio inter duo æquè & omnino similia, cur unum potiùs agat, aut patiatur, quàm aliud, cur enim manus dextra calida ut 4. sinistram calefaciat æquè calidam, & non hæc illam?

3. Nullus esset finis agendi, passo enim perfectè causæ assimilato adhuc causa agere in illud posset, quid ergo finem actioni & limites figat? nam & vas aquæ plenum si adhuc impleri potest, nullus finis erit aquam hauriendi, & infundendi.

4. Obtento fine cessat motus ad finem, & mediorum applicatio, nec enim pugnatur partâ victoriâ, nec navigatur occupato portu, nec medicinis utimur adepti sanitatem: sed finis agentis est sibi passum vel *formaliter* in causis univocis, vel *eminenter* in causis æquivocis assimilare, & ita speciem conservare, ergo si passum aliàs jam sit agenti assimilatum, cessat finis & ratio agendi, & consequenter actio.

5. Sequeretur corpora v.g. in quarto gradu calida posse se usque ad octavum gradum caloris intendere, maximè si alterum sit densius, alterum rarius, ut ferrum & lignum; ferrum enim calidum ut 4. producit in ligno quintum caloris gradum, & hic quin-

quintum in ferro, & hic sextum in ligno, & hic vicissim sextum in ferro usque ad octavum; id verò est contra omnem experientiam. Sequeretur etiam aquam calidam ut 4. nullo igne admoto posse seipsam usque in 5. gradum, imò 8. intendere, omnes enim aquæ partes sunt calidæ ut 4. ergo una pars poterit in aliam similem agere, ergo pars *A.* intendere partem *B.* usque in quintum gradum, & pars *B.* intendere *A.* usque in quintum, & hæc ita intensa partem *B.* usque in sextum &c.

Hîc tamen *nota*, quamvis densitas v.g. aut raritas calidi non sit ratio calefaciendi, quantùm est ex parte materiæ, est tamen quantùm ex parte formæ caloris: duo enim fortiùs & intensiùs agunt quàm unum, & mille quàm centum: in denso autem sunt plures partes seu gradus caloris, & ita fortiùs agunt: quamvis ergo ferrum sit calidum ut 4. poterit tamen paleam etiam ut 4. calidam intendere, imò incendere, quia plures sunt in ferro partes calidæ ut 4. quàm in palea, & ita ferrum agit in paleam non ut simile, sed dissimile: sic etiam si corpus luminosum ut 4. in vicino aëre lucem producat ut 4. & aliud luminosum etiam ut 4. accedat, aget in aërem sibi similem, augebitque duplo lucem, quia vid. duæ causæ conjunctæ fortiùs agunt, & effectus licèt singulis sit perfectè similis, non tamen utrisque, hoc est, causæ totali & adæquatæ: sic videmus aërem pluribus facibus, & radijs magis illustrari, quàm unâ face, & radij à corpore opaco aut speculo reflexi majorem lucem & calorem in aëre vicino producunt, quia uniuntur: & quamvis lux aut calor solis v.g. non tam sit in medio intensus, potest tamen intensiorem lucem & calorem in speculo & superficie terræ producere, *tum* quia, ut dixi, causa unita (unitur verò in puncto reflexionis) est fortior, *tum* quia agunt ut instrumentum solis, in quo tota illa intensio *eminenter* reperitur. Vide S. Thom. *3. Phys. lect. 4.* & in *2. d. 15. q. 1. a. 2. ad 6.* & *3. Meteor. lect. 6.* Suar. *d. 18. Metaph. sect. 9. n. 27.*

Objicitur 1. Potest aliquid in seipsum agere, ergo multò magis in sibi simile. *Antecedens probatur*; calor enim cùm à frigido aut è contra cùm frigus à calore obsidentur, se intendunt & fortiora evadunt, & ideo calor ventriculi hyeme est fortior, aqua verò in profundis puteis æstate frigidior.

Resp. Neg. Anteced. aqua enim putei æstate frigidior est non quia in seipsam agit, sed *tum* quia exhalationes calidæ, quæ à fundo excitantur, & aquæ miscentur, faciliùs & citiùs evolant; illis ergo velut impedimentis remotis aqua se ad nativum frigus reducit: *tum* quia à circumstante calore frigus includitur, nec dilabitur, quâ ratione odores inclusi magis fragrant: *tum* denique quia partes frigidæ magis condensantur, calidis vaporibus ad amicam qualitatem recedentibus; condensatæ verò fortiùs in sensum agunt.

Objicitur 2. Calor & lumen intenduntur à corpore denso & speculo in puncto reflexionis; sed hæc intensio non potest aliunde provenire, quàm ex eo, quod calor ut 3. v.g. agit in vicinum aërem etiam calidum ut 3. eumque intendit usque in sextum gradum.

Resp. Intensio lucis & caloris in puncto reflexionis non ex eo est, quòd simile agat in simile, sed *tum* quòd agens principale v.g. sol impeditus corpore opaco agere, inter totam & majorem suam sphæram in minorem agit, & ideo fortiùs: *tum* quia lumen est magis activum in corpore denso & terso, ut experientiâ patet, & ideo sicut lignum calidum calefacit, ita speculum illuminatum illuminat vicinum aërem, illuminat verò fortiùs, quia densius & tersius aëre intermedio: *tum denique* quia corpus calidum aut luminosum raritate aëris impediuntur, ne illi totum effectum imprimant, quem possunt; imprimunt verò corpori opaco & terso, utpote capaciori. Vide S. Thomam *1. Meteor. l. 14.* & *3. Meteor. lect. 6.* & ideo luna magis lucet, quàm reliquæ cœli partes, non quòd magis à sole illuminetur, aut quòd proprium lumen habeat (nec enim habet, ut patet in ejus deliquio) sed quia densior reliquo cœlo.

Objicitur 3. Ignis major in minorem agit, eumque absumit: sic febris & vinum abundè haustum calorem naturalem extinguunt: sole exiguus ignis absumitur, & ideo faciliùs in umbra, quàm in sole carbones servantur: siquis sternutaturus oculum perfricuerit, minùs sternutat, quia calor fricatione excitatus sternutandi calorem tollit, calor ergo ut 3. v.g. agit in calorem ut 1. & consequenter etiam calor ut 1.

Resp.

Resp. Majorem calorem ignemque à minore calore absumi non *per se*, sed *per accidens*, quia vid. major calor citiùs humidum & fomentum ac pabulum minoris tollit, quo sublato ignis conservari haud potest, hoc ergo fit *per accidens*.

Objicitur 4. Potest causa debilior in fortiorem agere, & ideo datur reactio (gutta enim cavat lapidem, aqua vinum frangit, aër in hyeme agit in aquam, eamque gelu constringit, cùm tamen aër multò minus frigoris habeat, quàm aqua, geluque) ergo etiam potest agere simile in simile; cur enim minus virium habeat par in parem, quàm debilior in fortiorem?

Resp. In ijs, quæ materiâ sublunari constant, certum est, dari reactionem, id enim patet experientiâ: gutta aquæ vino infusa transit in vinum, sed si guttas repetas, vinum tandem paulatim vincitur, colorem, saporem & substantiam mutat, quia vid. vinum quamvis principio vincat, à singulis tamen guttis repatitur: Unda à scopulis frangitur, sed tandem etiam durissimos exedit: serræ & novacula usu hebetantur: lebeti calidæ si aliquid frigidæ affundas, frigida quidem frigus suum amittit, sed tamen calidam temperat: ex contrarijs elementis mixta, ex contrarijs medicamentis simplicibus composita à Medicis parantur, unâ quidem qualitate vincente, sed tamen à contraria qualitate temperata.

Si tamen activitas patientis minima sit, resistentia verò agentis maxima, agens nihil repatietur à patiente, requiritur enim aliqua proportio, & ideo nec musca terram, nec infans ingentem myoparonem aliquantulùm movere potest; quamvis certò ea proportio assignari non possit, videmus enim minutissimis guttulis lapidem diu, multumque humectatum, mollitumque tandem cedere, & formicarum assiduo discursu silices atteri, minutissimis terræ particulis à formicarum agmine dimotis.

Fit reactio & repassio hoc modo: Uteri aquæ calidæ ut 7. infundantur tres unciæ aquæ frigidæ, dico calorem illum magnum superaturum minus frigus, ita tamen ut ab hoc temperetur, & v. g. unum gradum caloris amittat, sitque tantùm calida ut 6. *tum* quia frigida ut 8. quoad frigoris qualitatem superat calidam ut 7. in qua unicus tantùm est gradus frigoris, & ita actio procedit à proportione majoris inæqualitatis & à causa prædomi-

nante, *tum* quia nihil deest, ut calida non possit à frigida repati, adest enim materia frigoris capax, adest qualitas frigoris activa, *nec obstat* fortior in aqua calor, hic enim aget quidem in frigidam, eamque vincet, non tamen reddit subjectum, cui inest, immune ab omni actione contraria, aliàs tale subjectum foret incorruptibile, nec ignis extingui posset: calor ergo, quia successivè tantùm, & paulatim frigus debellat, nec reddit subjectum contrariæ qualitatis incapax, potest à frigore quantumvis debiliore aliquid repati, donec illud penitus superet.

Aliud foret, si resistentia calidi non tantùm esset activa & causalitatis, sed etiam passiva & indispositionis (qualis reperitur in monte aut scopulo ingenti, qui parvis viribus & conatu nihil omnino, aut moveri aut concuti potest) hæc enim à debiliori non repatitur, quia impedit omnem effectum & motum ob incapacitatem subjecti. *Cur* ergo calor ut *6.* producit in ligno calorem ut *6.* & non tantùm ut *5.* si à ligno repatitur? *Resp.* Quia calidum ut *6.* (si calor sit innatus & non tantùm ab extrinseco) devictâ contrariâ qualitate totus & semper emanat ac reparatur à subjecto, cui connaturalis est. Jam ergo ad Argumentum.

Respondeo, simile non agere in simile, sed bene debilius in fortius, quia resistentia fortioris non est indispositionis (quæ totum effectum impedit) sed tantùm causalitatis successivæ, quæ resistit destruendo contrarium; sed non destruit simul & semel, ergo dat locum reactioni.

VIII. *Quæritur 6.* Utrum dentur aliquæ causæ propriè efficientes?

Resp. 1. Dantur aliquæ causæ efficientes *necessariæ.* Patet ab experientia, sol enim necessariò illuminat, ignis necessariò paleam comburit. Dicitur autem causa *necessaria*, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere. Ciconia v. g. positis omnibus ad nidificandum requisitis, hoc est, instinctu, apprehensione naturali, ac verni temporis adventu non potest nidum non construere. Quæ verò sint illa ad agendum requisita Vide Suar. *d. 19. Metaph. Sect. 2.*

IX. *Resp. 2.* Dantur etiam aliquæ causæ efficientes creatæ *liberæ*, qualis est homo & voluntas humana. Libertas opponi-

tur

tur necessitati. *Alia* ergo est necessitas *politica* tantùm, hoc est, servitus, cui respondet libertas politica. *Alia* est necessitas *naturalis*, quæ opponitur voluntario, & competit rebus inanimatis, quæ cognitione & appetitu carent; quamvis enim lapis naturaliter deorsum moveatur, movetur tamen necessariò, nullo cognitionis, aut appetitûs veri & eliciti impulsu: huic necessitati naturali opponitur libertas naturalis, cùm aliquid sponte fit ex impulsu cognitionis, & appetitûs sensitivi. *Alia* denique est necessitas *moralis*, cùm vid. aliquid sponte quidem, & ex impulsu rationis ac etiam voluntatis fit, ita tamen ut fieri aliter positis omnibus requisitis non potuerit; sic amor beatificus est necessarius. Huic opponitur libertas *moralis*, cùm vid. aliquid non tantùm voluntariè & præviâ cognitione fit, sed etiam positis omnibus ad agendum requisitis potuit non fieri: de hac (quæ etiam libertas indifferentiæ vocari solet) procedit conclusio.

Rursus potest dividi necessitas libertati repugnans in necessitatem *stoicam*, seu fatalem, *Manichaam*, & *Calvinisticam*. *Prima* à siderum influxu: *secunda* ab anima mala in suas partes animam bonam rapiente: *tertia* à Divina voluntate, & hujus executrice Gratia: hæ necessitates æquè libertatem è medio tollunt; sive enim ferreâ catenâ, sive aureâ ligeris, æquè vinctus es: sed nulla durior, quàm quæ à Deo necessitas est, invictissima quippe, & cui nemo resistat; nemo ergo pejus in libertatem, quàm Calvinus deliquit. Vide Euseb. *l. 6. de praparat. Evang.* c. 6. Aug. *de lib. arb. l. 1. 2. & 3.* S. Th. *1. p. q. 82. a. 2.* & *q. 83. a. 1.* & *lib. 1. contra Gent. c. 48.* & *q. 22. de verit. a. 6.* & *q. 23. a. 4.*

Ratio Conclusionis est 1. Quia experimur solem lucere, colores oculo videri, nivem esse albam, corvum esse nigrum; nemo hæc negaverit, nisi desipiat: atqui æquè experimur in nobis liberum arbitrium esse, hoc est, facultatem suorum actuum dominam, quæ vid. positis omnibus circumstantijs velle, aut nolle aliquid possit; quis enim positis omnibus circumstantijs non experitur posse hunc vel illum statum eligere, castra aut aulam sequi, equo aut pedibus ire, studijs operam, vel opificio dare, & ab his actibus cessare, cùm libuerit? Quodsi neges te in his actibus libertate uti, quæro quid ergo desit, ne liber sis? aut quid adjungi

tibi debeat, ut liber evadas? & quid causæ sit, cur cessare ab opere possis, cùm volueris, si liber non es? quæ enim necessariò agunt, positis omnibus ad agendum requisitis, semper agunt, sol enim semper lucet, ignis semper urit &c. *Nec dicas* etiam bruta aliquando agere, aliquando non agere: Vel enim concedis libertatem in brutis esse, vel negas? si concedis libertatem? mirum non est, si agant, & non agant, hoc enim est libertatis: si negas? ergo etiam negas bruta agere, & non agere quando lubet (hoc enim est esse liberum) sed tantùm quando appetitu, & imaginatione objecti trahuntur, homo verò pro lubitu stat, aut ambulat, militat aut rusticatur, somno aut vigilijs indulget: quod etiam indicant certæ loquendi formæ, solis hominibus, non brutis propriæ, dicimus enim: *Fac quod lubet: elige quod placet: arbitrio tuo committo &c.*

2. Quæ necessariò & non liberè agunt, eodem modo operantur, canes enim v. g. ex eodem loco, genere, temperamento similes, & eodem modo instructi, ac in paribus circumstantijs eodem semper modo operantur, omnes enim cùm esuriunt, capiunt, quæruntque cibum, cùm minaris, abstinent, cùm cæduntur, latrant, cùm exis, comitantur &c. Homines verò ijsdem moribus, eodem temperamento, & educatione diversissimas edunt actiones, imò illas quæ temperamento & naturæ maximè adversantur, ut cùm juvenes voluptatibus abstinent, offensi parcunt, pœnis delectantur, dolores gaudio præferunt, & alia, quæ non temperamento & naturæ, sed liberæ ac gubernanti voluntati sunt adscribenda; quis enim cùm videat navim tempestate & procellis jactatam, adversis tamen ventis, undisque obniti, & rectum cursum vitatis à latere scopulis tenere, ac portum spectare, quis, inquam, credat navim suo impetu hoc facere, & non potiùs ex periti gubernatoris nutu, præscriptoque ad clavum sedentis?

Dices, diversas illas hominum actiones ex diversitate cognitionum oriri, ac objectorum, quæ homini ab intellectu proponuntur, nam & causæ necessariæ circa alias & alias materias aliter, aliterque operantur, sol enim ceram emollit, lutum indurat, semina in herbas, flores, fructusque maturat &c.

Contrà, Experimur stante eodem etiam objecto & cognitione,

tione, quæ ad unum actum invitant, nos posse contrarium operari, si enim aquam, vinumque valenti apponas, & vinum quidem sanius ac delectabilius appareat, quis neget posse omisso vino aquam eligi, bibique? occurret quidem etiam in hoc casu aliqua ratio pro aqua, & proponetur voluntati ut appetibilis, sed sicut aqua non est absolutè appetibilis, nec simpliciter bona, sed potest repræsentari ut aliquâ ratione appetibilis, aliâ ratione non appetibilis, ita potest quavis cognitione, & circumstantijs datis appeti & non appeti: sed posse in ijsdem circumstantijs aliquid appetere & non appetere, est esse liberum, ergo &c.

3. Si actiones hominis nullæ sunt liberæ, cur homicidia, furta, injuriæ ab amentibus & ignorantibus & brutis facta non puniuntur, sed tantùm ab hominibus ratione præditis? crudele enim & barbarum est ea puniri, præsertim morte, quæ necessitate fiunt, nec omitti possunt, nec in nostra potestate sunt; istæ enim leges barbaræ ab omnibus & tyrannicæ censentur, vid. *Siquis alis destitutus non volaverit, pereat: qui catenis astrictus non cucurrerit, capite luat: Qui dormiens non oraverit, exul sit &c.* Eodem modo pœnæ cum temporales tum præsertim æternæ si illis imponantur, qui fato & necessitate ligantur, injustæ & tyrannicæ erunt.

Instabis: Etiam amentes & bestiæ blanditijs, minis, præmijs, verberibus moventur, quamvis necessariò agant, illæ enim applicant objectum phantasiæ & memoriæ, quæ applicatio, ut patet, non supponit libertatem, omnis enim appetitus etiam irrationalis objectis movetur, ut ovis ostenso ramo viridi, aquilæ ostensâ prædâ &c.

Contrà: Brutis & amentibus minæ, præmia, supplicia &c. eâ solùm causâ proponuntur, ut illis objecta applicentur, quibus ad faciendum aliquid aut fugiendum moveantur, non verò ut puniantur, aut quia aliquid præmio dignum fecerunt: secùs in hominibus, qui non tantùm puniuntur aut præmijs donantur, ut ad bene operandum incitentur, puniuntur enim etiam morte cum temporali tum æternâ: sed mors non incitat ad bene agendum, sed potiùs potestatem bene agendi tollit: sicut ergo nemo funibus & catenis ligatus propositâ morte incitari ad currendum potest, multò minùs occidi, si non currat, ita nemo necessitate & fato

fato adstrictus, nullum enim vinculum majus & fortius necessitate, & ideo eleganter dixit S. Aug. *ep. 46. Si non est Dei gratia, quomodo Deus salvat Mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat Mundum? Idem* dicendum est de honoribus, statuis, monumentis alijsque virtutum præmijs, quæ finitâ etiam vitâ, cùm nulla bene agendi potestas superest, hominibus ponuntur; non ergo præmia & pœnæ eodem modo hominibus ratione ac libertate præditis & brutis debentur.

4. Quæ necessariò agunt, non deliberant, nec consultant de medijs; quis enim vidit hirundines de construendis nidis, ciconias de mari transmittendo deliberâsse? sed homines de suis actionibus faciendis deliberant, ergo illas habent in sua potestate, nec enim de rebus extra potestatem nostram deliberamus. *Deinde* in deliberatione rationes in utramque partem occurrunt, ergo objectum proponitur ut appetibile, & non appetibile, ergo supponitur dari potentiam, quæ possit objectum appetere, & non appetere: atqui hoc ipsum est esse indifferentem, & consequenter liberam: & quamvis pro una parte omnibus consideratis major objecti appetibilitas occurrat, ea tamen voluntatem non cogit, videmus enim ea à nobis rejici, quæ judicamus longè utiliora & meliora; cui enim Catholico peccanti non semper aut plerumq; hæc cogitatio præstò est: *Melius est hìc & nunc Deum non offendere, quàm ob levissimam & brevissimam voluptatem offendere?* alioquin omnis peccans hæreticus esset, si judicaret, appetibilius esse hìc & nunc Deum offendere, quàm commodo aliquo, aut delectatione carere.

5. Voluntas est potentia cæca, nec vult amatque nisi objectum cognitum: sed nullum objectum est, quod possit voluntatem cogere, quodnam enim illud? si enim in Paradiso, ubi nulla ignorantia, aut passionum tumultus fuit, sed tranquillitas summa, tanta bonorum & felicitatum summa homini promissa, tantæque ex adverso pœnæ propositæ, non potuerunt voluntatem vincere, eique necessitatem imponere, quin à longè minori bono incertoque traheretur, quod erit illud bonum tam grande, quo cogatur, vel ad unum determinetur? araneæ filo tenebitur, quæ non ferro, non adamante potest? guttula rapiet, quam torrentes & maria non possunt.

6. Ab

6. Ab effectu colligitur causa & potentia; quod enim videt, potest videre, quod lucet, potest lucere &c. ergo qui pro lubitu hoc vel illud facit, habet potentiam liberam: sed possum pro lubitu hoc vel illud facere, scribere vel non scribere, loqui vel tacere: quod si negas, experientiam provoco, in promptu enim est experiri, quoties volueris.

Nec dicas, stante eodem dictamine rationis me non posse scribere aut non scribere, & ita necessitatem scribendi à dictamine rationis, & propositione objecti pendere: ***Contrà.*** Ipsum dictamen rationis est in mea potestate (potest enim voluntas intellectum applicare, ut à cognitione unius objecti abstineat, & ad considerationem alterius divertat) ergo dictamen rationis non affert necessitatem, nam & solem non video necessariò, cùm possim oculos claudere & in aliud objectum vertere: & siquis sedeat, non necessariò sedet, quia potest sessione abstinere, ac surgere. Vide S. Thom. *q. 24. de verit. a. 1. & 2.* & *1. p. q. 83. a. 1.* & *q. 6. de malo. a. 1.*

7. Voluntas humana est appetitus cognoscitivus, sequitur ergo ductum & præscriptum cognitionis ac intellectûs; sed intellectus nullum ferè objectum creatum proponit ut absolutè bonum & necessariò amandum, sed tantùm ut indifferens, hoc est, quod propter admixtionem boni & mali, commodi & incommodi, jucundi & tristis &c. amari possit, & non amari, ergo etiam voluntas potest amare & non amare, idque liberè, quomodo enim amet necessariò, quod non est necessariò amabile? & quamvis unum objectum magis altero bonum appareat, hoc tamen non tollit indifferentiam voluntatis, ***tum*** ob rationes dictas, ***tum*** quia excessus ille bonitatis non reddit objectum absolutè & necessariò, sed tantùm congruentiùs amabile; sicut si duæ viæ Romam ducant, una mari, altera verò terrâ, & hæc sit commodior & tutior, non ideo tamen est necessaria, & in hoc ipso consistit etiam libertas Dei amantis sibi non necessaria.

Nota, non posse libertatem in mera passione consistere, sed necessariò actionem requirere, ***tum*** quia nulla potentia est perfectiùs passiva & indifferens ad omnes formas ut materia prima, quæ tamen non est libera: ***tum*** quia vel potest resisti actioni, quæ

imprimitur, & consequenter etiam passioni, vel non potest? si potest resisti & non resisti? hæc ipsa resistentia est actus, & potentia ad resistendum est potentia activa. Si non potest resisti & non resisti? hæc passio non est indifferens, & consequenter nec libera.

8. Homini datum est dominium super alias creaturas, ergo etiam est dominus sui, suorumque affectuum; *Quale enim erat* (inquit Tertull. *l. 2. contra Marcion. c. 5.*) *ut totius Mundi possessor homo non in primis animi sui possessione regnaret aliorum dominus, sui famulus?*

X. *Objicitur 1.* Deus ex sententia Aristotelis & aliorum Philosophorum necessariò operatur, ergo ex sententia Aristotelis etiam homines; si enim Deus nec *formaliter* nec *eminenter* est liber, ergo nec homines, cùm nulla perfectio creata possit esse imparticipata, & quæ exemplar & ideam in Deo non habeat.

Resp. Antecedens esse falsum, ut fides demonstrat; nec mirum: si ex falso *Antecedente* falsum *Consequens* deducatur; cùm enim libertas sit maxima perfectio, dicatque independentiam ab objectis, negari Deo non potest, quis enim neget libertatem servitute præstare? In creaturis tamen libertas imperfectioni conjungitur, hoc est, mutabilitati, sed non in Deo: sicut enim Deus non amat v. g. hominem per actum amoris naturæ suæ superadditum (est enim infinita & augmenti expers) sed tribuendo homini bonitatem & amabilitatem, per quam Divini amoris capax redditur, qui amor est ipsa Dei natura; ita Deus potest non amare, non quidem aliquem actum amittendo aut suspendendo, sed non producendo in homine bonitatem, per quam Deo amabilis reddatur: tota ergo mutabilitas est ex parte hominis; sicut cùm producit Mundum, tota mutabilitas est ex parte Mundi.

Objicitur 2. Præscientia Dei est infallibilis, ergo quod ipsa præscit, aliter esse non potest, ergo quod ipsa præscit futurum, necessariò fiet: sed præscit omnes actus humanos, ergo necessariò fiunt.

Resp. Ex præscientia Dei infallibili sequitur infallibile, non necessarium, (quippe infallibile est, quod certò fiet, non quod necessariò:) necessarium enim est, quod fieri aliter non potest, infallibile verò, quod quidem non fieri potest, sed tamen certò

fiet. Præscientia ergo Dei *ut talis* non infert necessitatem, *tum* quia videt effectum liberè futurum, *tum* quia non influit in effectum, ejusque causam, & ita relinquit illam suo modo operari, sed potiùs eam supponit; ideo enim videt Deus Eliam oraturum, quia verè orabit: Sicut ergo siquis ex altissima specula videat eminus navim plenis velis, secundoque vento in portum tendere, non ideo gubernatori aut nautis vim aut necessitatem infert portum subeundi, quamvis infallibiliter prævideat portum subituram, ita Deus &c. & sicut sol emissis longè radijs totam crystallum penetrat, nec lædit, frangitve, imò pulchriorem reddit, sic Dei præscientia penetrat, prævidetque futura, innoxiâ tamen, nec violatâ libertate. Futuræ ergo actiones liberæ à Deo prævisæ possunt absolutè & *in sensu diviso* non fieri; *in sensu* tamen *composito* non possunt non fieri, hoc est, supposito quòd sint futuræ, necessariò sunt futuræ: sicut supposito quòd Petrus sedeat, nequit fieri ut non sedeat, quæ suppositio non tollit libertatem, sed supponit.

Objicitur 3. Causa secunda non agit nisi moveatur à prima; sed positâ efficaci motione causæ primæ non potest causa secunda non agere (aliàs moveretur & non moveretur: & si posset non agere, posset reddere divinam motionem, & voluntatem inefficacem) ergo causa secunda semper necessariò agit, quia ita agit, ut non possit non agere.

Resp. Causam secundam agere ut motam à causa prima, ita tamen ut motio causæ primæ causet non tantùm substantiam actûs, sed etiam modum, hoc est, libertatem, causat enim totam perfectionem & realitatem actûs, & consequenter etiam ejus libertatem, vult enim Deus hominem non quomodocunque, sed liberè operari: Deus ergo ita causat & influit in actum v. g. amoris, ut tamen relinquat intactam potentiam non amandi: sed actus amoris cum potentia non amandi est actus liber, sunt enim duæ & separabiles res potentia amandi & actus amoris; cur ergo non possit Deus influere in actum amoris, eumque efficaciter causare intactâ, illæsaque potentiâ? sicut carpere quis florem potest servatâ radice.

Dici etiam potest, causam secundam à Deo motam necessariò

operari in *sensu composito* & *hypothetico* (qui, ut dixi, libertatem non vitiat) non tamen necessariò *in sensu diviso & absoluto*; positâ enim motione Divinâ ad amandum continuò eodemque instanti est amor, posito autem amore non possum non amare, quæ tamen impotentia cùm proveniat ex meo amore, & oriatur ex hypothesi quæ fuit in mea potestate (fuit enim in mea potestate, ut amarem) non tollit, sed ponit libertatem.

Objicitur 4. Voluntas est potentia cæca, ergo determinatur ab intellectu, ut unum potiùs, quàm aliud velit: Vel ergo intellectus proponet objectum voluntati, ut æqualiter appetibile, & non appetibile, & tunc voluntas non poterit unum potiùs, quàm aliud velle, nulla enim esset ratio unum præ alio volendi, de quo vide eleganter Suar. *Metaph. d. 19. Sect. 1. n. 5.* Vel proponet objectum sub rationibus & motivis, quæ magis ad appetendum moveant, quàm non appetendum, & in hoc casu voluntas ab ea cognitione determinabitur, & consequenter necessitabitur ad unum, h. e. ad appetendum; sicut majus pondus determinat lancem ut deorsum moveatur, non sursum: vel proponet objectum ut absolutè bonum, & voluntas necessariò illud amabit: vel proponet objectum ut absolutè malum, & necessariò odio habebit; ergo voluntas in omni suo actu ab intellectu ad unum determinatur, & consequenter necessitatur, ergo voluntas nunquam liberè agit.

Resp. Voluntatem in hac vita & circa bona particularia nunquam ab intellectu determinari ad unum, nec pati necessitatem; nam ut eleganter S. Bern. *l. de grat. & lib. arb. est ratio data voluntati, ut instruat illam, non ut destruat; destrueret autem, si necessitatem aliquam imponeret, quò minùs pro arbitrio suo sese volveret.* Et *Ratio* est, *tum* quia intellectus non movet voluntatem, nisi ostendendo bonitatem & amabilitatem objecti, sed nullum objectum creatum & particulare est necessariò amabile: *tum* quia ipsa cognitio subest imperio voluntatis, potest enim voluntas intellectum divertere, ut à consideratione unius objecti cesset, & ad alterius considerationem transeat: *tum denique* quia ita docet S. Thomas *1. 2. q. 10. a. 2.*

Nec obstat, rationibus ab intellectu æqualibus propositis pro eligendo vel non eligendo aliquo objecto voluntatem necessariò suspensam fore, & omni actu, ac electione carituram: nam iste casus

casus est rarissimus, & fortè nunquam contigit, quando enim aut objecta aut cognitio, aut animi propensio ita æqualia sunt, ut voluntas non magis in unum, quàm aliud inclinet? hic ergo casus æquilibrij, cùm aut nunquam, aut rarissimè contingat, nunquam etiam, aut rarissimè libertati nocet. Imò eo casu dato gravissimi sunt auctores qui doceant, voluntatem pro suo arbitrio posse ex duobus æqualibus alterum eligere, quod maximè in Deo patet, sed vide Theologos. Si verò intellectus plures rationes pro objecto amplectendo, quàm repellendo ostendat, aut ex duobus bonis unum altero majus, vel saltem hîc & nunc appetibilius, in hoc casu, aut liberum erit voluntati minùs appetibile, & bonum eligere (nec enim major bonitas reddit objectum necessariò amabile, & Deus qui ordinatissimè agit, & liberrimè, poterat redimendo homini aliud medium eligere, quàm Incarnationis, quamvis hoc fuerit commodissimum, & perfectissimum) aut intellectum divertere, ne ad majorem illam bonitatem attendat, sed tantùm ad minorem, quo casu cessabit influxus majoris boni, & minus prævalebit; sicut enim facile est à vigilante pygmeo gigantem vinci dormientem, ita majus bonum à minori, si hoc tantùm, non illud attendatur.

Imò hinc nasci videtur, ut quoties voluntas deficit malum eligendo, semper error aliquis practicus, & inconsideratio voluntaria in mente præcedat; proposito enim objecto sensibili, & delectabili per sensum externum, aut phantasiam, exurgit continuò in appetitu vehemens aliquis motus prosecutionis aut fugæ, cum aliqua corporis alteratione, & intellectus illi objecto delectabili considerando intentus voluntatem ad ejus amorem & consecutionem rapit, quæ timens alijs ab intellectu propositis rationibus se à re tam chara, amataque divulsum iri, eumdem alia objecta severiora & rationes sensui, ac delectationi contrarias intueri prohibet, totumque in id, quod semel placuit, defigit, nunquam ergo voluntas peccat, quin aliqua præcedat in intellectu inconsideratio plurium rationum & motivorum, quæ possint voluntatem ab eo affectu continere, in quo peccat, unde illud axioma: *Omnis peccans est ignorans*, quod ex Aristotele desumptum est *l. 3. c. 1. 3. & 5. Eth*, & *l. 6. c. 12. & 13.* Vide S. Thom. *1. 2. q. 78. a. 1. ad 1.* & q.

& q.22. de verit. a.11. ad 5. & *a. 12.* & eleganter *q. 1. de malo. a. 3.* & *1. p. q. 63. a. 1. ad 4.*

Objicitur 5. Si datur aliqua potentia libera, ergo etiam datur actus liber: sed nullus datur in voluntate actus liber, vel enim v.g. amor tunc est liber, quando est, vel quando nondum est? non hoc, quia quod non est, non potest esse liberum: non etiam quando est, quia quod est necessariò est, alioquin esset, & non esset, quod est impossibile.

Resp. Actum amoris tunc esse liberum, quando est, quia potuit non esse, h.e. quia natus est ex potentia libera, quæ poterat operari & non operari; per hunc ergo intrinsecum ordinem ad potentiam indifferentem constituitur liber; quamvis enim non possit idem amor in *sensu composito* esse, & non esse, potuit tamen in *sensu diviso* positis omnibus ad operandum requisitis esse, vel non esse, & hoc sufficit ad actum liberum, ut opponitur necessario, actus enim necessarius v.g. lux solis positis omnibus ad lucendum necessarijs non potuit non esse.

XI. *Quaritur 7.* Unde, & ex quibus radicibus oriatur libertas?

Resp. Prima libertatis creatæ radix est *efficacia summa Divinæ voluntatis*, cujus causalitas se extendit ad omne ens, & ad omnes modos, ac formalitates entis. Vide S. Thom. eleganter *1. p. q. 19. a. 8.* & *q. 22. a. 4.* & *1. 2. q. 10. a. 4. ad 1.* & *3. contra Gent. c. 94.* & *q. 23. de verit. a. 5.* & *6. Metaph. Lect. 2.* cùm enim libertas sit perfectio creata, reduci debet in causalitatem entis increati, sicut Conclusio reducitur in Præmissa, rivi in suum fontem, & omnes motus cœlestes in motum primi mobilis; & in hoc differt efficacia Divinæ voluntatis ab efficacia & activitate aliarum causarum; cùm enim Deus agat per intellectum & voluntatem, quæ sunt potentiæ universalissimæ (versantur enim circa verum & bonum, quæ transcendunt omne ens) potest causare effectum secundùm omnem rationem, quam intelligit & vult, & consequenter liberè; non ergo tantùm facit, ut homo efficaciter velit, sed etiam ut liberè velit.

Altera libertatis humanæ radix est *indifferentia judicij objectiva*, quando enim objectum ab intellectu repræsentatur ut amabile, & non

non amabile, vel etiam odibile, voluntas redditur indifferens ut amet, vel non amet (quæ est libertas *contradictionis*) ut amet vel odio habeat (quæ est libertas *specificationis*) sicut si exire conanti duas januas aperias, redditur is indifferens ut vel hâc vel illâ pro lubitu exeat. Vide S. Thom. *1. p. q. 83. a. 1.* & *q. 24. de verit. a. 2.* & *1. 2. q. 17. a. 6.* & *q. 10. a. 2.* & eleganter Hilden in 2. principio Thom. *à n. 5.* Imò plerique Thomistæ docent, stante judicio rationis indifferente, quo v. g. status sæcularis noxius & utilis judicatur, ne divinitus quidem fieri posse, ut hunc statum necessariò amplectaris. Sed hoc non probant, & intellectu est difficile, imò repugnare videtur S. Doctori *in 2. ad Hannibald. d. 24. q. un. a. 2.* ubi: *Libertas humana provenit cum ex ratione, quæ ad opposita vim habet, tum ex voluntate, quæ non est determinata ad unum, & pro tanto dicitur esse liberi arbitrij.* Vult ergo S. Doctor, ad libertatem actûs duo esse necessaria, indifferentiam objecti, & indifferentiam voluntatis & potentiæ, nec primam sufficere: sufficeret autem, si eâ positâ necessariò & indispensabiliter altera inferretur; & *ratio* est: tria necessariò concurrunt ad actum liberum, objectum indifferens, potentia indifferens, & concursus Dei indifferens, h. e. ad actus oppositos: sed potest Deus velle concurrere ad actum amoris, & non ad actum odij (quis enim hoc Deo prohibeat, & cur non possit de suis facere, quod lubet?) ergo in hoc casu deest aliquid necessarium ad actum liberum, & indifferentem, concursus vid. Dei, qui multò magis necessarius est, quàm ipsa potentia creata; si ergo non potest esse actus liber deficiente potentiâ indifferente, multò minùs potest esse actus liber deficiente concursu Dei indifferente. *Rursus* stante judicio indifferente de eligendo, vel non eligendo statu sæculari voluntas habet potentiam tantùm finitam suspendendi electionem, ergo hæc potentia poterit vinci à potentia prædominante & infinita, sic enim lumen gloriæ, & objectum beatificum necessitant voluntatem Beati ad amandum: *nec obstat* objecti indifferentia, quæ, ut dixi, non sufficit ad libertatem; nec adimit vires agenti infinito, quibus impediat, ne voluntas suspendat amorem; sicut vehemens impulsus lapidi impressus impedit ne quiescat: in hoc ergo casu voluntas amabit quidem bonum *indifferens*, sed non *indifferenter*, Deo potentiam determinante; sicut

intel-

intellectus lumine prophetiæ à Deo illustratus potest cognoscere *fallibilia*, sed *infallibiliter*, & de facto intellectus cognoscit objecta corporalia, cognitione tamen non corporali, sed spirituali.

XII. *Quæritur 8.* Quid sit libertas?

Resp. Bene definitur libertas in actu primo, ***Potentia voluntati identificata, qua positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere.*** Hæc definitio apud Theologos receptissima est. Vide S. Thom. *in 1. d. 30. & 38.* & *in 2. d. 21.*

Dicitur 1. Potentia, nec enim est habitus; habitus enim naturalis & acquisitus non dat simpliciter posse, sed tantùm faciliùs operari, ergo ante omnem habitum possum agere, & non agere, ergo ante omnem habitum sum liber, *tum* quia libertas amandi v. g. est indifferens ad amorem, & non amorem, sed nullus habitus potest ita indifferens esse, habitus enim amoris acquiritur per actum amoris; sed actus amoris non est indifferens, ut sit amor, & non sit amor; sicut calor non est indifferens ut sit calor, & non sit calor, nec reddit subjectum indifferens ad calefaciendum, & non calefaciendum; cùm ergo actus liber non faciat potentiam liberam, & indifferentem, sed eam supponat, non potest esse caussa facultatis liberæ, ergo hæc non est habitus, quia habitus caussatur ab actu, & istius naturam imitatur: *tum* quia libertas si est habitus, caussatur ab actu libero vel necessario? non ab actu necessario, quia actus necessarius caussat tantùm habitum sibi similem & necessarium, sicut actus cantandi generat tantùm habitum cantandi, & non sanandi: non etiam caussatur ab actu libero, quia hic supponit potentiam liberam, ideo enim est liber, quia est à potentia indifferente: *tum denique* quia libertas est facultas aliquid eligendi, amandi, vel odiendi &c. qui sunt actus voluntatis, hæc verò est potentia: sicut enim sine omni habitu potest visus in colorem album, aut nigrum ferri si proponantur, quia sunt ejus objecta, ita & voluntas potest amare, si objectum amabile proponatur, aut odisse, si objectum malum: aut odisse, vel amare, si objectum rationes odij, aut amoris complectatur, hæc enim omnia sunt intra sphæram, & objecta voluntatis.

Dicitur 2. Identificata voluntati, ut docet S. Thomas *1. p. q. 83. a. 3.* & *1. 2. q. 13. a. 1. & 6.* & *ratio* est *cum* ex dictis, *tum* quia intellectus

non

non est liber quoad *specificationem*, hoc est, non potest pro lubitu assentire objecto vel dissentire; vel enim objectum evidenter proponitur, & non potest dissentire, vel omnino non proponitur, & non potest consentire; sicut nec oculus potest videre nullo proposito objecto; vel objectum obscurè proponitur, hoc est, sub rationibus tantùm probabilibus, & tunc poterit quidem dissentire, vel assentire, sed non vi propriâ & titulo dominij, aut potestatis super actus proprios, sed quia objectum non satis illi applicatur: *Secùs* in voluntate, quæ objecto etiam clarissimè proposito potest velle aut nolle, ut patet in Deo. *Tum denique* quia indifferentia & libertas potentiæ cognoscitivæ nascitur ex indifferentia objecti: sed objectum voluntatis potest esse sub diversis rationibus malum & bonum, ergo potest amari, & non amari: objectum verò intellectûs est solum verum, aut falsum, quorum utrumque consistit in indivisibili, nec potest simul idem esse verum & falsum: & si plures rationes pro una propositione, quàm pro altera intellectui proponantur, non potest intellectus non judicare illam propositionem esse probabiliorem: *Secùs* voluntas, quæ ex multorum sententia potest amare minus bonum, saltem divertendo intellectum à consideratione majoris boni. Eodem modo intellectus non est liber quoad *exercitium*, proposito enim clarè objecto non potest illi non assentiri, nisi à voluntate divertatur: sicut nec oculus potest non videre colorem propositum, nisi imperante & divertente voluntate.

Dicitur 3. Positis omnibus requisitis ad agendum; si enim desit aliquid requisitum, & necessarium ad ipsam actionem producendam, causa necessariò non aget, habebitque potentiam tantùm ad non agendum, quæ potiùs est impotentia: nec distinguetur causa libera à causa necessaria, nam etiam ista, si omnia requisita adsint, potest agere, & si aliquid requisitum non adsit, potest non agere; si enim igni vel potentia, vel alius concursus, vel debita approximatio, vel capax subjectum in quod agat desit, vel si adsit fortior causa impediens & resistens, potest non calefacere; ut ergo causa libera distinguatur à causis necessarijs, oportet ut positis omnibus requisitis possit non agere.

Dicitur 4. Potest operari, & non operari; libertas enim consistit

in agere, & non in pati: *tùm* quia id expreſsè definit Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 4.* *tum* quia liberum eſſe eſt poſſe velle, & non velle, ſed hoc eſt agere. *Tum* quia vel poſsum reſiſtere huic paſſioni ab agente extrinſeco illatæ, vel non poſſum? ſi non poſſum? ergo paſſio eſt neceſſaria, nec in mea, ſed in alterius tantùm poteſtate: ſi poſſum? aut hoc fiet reagendo, & jam libertas non conſiſtit in mera paſſione: aut fiet per aliquam qualitatem, aut entitatem meam immediatam & naturalem, ſicut adamas reſiſtit malleo percutienti, & tunc hæc reſiſtentia erit naturalis, & neceſſaria, quæ enim à natura inſunt, neceſſaria ſunt: aut *denique* ea reſiſtentia fiet per qualitatem aut inſtrumenta aliqua imperio voluntatis ſubjecta, qualia ſunt appetitus & membra corporis humani, & jam libertas non erit mera paſſio, ſed ſupponet imperium, & conſequenter actum voluntatis.

Hactenus de cauſa efficiente creata: Dicendum quidem aliquid eſſet de cauſalitate efficientis, hoc eſt, de actione, & de cauſis inſtrumentalibus, ac potentia obedientiali, ſed de actione jam alibi, & de inſtrumentis latè dixi in Theſibus impreſſis de Sacramentis, quæ videri poſſunt.

XIII. *Quæritur 9.* Utrum finis ſit vera cauſa realis?

Status quæſtionis eſt; Cùm quis v. g. ſanitatis acquirendæ causâ ambulat, aut medicinas appetit, ſumitque, movetur à fine, h. e. ſanitate, quæritur ergò, utrum hic finis ſit vera cauſa realis? &

Reſp. Affirmativè. *Ratio eſt*, quia experior bonitatem ſanitatis movere voluntatem, eamque efficaciter allicere & impellere, & quidem ad actiones difficiles, & alioqui nunquam à me faciendas, quæ motio eſt aliquid in rerum natura, & origo multarum operationum, & conſequenter reduci ad aliquam cauſalitatem debet, eſt etiam principium & primum in intentione, quid ergo fini deeſt, ut ſit vera & realis cauſa? & quidem ſi ſit finis *Cui*, exiſtit; operor enim in mei commodum, utilitatem, delectationem, & quietem. Idem dicendum ſi finis ſit *objectivus*, ut cùm operor propter Deum videndum, exiſtit enim hoc objectum. Si verò finis ſit *formalis*, hoc eſt, conſecutio finis intenti, is quoq; non cauſat delectationem, fruitionem, gaudium & quietem, niſi exiſtat,

existat, fruimur enim, delectamur, & acquiescimus præsentibus, nec gaudemus, nisi fine jam obtento. Finis verò *cujus gratiâ*, hoc est, propter quem acquirendum, & producendum aliquid operamur, v.g. sanitas, non existit quidem *realiter*, existit tamen *intentionaliter* & in cognitione ac per modum objecti, & hoc sufficit ad causam finalem, hujus enim virtus causativa est bonitas, bonitas verò non movet voluntatem nisi ut cognita, & per sympathiam ac consonantiam, & ideo omnis alia existentia realis est impertinens, & per accidens respectu voluntatis, quæ non movetur ab objecto ut est, sed ut cognoscitur.

Sed *adverte*, cùm apprehensio & cognitio sanitatis ut finis me ad operandum movet, *duo* hîc esse distinguenda; *Primum* est ipsa cognitio seu apprehensio: *Secundum* est ipsa bonitas sanitatis, quæ duo utique distincta sunt; cognitio enim est præsens, sanitas verò non est præsens, sed possibilis tantùm & futura, aut saltem repræsentatur ad modum, & similitudinem rei possibilis & futuræ. *Rursus* ipsa cognitio non est illa quæ movet & exercet causalitatem finis (nec enim sumo medicinas cognoscendæ sanitatis causâ) sed tantùm applicat bonitatem, redditque illam *intentionaliter* existentem: sicut qui ignem applicat paleæ, non est causa combustionis, sed tantùm applicat causam: & speculum repræsentans pulchram faciem non est causa amoris, sed applicat causam & escam amoris. Ipsa verò bonitas cognita & apprehensa est vera causa finalis, ipsa movet, influitque: & quidem variatâ cognitione variantur effectus, & causalitas finis (si enim bonum apprehendas ut consequendum & absens, oritur desiderium, si ut præsens, oritur gaudium) non quòd cognitio sit ratio & virtus causandi, sed quia alias & alias rationes boni applicat, applicat enim præsentiam & existentiam realem seu unionem boni, ex qua *gaudium*, aut possibilitatem & consequibilitatem boni, ex qua *spes*; aut convenientiam boni ut sic, abstrahendo ab ejus præsentiâ & absentia, ex qua *amor*: sicut siquis ignem paleæ longissimè applicet, illuminabitur tantùm, si viciniùs, calefiet, si proximè, incendetur, nec tamen applicans est vera & physica causa illuminationis, caloris, incendij, sed solus ignis. Est tamen aliqua *disparitas*, ignis enim apparens tantùm non calefacit, sed bonitas apparens tan-

tùm amorem excitat, quia voluntas est causa universalissima, & movetur ab omni quod est ens, sed etiam similitudo boni est ens: sicut intellectus ob eamdem universalitatem non tantùm cognoscit & assentitur vero, sed etiam probabili & verosimili, quia etiam probabilitas & verisimilitudo est ens, & aliquod verum.

XIV. *Quæritur 10.* Quæ sit causalitas finis?

Resp. Circa causalitatem finis varias esse sententias: probabilissima videtur, quæ docet causalitatem finis metaphoricam, esse primum amorem finis, non quidem ut *effectivè* est à voluntate (sic enim est effectus voluntatis) sed ut est *passivè* à bono appetibili, ab eoque dependet, causalitas enim est primus partus & effectus causæ *ut quo*, & mediante illâ omnes effectus à causa pendent: sic amor est prima motio, & influxus boni, & mediante amore omnes alij actus tam eliciti, quàm imperati à voluntate procedunt: & sicut eadem unio diversis respectibus est causalitas materiæ & formæ, & eadem actio est causalitas causæ primæ & secundæ, ita idem amor ut est pondus quoddam & inclinatio in bonum, ab eoque dependet ut à centro, & termino quietis, & non tantùm ut à forma extrinseca actum specificante, sic est causalitas finis: ut verò activè à voluntate procedit, sic est effectus voluntatis.

Reliqui verò actus tam interni, quàm externi voluntatis sunt veri effectus finis, de quib⁹ latè Suarez *Metaph. d. 23. Sect. 3.* & Cursus Sangall. Theol. *de actib. hum.* Imò etiam ipse amor finis est verè propter finem, & effectus finis, sed tantùm *ut quo*, sicut & causalitas agentis seu actio. Vide S. Thom. *1. 2. q. 1. a. 1.* & Suar. cit. *n. 9.* Plura circa finem dicenda superessent, sed illa omnia in Cursu Sangall. cit. de actibus humanis traduntur, ubi etiam videri possunt. Jam de causis *per accidens.*

XV. *Quæritur 11.* Quid sit *Casus, fortuna, & fatum?*

Resp. 1. *Casus* propriè significat effectum, qui præter intentionem accidit, sed ex communi jam usu accipitur pro causa hujusmodi effectûs. Dicitur ergo effectus casualis is, qui per accidens & præter intentionem ac opinionem operantis conjungitur effectui *per se* alicujus causæ, ut si fodiens terram inveniat thesaurum; nec enim fossio, nec fodiens ex sua natura ordinantur ad inven-

inventionem thesauri; & ideo quæ *casu* fiunt, rarò fiunt, quia cùm causæ eventûs casualis nullam penitus inter se dicant connexionem, aut proportionem, rarò conjunguntur: sunt tamen effectus rarò contingentes, nec tamen casuales, quia habent causam *per se* & ratam, eodemque semper modo operantem, ut eclypses.

Notandum tamen, Respectu Dei nihil casu fieri, ut eleganter S. Aug. *l. 4. de Civ. c. 18.* Lactant. *l. 3. c. 28. & 29.* S. Thom. *1. p. q. 116. a. 1.* & *l. 3. contra Gent. c. 74.* docent, & *ratio* est, *tum* quia omnes creati effectus essentialiter dependent à Deo ut causa prima, sicut omnes numeri ab unitate: sed quod dependet essentialiter, non pendet *per accidens*, & consequenter non est *casus*: *tum* quia *casus* est præter intentionem, & opinionem agentis: at nihil fit præter scientiam & intentionem Dei, qui omnia præscit, & providet: *tum* quia ne peccatum quidem respectu Dei est *casuale*, cùm ab illo præsciatur, & ordinetur in bonum; sicut venena à Medico ordinantur in medicinam, & umbræ à Mathematico ordinantur ad manifestationem motûs solaris. Et ideo Aristoteles *l. 2. magnor. moral. c. 8.* dicit, *illic minus esse fortuna, ubi plus est intelligentia.* Plura dedimus, ubi ostensum est, naturam *casu* non operari. Dari verò effectus casuales respectu nostri, experientia satis docet, & videri potest Aristoteles *l. 2. Phys. c. 5.* imò etiam respectu orbium cœlestium. S. Thomas *3. contra Gent. c. 86.* Vide etiam *1. p. q. 16. a. 1.*

Resp. 2. *Fortuna* idem est, quod *casus*, cum respectu tamen ad causam intelligentem, hominis enim est *fortuna*, bruti verò & aliorum rationis expertium *casus.* Ethnici cùm multos effectus, rerumque humanarum vicissitudines spectarent, quorum causam ignorabant, numen aliquod, Deamque illis præsidere credebant, quæ cæco impetu, nullaque ratione, ac perenni vertigine omnia susque deque volveret. Perinde ac siquis musicæ artis ignarus cæcâ & intempestâ nocte jam has jam illas fides personare audiret, jam longis jam brevibus intervallis, jam hilari jam tristi, & nunquam eodem; sed semper variante sonorum lusu, nec tamen citharœdum videret, non artificem aliquem, sed insani ac phrenetici manum auctorem crederet. Vide eleganter S. Augustinum *in Psalm. 148*, & Plin. *l. 2. c. 7.* & Senec. *ep. 74.*

Resp. 3. *Fatum* apud Ethnicos significabat absolutam & inevitabilem omnium rerum etiam humanarum necessitatem, vel à stellis, vel à divina voluntate provenientem. Apud Christianos nihil aliud est, quàm ordo & connexio causarum secundarum, divinam providentiam exequentium, quæ non infert libertati necessitatem, cùm potiùs liberis causis, & ipsâ libertate utatur ad suos fines consequendos. Causarum ergo secundarum ordinatio ut in Deo est, vocatur *Providentia*, ut in ipsis causis ordinatis, *Fatum*. Sicut ergo ars nautica rebus inconstantibus, & mobilibus utitur, hoc est, ventis & undis, ut ad portum certum & immobilem perveniat, ita Deus causis secundis (quæ secluso ordine Divinæ Providentiæ mobiles & inconstantes, mereque contingentes sunt) utitur ad certos fines, certò & infallibiliter consequendos. Vide S. Thomam *opusc. 28.* quod est de *Fato.* & *1. p. q. 116.* & *Contra Gent. à c. 90.* & S. August. *lib. 5. de Civit. à c. 1.*

Fati naturam eleganter Seneca expressit *l. 3. natural. quæst. c. 35. Quemadmodum*, ait, *rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat; sic ordinem fati æterna series regit, cujus hæc prima lex est, Stare decreto.* Vide eumdem Senecam *l. 4. de Benefic. c. 7.* Hactenus de causis *per accidens*, nunc de monstris, nam & ista non habent causas *per se*, & sunt contra intentionem agentis.

XVI. *Quæritur 12.* Quid, & unde sint *monstra*?

Resp. 1. *Monstrum* (à monstrando dictum, quæ enim rara & insolita sunt, & monstrare, & videre maximè cupimus) definitur *Naturalis effectus à recta & solita secundùm speciem dispositione degenerans.* Ut ergo aliquid *monstrum* dicatur, requiritur 1. ut error aliquis & defectus contingat, quæ enim rectè, & sine defectu contingunt, non sunt *monstra* & peccata naturæ. 2. ut effectus sit rarus, & insolitus, quæ enim frequenter fiunt, quamvis cum defectu, non excitant admirationem, nec *monstra* sunt; & ideo nec Pygmæi, nec Sciopodes, qui pedibus tam latis sunt, ut totum corpus inumbrent, ad *monstra* spectant, in ijs vid. regionibus, ubi omnes ob cœli, solique constitutionem & parentum dispositionem ita nascuntur, de quibus Plin. *l. 7. c. 2.* Imò nec gigantes, quorum magnitudo non tam defectus, quàm perfectio est, modò justa sit omni-

omnium membrorum proportio. 3. ut defectus sit secundùm speciem, quælibet enim species suas habet leges, terminos, structuram ac partium lineamenta, à quibus si individuum aliquod exerret sive ex parte (ut cùm aliqui homines sine oculis, duobus capitibus, pluribus brachijs quàm duobus) sive ex toto, *monstrum est:* talpæ verò quibus oculi desunt, aves quibus aures, non sunt *monstra,* quia hæc membra illis speciebus non debentur.

Peccata, licèt sint defectus à recta ratione, non sunt propriè *monstra*, quia non sunt naturæ, sed voluntatis errores, nec raro contingunt. Agnus ex bove natus, quod paulò ante obsidionem Hierosolymitanam contigit, *monstrum* fuit, degeneravit enim à tota specie, species enim & generatio intendit similitudinem.

Resp. 2. Causæ *monstrorum* sunt variæ. *Prima.* Defectus seminum, & virtutis plasticæ, quæ semini inhæret, hæc enim est causa efficiens generationis. Sicut ergo ignis, si valde exiguus sit, non generat ignem, sed tantùm calefacit, aut siccat, aut illustrat; ita seminum virtus cùm hebes & fracta est, non perducit membra ad debitam, & naturalem perfectionem, sed infra illam sistit. Hinc homines caprinis pedibus, arietino capite &c. Raro tamen monstra circa cor & jecur partesque illis vicinas contingunt, naturâ & virtute plasticâ illic impensiùs laborante. *Secunda.* Vitium materiæ, & seminum, ex quibus corpora formantur; si enim materia nimis copiosa sit, membrorum quoque numerus major & supra naturam evadit: si materia parcior, non sufficit omnibus membris: si non debitè in materno utero locata, matre aut incurvâ, aut corpore depressâ, aut fascijs arctè devincta &c. fœtus quoque gibbosi, repandi, distorti &c. Maximè ex confusis diversæ speciei seminibus monstra proveniunt, ut in mari & in Africa, feris ad paucos amnes se aggregantibus. Vide Plin. *l. 9. c. 2.* Sic etiam si semina in matrice nimiùm comprimantur, fœtus bicorpores nascuntur, aut ad justam staturam non perveniunt, quod etiam in fructibus arborum videre est, cùm pyrum pyro, pomum pomo innascitur &c. *Tertia.* Primarum qualitatum asymetria; sic pueri cum barba aut canis nati, nimio vid. calore ac fuligine, aut è contrà prævalente humido. Vide Plin. *l. 7. c. 2.* *Quarta.* Cœli climata siderumque influxus, ac regionum situs. Narrat Stengelius

gelius *lib. de monstr. c. 5.* Halæ in Tyroli Juveni cuidam, excrescente lunâ, caput taurinum cornibus armatum prodire ex ventre solitum, quod deficiente lunâ paulatim quoque tegebatur: & Albertus M. notat, ea interdum dominari sidera, quæ hominum generationi serviunt, quo tempore genitæ brutæ animantes, ac etiam lapides formam humanam aliquatenus referunt, cœli aspectu hominem, quantùm fieri potest, affectante.

Referri huc etiam potest, quod Joannes Schenkius & Aubertus Miræus narrant, mulierem Senonensem sartori nuptam triennio gestâsse uterum, lecto affixam, ac varijs doloribus miserè vexatam, partui semper proximam, nec tamen partu levatam. Post triennium lecto surgere & prodire visa, sed semper prægnanti similis. Viginti annos vixit. Mortuæ corpus apertum, inventúsque in utero fœtus lineamentis quidem humanis planè absolutis, sed quæ in lapidem riguerant. Quæ causa huius *monstri?* an ex sententia Alberti, Cœli, siderúmque aspectus lapidum generationi amicus? an potiùs materia crassa, terrestris, viscosa, ac nimio temperamenti frigore densata?

Quinta. Vis Parentum imaginativa. Refert Avicenna *l. 1. hist. animal.* gallinam (quæ dum avis incubaret, milvi aspectu perterrita fuit) pullos exclusisse milvino capite. Stengelius testis est, virum nobilem, & militiâ clarum, sibique notum vultu tam eleganti ac amabili fuisse, ut omnes Angelum vocarent, nec aliam pulchritudinis tantæ causam, quàm quòd mater in hunc ipsum finem pulcherrimam Angeli imaginem pixide inclusam secum deferret & assiduè spectaret.

Sexta. Dei Providentia etiam monstra in certos fines destinantis, ut vid. aut peccata hominum puniat, aut iminentium calamitatum præmoneat &c. Sic qui equo S. Thomæ Cantuariensis ludibrij causâ caudam præciderant, filios genuêre caudis equinis, monstro in tota illa familia donec extincta est durante. Respectu tamen Dei nulla sunt monstra, illa enim intendit, ordinatque ad fines tùm *universalem*, perfectionem, vid. Mundi, quæ magis ex oppositis apparet, tum *particularem* justitiæ, misericordiæ &c. Vide S. Thom. *l. 3. contra Gent. c. 9. & 1. p. q. 103. a. 7. & de verit. q. 5. a. 5.* & S. Aug. *l. 83. qq. q. 24.*

Natu-

Natura verò licèt *primariò* non intendat *monstrum* (generatio enim tendit naturaliter in similitudinem speciei, non in defectum & dissimilitudinem) *secundariò* tamen, hoc est, omnibus circumstantijs, causisque tam impeditis, quàm impedientibus spectatis intendit *monstrum*, quis enim neget apprehensionem & imaginationem in gravidis naturaliter conferre ad fœtum deformandum? *si sorex*, inquit Lemnius de occulr. nat. mirac. l. 1. c. 4. *mustela, aut tale quidpiam inopinatò corpori insilijt, aut fraga, corna, cerasa, bacca, uvaq; acinus ulli parti inciderit, confestim notam imprimit, nisi fortè mulier ipso momento, quo hæc corpori ingruunt, subitò abstersò membro postica, aut remotiori partis corporis manum admoveat, tunc enim confestim avertitur malum, aut contactæ parti nota infigitur, totâ imaginatione ac facultate naturali eò conversâ.* Et hæc de causis secundis.

§. X.

De Motu, Infinito, Loco, & Tempore.

SUMMARIA.

1. *Motûs definitio, specificatio, & termini expenduntur.*
2. *Infinitum* Categorematicum *actu existens rejicitur.*
3. *Diluuntur potissimæ objectiones.*
4. *An & quid sit locus?*
5. *Cuivis Elementorum proprius & naturalis assignatur.*
6. *Excludit* naturaliter *duo corpora quanta.*
7. *Quæ tamen virtute* potentiæ obedientialis *Creatori debita recipit.*
8. *Repugnat idem corpus suâ quantitate extensum simul in pluribus locis poni* circumscriptivè:

9. *Sicut etiam implicat esse, & nullibi esse.*
10. *Vacuum physicè sumptum exploditur.*
11. *Non obstantibus quibusdam experientiis.*
12. *An, quid, & quotuplex sit tempus?*
13. *Differt ab æternitate.*
14. *Existit ratione instantis præsentis:*
15. *De tempore Astronomico solari, & ejus partibus anno, mense &c.*
16. *Varia de iisdem inquirendis praxes.*

I.

QUæritur 1. Quid sit *motus?*

Resp. Dari motum res est certa: Definitur autem motus ab Aristotele *actus entis in potentia quatenus in potentia.* Vide S. Thomam *1.p.q.9.a.1.* & *2. contra Gent. c. 17.* quando enim aliquid est in potentia tantùm, nondum movetur, sed potest moveri, v.g. qui potest ambulare, non ideo ambulat: cùm verò aliquid est in actu perfecto, non movetur, sed motum est; ut ergo moveatur, oportet partim in actu, partim in potentia esse. Albedo igitur v.g. in gradu remisso non est motus, quia quamvis sit actus, & relinquat subjectum in potentia ad gradum, & actum perfectiorem, non tamen essentialiter dicit potentiam ad ulteriorem illam perfectionem, & gradum ferri, & ita nón dicit potentiam ut potentiam, hoc est, nitentem in perfectiorem actum, & quasi in via ac fluxu. Quodsi actus sit omnino perfectus & in gradu perfecto, v. g. calor ut octo, cessat in subjecto potentia ad ulteriorem actum, & consequenter etiam motus & calefactio.

Ex quo sequitur, duplicem terminum in motu requiri, *à Quo, & ad Quem.* In homine forma embryonis, & in plantis forma seminis sunt quidem actus entis in potentia, *quatenus in potentia,* sed *remotâ* tantùm, non *proximâ*; potest enim ad formam seminis non sequi forma plantæ, quod sæpè fit: at verò ad motum v. g. calefactionis non potest non sequi forma caloris, quia motus est essentialiter via & fieri termini, forma verò seminis non est ipsum

ipsum fieri plantæ, sed principium, & causa ipsius fieri. Definitur verò ab Aristotele non quicunque motus, sed tantùm *naturalis*, hoc est, dependens à materia sensibili; & quidem etiam mutationes instantaneæ tam positivæ, ut generatio, quàm privativæ, ut corruptio, in omnibus enim istis posuit exempla motûs Aristoteles *l. 3. Physic.* ubi S. Thom. *lect. 3.* & *ratio est*, quia etiam in mutationibus instantaneis, v. g. generatione, fit transitus de *non esse* ad *esse*, ergo datur potentia, actus, terminus *à quo* & ad *quem*, & transitus de uno ad alium: *nec obstat* hæc fieri unico instanti, nam pluralitas instantium, & successio temporis non ponuntur in definitione motûs. Creatio tamen non est motus. S. Thom. *1. p. q. 45. a. 2. ad 2. & 4.* quia non est actus entis in potentia, sed actus non entis; procedit enim ex nihilo. Sic etiam intellectiones, volitiones, sensationes non sunt veri motus, quia non sunt actus entis in potentia *ut in potentia*, sed ut *in actu*; intellectio enim supponit intellectum jam esse in actu per species objecti, & ita jam habere formam, ad quam tendit. Vide S. Thom. *3. de anima. text. 22.* & *1. p. q. 18. a. 1.* Non videtur tamen motus distingui *realiter* à suo termino, sed idem calor ut est actus imperfectus relinquens potentiam adhuc magis perfectibilem, & actualiter recipientem plures, & plures gradus caloris, dicitur motus: quamvis enim calor sit qualitas permanens, ut tamen per alios gradus semper magis, & magis in subjecto perficitur, dicitur motus, estque ens successivum, & subjectatur in mobili, cùm sit actus mobilis; sic motus localis non est in loco, hic enim non movetur, sed in corpore, quod movetur: & calefactio est in aqua, non in igne calefaciente, quia motus est actus mobilis; actus verò est in subjecto cujus est actus, & quod denominat: sicut albedo quia est actus albi, est in albo, non in eo, qui dealbat. Vide S. Thom. *l. 3. Ph. lect. 4.* Motûs *specificatio* sumitur à termino non *à quo*, hic enim per motum relinquitur, sed *ad quem formaliter* sumptum, hoc est, prout attingibilis per motum; & *ratio* est, quia, ut dixi, motus non distinguitur *realiter* à suo termino: & patet insuper ex dictis in Logica de distinctione & specificatione Potentiarum.

Unitas numerica motûs requirit continuitatem temporis, & unitatem mobilis; si enim motus interrumpatur, non est unus

numero, sed plures: si verò subjectum pereat, peribit unà ejus motus, accidens enim & formæ non inigrant de subjecto in subjectum; quando ergo canis vivus è turri cadit, & in aëre moritur, pergitque tamen cadere, non est unus, sed plures motus, licèt ob similitudinem unus videatur: sicut si duo ova simillima ostendas unum post aliud, videbitur unum esse, fallente oculum similitudine. In motu locali unius v.g. leucæ, aut sunt plures motus locales partiales, ex quibus unus totalis, & adæquatus conficitur, aut terminus adæquatus est unicus, à quo etiam motus denominatur unus. Quodsi iste motus quiete aliquâ interrumpatur, certum est non esse unum numero motum.

Motus strictè sumptus, prout distinguitur à mutatione, supponit terminos positivos, & contrarios, & ideo propriè ad substantiam non datur motus, quia generatio substantialis non dicit essentialiter terminum *à quo* positivum, sed tantùm privativum. Motus ergo strictè sumptus per se datur tantùm ad tria Prædicamenta, vid. *Ubi, Quantitatem* & *Qualitatem*.

De Actione & Passione in Logica dictum, jam ergo de *Infinito* dicendum est.

II. *Quæritur 2.* An & quale possit dari *Infinitum?*

Resp. Repugnat dari *Infinitum categorematicum* actu existens non solùm in *substantia*, sed etiam in *numero magnitudine*, & *intensione*. *Infinitum* dicitur, quod in suo genere, in quo infinitum est, caret omni termino, nec habet ullum finem: sic Deus in genere entis est infinitus, quia nullus gradus perfectionis est possibilis, qui non sit in Deo: homo in genere entis est finitus, quia multi gradus perfectionis sunt possibiles, qui tamen in homine non sunt. Quodsi in *Infinito* à parte rei nullus sit terminus, erit infinitum *actu* & *categorematicum*; si verò à parte rei aliquis sit terminus, sed à nobis assignari non possit; aut partes quidem sint finitæ, sed quibus semper plures & plures adjungi in futurum debeant, idque perpetuò, dicetur *Infinitum syncategorematicum*: sic Angeli & anima rationalis in æternum durabunt, & sine fine: sic numerus creaturarum possibilium est infinitus. Dari non posse substantiam creatam in genere substantiæ infinitam videtur evidens, deberet enim complecti omnes gradus sub-

ſubſtantiales, & conſequenter etiam omnipotentiam, omniſcientiam, rationem actûs puri &c. Concluſio igitur tantùm procedit de Infinito accidentali, &

Ratio eſt 1. Auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 7. a. 3. & 4.* & *Quodlib. 9. a. 1.* & Quodlib. *12. a. 2.* qui tamen opuſc. *27.* fatetur, hanc veritatem necdum eſſe ſatis demonſtratam.

2. Detur circulus infinitus, ergo habebit centrum, & circumferentiam (hæ ſunt enim partes circuli eſſentiales) ergo centrum à circumferentia infinitè diſtabit (quò enim circulus eſt minor, eò minùs centrum diſtat à circumferentia, quò verò major circulus, eò magis diſtat, ſi ergo circulus eſt infinitus, infinitè diſtabit) ergo lineæ à centro ad circumferentiam ductæ erunt infinitæ, & tamen non erunt infinitæ, habebunt enim terminos, circumferentiam vid. & centrum, ubi finiuntur: ſic etiam diſtantia inter duas illas lineas eſſet infinita, lineæ enim quò magis à centro producuntur, eò magis diſtant, ſi ergo à centro ad circumferentiam infinitè diſtantem ducantur, infinito ſpatio inter ſe diſtabunt, & tamen ea ipſa diſtantia erit finita, quia duabus lineis & terminis incluſa.

3. Dentur infiniti milites, utique erit hic numerus militum, ergo erit etiam unus miles (numerus enim ex unitatibus componitur) ſed unus eſt numerus finitus: atqui ex numero finito non poteſt fieri numerus infinitus; ſicut enim quod componitur ex partibus corporeis eſt corporeum, & quod ex partibus albis eſt album; ita quod componitur ex partibus finitis neceſſariò eſt finitum, habet enim omnes partes finitas, & nullam infinitam, vid. unitates.

Dices: Iſte numerus adhuc erit infinitus, quia componitur quidem ex unitatibus, ſed infinities ſumptis: ſicut ex meris unitatibus, quarum nulla eſt centum, reſultat numerus centenarius, ſic ex partibus finitis, quarum nullæ ſunt infinitæ, reſultat numerus infinitus. *Contra:* Finitum finito additum facit majus, & finitum finito ſubtractum facit minus; ſed finitum finito additum non poteſt facere infinitum, quia in infinito nullus eſt finis: at ubi omnes partes ſunt finitæ, eſt finis, quid enim aliud eſt finitum quàm habens finem.

4. Creet Deus infinitos homines, aut lapides, poſtea unum deſtruat, (qui enim creavit, poteſt deſtruere, cùm hoc ſit multò facilius; nec infinitum reddit incorruptibiles, alias creatis infinitis ampullis vitreis frangi nulla poſſet, quamvis malleo millies percuſſa; & creatis infinitis militibus nullus occidi poſſet, quamvis mille bombardis in ſingulos exploſis) quæro an tot futuri ſint quot antea? non tot quot antea, quia aliquid deeſt, quod antè non deerat; ergo pauciores erunt, quàm antea, & quidem unâ tantùm unitate; ergo ſi hæc addatur, ille numerus reddetur infinitus: atqui implicat numerum infinitum à finito unâ tantùm unitate diſtare, quod enim unicâ diſtat unitate, finitè diſtat, non infinitè (ſicut qui uno momento vivit, non vivit tempore infinito: & qui diſtat ab alio unico paſſu, non diſtat infinitè) ſed numerus infinitus non poteſt finitè diſtare ab alio numero, ſi enim finitè diſtat, ergo habet aliquem finem & ultimum terminum, ultra quem nihil, ergo non eſt numerus infinitus.

Dices: Si Deus creet infinitos homines & unum poſtea deſtruat, prior numerus adhuc erit infinitus, ſed minor tamen, quàm antea fuerat, cùm unus ille adhuc ſupererat, quia vid. unum infinitum poteſt eſſe majus altero. *Contra.* Infinitum eſt, quod omnia complectitur in ſuo genere (v. g. infinitus numerus, qui omnes numeros, infinita albedo, quæ omnes gradus albedinis) alioqui ſi aliquid ei deeſt, non eſt infinitum; ſicut ſi Deo aliqua perfectio deeſſet, non foret infinitè perfectus; & ſi aliquid neſciret, non eſſet infinitè ſapiens; & ſi aliquid non poſſet, non eſſet infinitè potens &c. *Deinde* cùm dicis infinitum illum numerum militum uno ſublato adhuc eſſe infinitum, quæro an *infinitè* diſtet ab illo uno, an verò *finitè?* non *infinitè*, quia implicat infinitè diſtare, & uno tantum diviſibili diſtare: eſſe infinitè majorem, & uno puncto eſſe majorem. Non etiam *finitè*, quia, ut dixi, numerus finitè diſtans habet finem, & habet exceſſum finibilem, ac pertranſibilem; ſicut enim diſtantia horaria poteſt ſpatio unius horæ pertranſiri, ita diſtantia finita poteſt tempore finito & menſurâ finitâ; quod autem tale eſt, non eſt infinitum. *Deinde* cùm ille numerus militum conſtet unitate, & conſequenter parte finitâ, non poteſt eſſe infinitus, ut ſuprà dictum.

5. Detur linea infinitè longa, occupabit utique locum infinitè longum, jam ita argumentor: Deus huic lineæ infinitæ quatuor palmos longitudinis adimat, in hac hypothesi minorem locum occupabit, quàm antè, ergo poterit assignari & dici: *Hæc linea non pertingit usque ad spatium A. ad quod antè pertingebat*; ergo hæc linea habet terminum suæ longitudinis designabilem *ultra quem non*, ergo non erit infinita, & tamen ex hypothesi erit infinita.

III. *Objicitur 1.* Dantur de facto infinitæ negationes, sunt enim infiniti homines possibiles, qui tamen non existunt, ergo dantur infinitæ negationes hominum.

Resp. Hæc propositio, *Infinita negationes existunt*, est falsa, quia negationibus non competit existere, sed non existere: nego etiam suppositum, esse vid. infinitas; ubi enim non est unitas, non etiam est multitudo; sed in negationibus propriè non est unitas, hæc enim est passio entis. *Deinde* negatur paritas; Implicantia enim dicit *esse & non esse*: sed ex meris negationibus non potest oriri implicantia, & *esse & non esse*, quia negatio non potest esse causa *esse* (nec enim homo mortuus generat hominem, & arbor, quæ non est, non producit pomum) Quod verò est, potest esse causa *non esse* (homo enim, qui est, potest corrumpere, & extinguere hominem, qui est) & ideo dato ente infinito potest implicantia ostendi.

Objicitur 2. Dantur actu & de facto creaturæ infinitæ possibiles, quas Deus omnes actu cognoscit.

Resp. Nos non de rebus in statu possibili, sed in statu existentiæ loqui, negamus enim posse infinitas creaturas existere: non verò negamus posse infinitas creaturas non existere, & intra sinum & massam possibilium contineri. Deus cognoscit infinitas creaturas possibiles, sed non posse omnes actu, & simul existere, multa enim implicant *simul* fieri, quæ non implicant *successivè*: implicat Petrum sedere *simul* & stare, sed non *successivè*. *Deinde* nego suppositum, dari vid. infinitas creaturas possibiles: potest quidem Deus infinitas creaturas producere, nec unquam ad finem pervenire, sed quamdiu creaturæ sunt intra statum possibilitatis, non faciunt numerum, aut multitudinem, multò minùs infinitatem, quia possibilitas creaturæ nihil aliud est, quàm ipsa divina

na eſſentia ut idea & origo omnis entis creati: ſicut arbor aut flos poſſibilis nullum aliud eſſe habet, quàm in ſua radice aut bulbo; & ideo non implicat infinitas creaturas eſſe poſſibiles ſecundùm eſſe, quod in Deo habent, tamquam in radice omnis poſſibilitatis, *tùm* quia in Deo habent unitatem eſſendi, ubi autem unitas, non eſt oppoſitio, & conſequenter nec contradictio & implicantia: *tum* quia implicantia dicit eſſe & non eſſe, in Deo autem, (ubi habent eſſe poſſibile) non reperitur non eſſe, ſed ſolum eſſe.

Objicitur 3. Poteſt Deus creaturam condere omnium perfectiſſimam, quàm poteſt, ſed illa erit infinitè perfecta, erit enim terminus infinitæ potentiæ. *Antecedens probatur*, quia iſta propoſitio: *Poteſt Deus producere quod poteſt*: eſt propoſitio identica & veriſſima.

Reſp. Antecedens à S. Thoma negatur *1. de pot. a. 2. ad 9.* & *q. 20. de verit. a. 4.* & *1. p. q. 25. a. 6.* & *2. contra Gent. c. 26.* & meritò; omnis enim creatura eſt imitatio divinæ pulchritudinis, & ideo quò perfectior creatura, eò perfectior imitatio Dei, & quò perfectior imitatio, eò perfectior acceſſus & vicinitas ad divinam pulchritudinem: ſed implicat aliquam creaturam ita divinæ perfectioni accedere, ut magis non poſſit, omnis enim creatura eſt ens finitum, ergo ab infinita perfectione infinitè diſtat: nullus autem acceſſus & progreſſus finitus poteſt metiri & tranſire ſpatium, & diſtantiam infinitam: ſicut ergo luminoſum *ut* duo non perfectè imitatur luminoſum *ut octo*, & ideo lux aëris non accedit ad lucem ſolis, nec eam perfectè imitatur, & majori illuminationi locum relinquit; ita quævis creatura quantumvis perfectiſſima non tantùm ſex gradibus, ſed infinitis diſtat à perfectione Creatoris, ergo illam perfectè non imitatur, ergo ſemper majori imitationi locum relinquit, ergo etiam perfectiori creaturæ. *Rurſus* in Deo ſunt infinitæ ideæ, & exemplaria perfectionum creatarum, ergo à nulla finita creatura poſſunt exhauriri: ſicut enim duæ guttæ non exhauriunt totam plenitudinem maris, quia nulla eſt proportio duarum guttarum ad totam maris plenitudinem; ita nulla creatura quantumvis perfectiſſima exhaurit plenitudinem divinæ omnipotentiæ, imitabilitatis, &

fœcun-

fœcunditatis, quia nulla eſt proportio creaturæ quantumvis perfectiſſimæ ad divinam omnipotentiam, multoque minor, quàm unius guttæ ad totum mare: quòd ergo Deus non poſſit creaturam producere adeò perfectam, ut perfectiorem non poſſit, non eſt impotentia in Deo, ſed limitatio in creaturis: ſicut quòd mare non poſſit in ampullam derivari, ita ut alias ampullas implere haud poſſit, non maris vitium, ſed ampullæ eſt, tantam plenitudinem non capientis. Cùm ergo dicitur, *Deus poteſt facere creaturam maximam, quàm poteſt*, nego ſuppoſitum, eſſe vid. poſſibilem creaturam maximam, hoc eſt, ultra quam nulla major. Nec verò pertinet ad divinam potentiam, ut poſſit impoſſibile, & chymæras, & quæ repugnant, qualis eſt creatura maxima, ultra quam nulla major. *Dices:* Ergo potentia Dei infinita caret termino & effectu ei correſpondente, ac proportionato. *Reſp.* Terminus infinitæ potentiæ eſt carere omni termino, hoc enim eſt infinitum eſſe: poteſt ergo producere effectus infinitos *ſyncategorematicè*, hoc eſt, *ſucceſſivè*, producere autem infinitos *ſimul* eſt impoſſibile, & implicans, ſed impoſſibile & implicans non eſt terminus & effectus potentiæ infinitæ. Cùm Deus aliquid creat, quod toties, & quotidie facit, poteſt effectus creatus dici infinitus & reſpondens infinitæ potentiæ, non quoad *intrinſecam* entitatem & perfectionem, ſed *quoad modum*; producere enim ex nihilo eſt opus infinitæ potentiæ. Idem dicas de effectibus ſupernaturalibus.

Objicitur 4. Unicus homo æquivalet infinitis brutis & entibus corporeis, ergo eſſentia hominis habet infinitatem aliquam perfectionis, quomodo enim aliàs infinitis æquivaleret? ſicut ſi moneta aurea æquivaleat infinitis nummis argenteis, erit infiniti valoris.

Reſp. Quomodo poteſt homo infinitis creaturis actu æquivalere, cùm infinitæ actu non dentur? Quod ſi de poſſibilibus loquaris, illæ non ſunt infinitæ, in ſeipſis enim nihil ſunt, ſed pura privatio (à privationibus autem, & negationibus ad ens poſitivum nulla eſt conſequentia, aliàs ſequeretur, ſicut negationes, ita & entia poſitiva eſſe æterna, increata &c.) in Deo autem habent unum eſſe, & modo ac numero finito participabile. Falſum eſt

quoque hominem perfectè omnibus brutis, floribus &c. æquivalere, caret enim odoratu canis, volatu aquilæ, incorruptibilitate cedri &c. imò ne duobus quidem æquivalet, cùm omnis homo careat individuatione alterius hominis. Cùm ergo & essentia hominis sit finita (clauditur enim & limitatur duobus terminis, materiâ vid. & formâ) & æquivalentia quoque sit finita, nihil habet homo, ut dici possit infinitus, sed tantùm altioris ordinis, ita ut si per impossibile darentur infinitæ species brutorum, nulla pertingeret ad perfectionem hominis; ex quo tamen non sequitur hominem esse infinitè perfectum, sed potiùs omnem creaturam irrationalem esse valde imperfectam, quia non potest ad perfectionem humanam pertingere: sicut non ideo linea palmaris est infinitè longa, quia si darentur mille & infiniti circuli, non adæquarent ejus longitudinem & rectitudinem, & aliàs sequeretur, quamlibet formicam aut vermiculum esse infinitæ perfectionis, quia etiamsi darentur infinita corpora inanimata, v. g. infinitæ gemmæ, nunquam adæquarent perfectionem animæ sensitivæ.

Objicitur 5. S. Thomas *3. p. q. 10. a. 3. ad 3.* expressè concedit, posse unum infinitum esse majus altero, ergo supponit posse infinitum dari.

Resp. S. Thomam loqui de infinito *syncategorematico,* ut patet ab exemplis, quæ adducit. Potest etiam admitti ex hypothesi, quòd detur infinitum; si enim daretur infinitus hominum numerus, adhuc major esset numerus digitorum: sicut ergo in hac argumentatione: *Si bos volat, habet alas,* non sequitur volare; ita &c. Cæterùm Argumenta, quæ adduximus, æquè probant Infinitum repugnare quoad multitudinem, quàm etiam quoad magnitudinem & intensionem, ut patet consideranti.

IV. *Quæritur 3.* Quid sit *locus?*

Resp. Dari locum, ad quem corpora moveantur, & in quo velut receptaculo quiescant, certum est. Accipimus autem locum non pro toto aliquo hypocausto, vel aula in qua versamur, sed præcisè pro illa parte aëris, quâ corpus ambitur, & sic ab Aristotele definitur: *superficies ultima corporis ambientis immobilis primò.* Vide S. Thom. *l. 3. Phys. lect. 6.* & *opusc. 52.* & hic dicitur locus *extrinsecus*; locus *intrinsecus* est ipsum *Ubi*, sive præsentia rei locatæ. Quid sit

Ubi

Ubi, dictum est in Logica. Quia ergo superficies ultima aëris totum corpus quoad longitudinem & latitudinem ambit, meritò loci nomen potiùs quàm scamnum aut equus accepit. Quodsi Deus aërem circa me destrueret, essem in loco non quidem *positivo*, sed *privativo & respectivo*, hoc est, in certa distantia à polis Mundi, aut spatij imaginarij. Est verò de natura loci, ut sit *immobilis*, per quod à vase, aut fluvio distinguitur: quamvis enim superficies aëris semper mutentur, & aliò ventis ferantur, distantia tamen à polis Mundi, aut spatij imaginarij eadem semper & invariabilis est sub quacunque aëris, aut aquæ superficie: superficies ergo est locus tantùm *materialiter* sumptus, distantia est locus *formaliter* sumptus, & ideo ignis semper sursum fertur, quamvis superficies aëris mutentur, & aliquæ deorsum ferantur. Et quamvis distantia, ut est relatio inhærens superficiebus aëris, etiam cum superficiebus transeat, non tamen situs & subordinatio ad eosdem polos Mundi, & centrum terræ; omnes enim superficies eidem primo locanti, ejusque punctis imobilibus respondent, & ab his denominatur unitas, & immobilitas loci.

Locus *naturalis* addit insuper virtutem conservativam & formativam locati: sicut enim influxus cœlestes, & elementares non sunt in omni loco æquales, ita etiam non possunt corpora in omnibus locis æqualiter conservari: Salamandra in igne vivit, paradisiaca in aëre, anates in aqua &c. Vide S. Thom. *opusc. 52.* & *4. Phys. lect. 8.*

Quæri solet, an *primum Mobile* sit in *loco?* Alij negant esse in loco Aristotelico, quia ab alio corpore non ambitur; alij concedunt esse in loco, quia semper eamdem distantiam ad centrum universi & spatia imaginaria servat, in qua distantia consistit locus *formaliter* sumptus, ut suprà diximus: alij esse in loco ratione suarum partium & superficierum, quarum una aliam continet: sed res est parvi momenti. Vide S. Thom. *opusc. de Nat. loci.* & *3. Phys. c. 5. lect. 7.*

V. *Quæritur 4.* Utrum omnia Elementa sint in proprio, & naturali *loco?*

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia locus naturalis elementi est, qui & privato elementorum bono, & bono totius universi con-

gruit, talis autem eſt locus, quem ſingula elementa obtinent. Cœlum ſupremo loco ſitum eſt, quia vid. eſt maximum, nobiliſſimum, & cauſa omnium generationum in ſublunaribus. Ignis proximus eſt cœlo, quia vid. leviſſimus, & ideo ſurſum ſemper fertur: ſequitur aër proximus igni levitate & ſitu, & ut poſſit pluvijs, ventis, nubibus, aquam terramque fovere, & alitibus ſervire. Aërem excipit aqua, quæ cùm ſit liquida, neceſſariò debuit à ſolido, hoc eſt, terra ſuſtentari, hæc verò cùm graviſſima ſit, infimo gaudet.

Hæc ipſa ſituatio ſervit elementis temperandis, & conſequenter in ſuo eſſe conſervandis, junguntur enim elementa non extrema, ſed media, & quæ unam qualitatem amicam, alteram verò hoſtilem habent: terra enim eſt ſicca & frigida: aqua frigida & humida: aër humidus & calidus: ignis calidus & ſiccus: hinc naſcitur elementorum inter ſe proportio, varietas, temperies, pugna, generatio, amicitia & conſervatio: hinc videmus aquas terrâ incluſas per bullas, fontes, fluviosque foràs, & ſuper terram velut locum naturalem erumpere: terram verò & lapides infra aquas velut locum naturalem impetu ferri: aërem terræ aut aquæ incluſum per terræmotus exitum quærere; & ignem denique ſurſum agi. Vide S. Thom. *1. p. q. 25. a. 6. ad 3.* & *in 1. d. 44. q. un. a. 2.*

Athanaſius Kircher. *l. 4. Mundi ſubterr. c. 2. ſect. 1.* negat dari elementum ignis ſupra aërem, & in concavo lunæ, quòd vid. nulla ejus lux, calor, aut alius effectus deprehendatur, & alioquin oporteret ſupremam aëris regionem, altiſſimosque montes eſſe calidiſſimos & nivium ferè expertes, cujus tamen contrarium experimur: *nec* quòd flamma ſurſum aſcendat, eſſe argumentum ignis ſupra nos exiſtentis, id enim provenit ex materia flammæ ſubtili, aërea, fumoſa, & rara, quæ ſurſum fertur non æqualiter, ſed pyramidaliter, levioribus ac magis aëreis particulis citiùs avolantibus; ſicut è contrario ob materiam denſam gravemque videmus carbones aut ferrum ignitum deorſum tendere: adducit etiam celebrem Ariſtotelis locum *1. Meteor. c. 4.* ubi expreſsè dicit, id quod vulgus ignem appellat ſupra aëris regionem, non eſſe ignem, ſed eſſe vaporem ſubtiliſſimi, calidiſſimi, & ſicciſſimi aëris, qui facilè accedente motu cœli & ſolis aërem vehementer rare-

facien-

facientis in ignem elementarem vertatur, & ideo non esse verum & actualem ignem, sed tantùm potentialem & ex hominum imaginatione.

Docet ergo idem Kircherus, elementum ignis esse non in aliqua propria sphæra (hujus enim nulla utilitas, aut mixtio, oporteret enim eum descendere ad sublunaria; nec ulla fit mentio in Sacra Scriptura, ubi rerum creatio describitur) sed ubique sparsum, præsertim verò in cryptis, & cavernis terræ, ab eoque derivari omnes calores, qui in spiritibus, exhalationibus, sulphuribus, mineralibus, thermis, radicibus, vulcanijs &c. observantur &c. Vide S. Thom. *in 1. Meteor. c. 4.*

VI. *Quæritur 5.* Utrum plura corpora possint simul in eodem loco *penetrativè* existere?

Resp. 1. Naturaliter non possunt duo corpora quanta esse in eodem loco, sed unum aliud expellet.

Ratio est 1. Ab experientia, videmus enim, ubi unum corpus est, non posse aliud esse: Vas aquâ plenum nullam ampliùs aquæ partem, ne guttam quidem capere: unam auri bracteolam quantumvis tenuissimam alteri additam in volumen crescere, quod non fieret, si una aliam penetraret. *2.* Sicut naturalis effectus ignis est, ut sit calidus & calefaciat, ita naturalis effectus quantitatis, ut unam partem extra aliam constituat, adeò ut se tantùm in physicis indivisibilibus contingant, non verò una pars aliam penetret, intretque, sic enim nulla daretur magnitudo: si ergo quantitas non admittit, ut partes etiam unius corporis se penetrent, quantò minùs ut duo integra ac distincta & extranea corpora? Non ergo in ferro ignito substantia aut quantitas ignis substantiam ferri penetrat, sed vel aliquas ferri partes vehementia caloris in ignem convertit, vel aliquæ partes ignis se poris insinuant &c.

VII. *Resp. 2.* Fieri *supernaturaliter* potest, ut duo corpora quanta occupent eumdem locum. Est SS. Patrum, & videatur S. Thomas *3. p. q. 54. a. 1.* & *super Boët. de Trinit. quæst. de plural. causar.* ubi SS. PP. dicunt, Christum natum esse clauso utero virginali, egressum de sepulchro inviolato & intacto, ingressum ad Discipulos janus clausis, quæ sine penetratione fieri non potuêre, &

 Ratio

Ratio est, *tum* quia nulla implicantia reddi potest, *tum* quia replere locum, ita ut pars locati sit in parte loci, & totum locatum in toto loco, item expellere aliud corpus loco, non est essentia quantitatis, sed tantùm effectus, qui potest à Deo impediri, & de facto impeditur in SS. Eucharistia: sicut enim duæ qualitates contrariæ in gradu intenso se *naturaliter* expellunt, & tamen *divinitùs* simul esse possunt, ita & duæ quantitates. Durandus qui contrarium docuit, nullum Argumentum habet solutione dignum.

VIII. *Quæritur 6.* Utrum idem corpus possit esse in pluribus locis?

Resp. 1. Certum est, idem corpus non posse *naturaliter* in pluribus locis existere, patet experientiâ: cujus *ratio* est limitatio *cùm* substantiæ, *tum* quantitatis; sicut enim potentia activa habet sphæram suæ activitatis, ita & suæ præsentiæ.

Resp. 2. Implicat etiam *supernaturaliter* unum idemque corpus suâ quantitate instructum poni in pluribus locis *circumscriptivè*, ita vid. ut pars corporis parti loci respondeat, & totum corpus toti loco. Posse corpus in duobus locis, imò plurimis poni, ita ut in uno sit *circumscriptivè*, in altero *definitivè* vel *quasi*, non est dubium, & patet in Sacratissima Eucharistia. Conclusio ergo procedit tantùm de corpore in duobus locis *circumscriptivè* posito.

Ratio Conclusionis est 1. Auctoritas S. Thomæ *in 4. d. 44. q. 2. a. 2. q. 3. ad 4.* & *Quodlib. 3. a. 2.* & *3. p. q. 75. a. 1.* & S. Aug. *l. 10. contra Faust. c. 11.*

2. Ponatur idem corpus in duobus locis, Augustæ v. g. & Monachij, tum sibi occurrant, utique se mutuò tangere possunt, sicut manus manui juncta (cùm enim utrumque tangat locum in quo est, cur non se mutuò? & si possunt poni in duobus locis adeò distantibus, cur non in locis immediatè contiguis, ut se non quidem penetrent, sic enim essent in uno, non duobus locis, sed tamen tangant?) & si tangunt, ergo jam sunt duæ quantitates & duæ superficies, una quæ tangit, altera quæ tangitur; ergo jam non est unum corpus, hoc est, una quantitas & una superficies, sed duæ. *Secùs* est in Sacramento Eucharistiæ, in quo si Christus ut in cœlo est, sibi in Sacramento occurrat, non se tangit, sed pene-

penetrat, quia in Sacramento existit modo indivisibili & per modum substantiæ: sic etiam si Deus uni corpori duplicem quantitatem inducat, cessabit repugnantia, & poterunt esse in duobus locis, ut docet S. Thomas *Quodlib. 3. a. 2.* Multæ aliæ repugnantiæ adduci solent, sed nulla convincit.

Objicitur 1. Potest anima *naturaliter* esse in pluribus partibus corporis, cur non in pluribus locis divisis & distantibus?

Resp. Si potest utrumque naturaliter fieri, cur non utrumque videmus & experimur? quia enim unum experimur, ideo fieri posse credendum est; ergo quia alterum nunquam experimur, meritò negamus. Quia ergo anima est forma corporis, & forma partium, ideo omnes partes informat, & ibi est, ubi sunt partes unitæ, ac dispositæ, non verò est forma loci, & ideo non est in loco, ubi non sunt partes, & corpus cujus est forma. *Deinde* anima non est in pluribus locis adæquatis, & ideo non replicatur, sed in uno totali & pluribus partialibus, quod *naturaliter* non repugnat: sicut enim non repugnat, solem agere intra totam sphæram suæ activitatis, ita nec animam esse intra totam sphæram suæ entitatis; nam nec potentia in agendo, nec forma in essendo ad indivisibile spatium limitantur: quando verò anima est in pluribus partibus corporis, ubicunque est, sua accidentia intrinseca secum defert, scientiam vid. intellectum &c. non tamen in omnibus partibus æqualiter agit defectu dispositionum. Sic cùm idem corpus in pluribus locis divinitus ponitur ut Christus in Eucharistia, omnia simul accidentia ponuntur, quæ corpori inhærent, & consequenter cum corpore replicantur: non tamen replicatur *ubi* locale, aut aliæ relationes à loco dependentes, v. g. distantia, vicinitas &c. quia ista non sunt accidentia *intrinseca & absoluta*, sed *relativa*, quæ essentialiter dependent & conservantur à certis conditionibus: licèt ergo Christus v. g. habeat corpus impassibile æquè in cœlo ac Eucharistia, in hac tamen magis à Sanctis distat, quàm in cœlis: & si Æthiops ponatur Augustæ & Monachij, utrobique erit niger, sed Augustæ magis Salisburgo, quàm Monachij distabit, quia distantia Augustâ Salisburgum dicit spatium 4. dierum, quod non reperitur in distantia Monachio Salisburgum.

Obji-

Objicitur 2. Si corpus poteſt replicari etiam *definitivè*, ergo poterit moveri motibus contrarijs; in Danubio enim v. g. navigans & in Rheno, Occidentem & Orientem verſus feretur: poterit etiam in ſe impingere & ſibi occurrere; ſi enim ſit Viennæ & Monachij, hîc ſtabit, & Viennâ diſcedens ad ſeipſum Monachium veniet: poterit unâ guttâ aquæ replicatâ totus Græcorum exercitus ad Troiam potari: poterit in uno loco mori, in altero vivere, ſi vid. in uno loco vulneretur, in alio non.

Reſp. Pleraque hæc abſurda in replicatione *circumſcriptiva* procedunt, non in *definitiva*; corpus enim *definitivè* in loco exiſtens per ſe nullius motûs, paſſionis, aut actionis capax eſt, niſi tantùm *per accidens*; ſicut Chriſtus movetur *per accidens* ad motum ſpecierum: *per accidens* autem poſſe aliquid duobus motibus contrarijs moveri, patet in motu cœlorum, & cùm quis in navi Orientem verſus ambulat navi ad Occidentem pergente. Sed demus corpus *definitivè* poſitum in uno loco calorem ſenſurum eſſe, non in alio; in uno aſcenſurum, in alio deſcenſurum, numquid in anima idem videmus? in uno brachio ſurſum, in alio deorſum movetur: uno loco dolet, alio non dolet: in uno agit, in alio non agit; cur ergo quod poteſt anima *naturaliter* in pluribus partibus & locis, non poſſit *ſupernaturaliter* in pluribus locis? Idem apparet in una eadémque facie, quæ in quamplurimis ſpeculis replicatur, & quæ in uno ſpeculo eſt, ad motum ſpeculi movebitur, quamvis in ſe non moveatur: *Dices*: Illa vultuum replicatio & multiplicatio eſt tantùm *intentionalis*, & per ſpecies, nos autem loquimur de multiplicatione *reali*. *Contrà*. Si poteſt natura idem corpus *intentionaliter* multiplicare, quare non poſſit Deus multiplicare *realiter*? ſicut enim multiplicatio realis eſt major *intentionali*, ita potentia Dei eſt multò major quàm potentia naturæ: & ſicut facies in uno ſpeculo magna, in alio poteſt eſſe parva, in uno immota, in altero mobilis; ita in uno loco poteſt eſſe extenſa, in altero inextenſa; in uno moveri, in altero non moveri &c. & *ratio* eſt, quia tale corpus replicatum eſt *virtualiter* duplex. Accidentia tamen intrinſeca & abſoluta corpori in omnibus locis æquè convenient, ſi enim in uno loco eſt albus, erit etiam in alio: ſi in uno calet, etiam in

alio,

alio, nisi fortè qui Romæ v. g. calet, alibi in nivibus volutetur, quæ calorem vincant: hoc patet exemplo speculi, accidentia enim intrinseca, quæ vultui insunt, æquè in omnibus speculis apparebunt; Æthiops enim in omnibus speculis niger, & crispis crinibus apparebit: non tamen cum omnibus accidentibus extrinsecis, quæ à speculo pendent; in alio enim, ut dixi, speculo parvus apparebit, in alio magnus, in alio gibbosus pro qualitate vitri. *Ratio* est, quia sicut multiplicatio speculi non multiplicat faciem, sed tantùm ejus præsentiam *intentionalem*, ita nec multiplicatio loci multiplicat corpus locatum, sed tantùm ejus præsentiam localem; ergo non multiplicat nec variat ejus accidentia intrinseca, & ideo siquis Romæ & Parisijs existat, & Romæ occidatur, æquè Romæ & Parisijs mortuus erit, quia separatio animæ à corpore est accidens intrinsecum & intrinsecè hominem afficiens, hæc enim separatio recipitur in homine, non in loco, ergo ubicunque est homo, erit hæc separatio: sicut quia vita recipitur in anima, ubicunque & in quocunque membro est anima, est etiam vita, licèt in omnibus membris non vivificet defectu dispositionum: & sicut si vultus intrinsecè mutetur, non in uno tantùm speculo, sed in omnibus mutabitur. Aliud est de accidentibus à loco dependentibus, ut distare aut non distare, sedere aut non sedere &c. Sicut accidentia, quæ à speculo dependent, possunt faciem in uno speculo mutare, & non in alio, & ita si unum speculum sit concavum aliud convexum, facies in uno inversa, in altero recta apparebit. Potest autem hæc replicatio corporum duobus modis fieri: *Vel* ut res in loco existens in alio reproducatur, *vel* ut novum tantùm locum acquirat. Neuter modus videtur implicare: de *secundo* jam dictum, de *primo* probatur; non enim implicat rem semel productam iterum produci (res enim producta in instanti *A.* conservatur in instanti *B.* sed conservatio est productio rei, est enim influxus Dei non tantùm removens contraria, sed dans esse rei, ut supradictum: sicut enim cùm lux in aëre conservatur, hæc conservatio supponit continuum influxum solis, & consequenter continuam productionem lucis, & ideo sole, ac influxu recedente etiam lux in aëre extinguitur, ita &c.) nec etiam rem in uno loco productam in alio

reproduci, nulla enim ex multiplicatione loci poteſt oſtendi repugnantia, ut hactenus oſtenſum: & æquum eſt, ſicut omnia Dei attributa, ita etiam immenſitatem à creaturis participari imperfectè, & aliquatenus poſſe. Vide Suar. *3. p. Tom. 3. in 3. p. d. 50.* ubi ex ſententia Patrum oſtendit, Chriſtum eſſe in Euchariſtia per reproductionem naturæ, ex qua ſententia ſequitur corpus replicatum eſſe *virtualiter* duplex, & ideo poſſe in duobus locis eſſe, duobus & contrarijs motibus cieri &c. ſicut enim quod *virtualiter* eſt calidum, poteſt actu calefacere: ita corpus, quod *virtualiter* eſt duplex, poteſt actu in duplici loco eſſe.

IX. *Quæritur 7.* Utrum aliquid poſſit eſſe, & nullibi eſſe?

Reſp. Negativè. P. Vaſquez. *1. p. d. 188.* docuit, poſſe aliquid eſſe, & nullibi eſſe, quem aliqui ex RR. ſecuti ſunt.

Sed *Ratio* noſtræ concluſionis eſt *1.* Tam eſt imperceptibile aliquid eſſe, & nullibi eſſe (ne quidem in ſpatijs imaginarijs) quàm aliquid eſſe & non eſſe, aut nunquam eſſe: ſed hoc eſſe non poteſt, ergo neque illud. Planè de Philoſophia malè merentur, qui principia ſenſui & experientiæ tam *naturali* quàm *ſupernaturali* nota in dubium vocant, hoc enim eſt tollere omnia principia ſciendi, & demonſtrandi; quis enim eâdem facilitate hæc principia non neget: *Non poteſt idem eſſe, & non eſſe: Omne totum eſt majus ſuâ parte &c.* quàm iſta: *Nequit aliquid eſſe, & nullibi, aut nunquam eſſe? Nec obſtat,* hoc ab aliquibus negari, nam & illa à multò pluribus negata ſunt. Etiam Zeno negavit motum dari, & Epicurus Deum, an ideo dubitari de iſtis poteſt?

2. Deus eſt ubique, ergo eſt in omni loco, ergo eſt alicubi: ſed omnis creatura eſt præſens Deo, ergo eſt ubi eſt Deus (hoc enim eſt eſſe præſens) ergo eſt in aliquo loco; ſit enim Deus in loco *A.* erit illa creatura Deo præſens in loco *A.* vel ergo erit præſens etiam loco *A.* vel non erit præſens? ſi erit præſens loco *A*? ergo erit in loco *A.* (nihil enim aliud eſt in loco eſſe, quàm præſentem loco eſſe) ſi non erit præſens loco *A*? ergo erit abſens à loco *A.* ergo erit abſens ab eo qui eſt in loco *A.* (ſicut ſi Papa eſt Romæ, qui eſt abſens Romæ, etiam eſt abſens Papæ) ergo erit abſens Deo, quod eſt abſurdum & contra fidem.

3. Creet

3. Creet Deus Angelum, aut alicubi creat, aut nullibi? si alicubi? habeo intentum; si nullibi? *contra*: Deus illic creat ubi est, saltem per virtutem suam creatricem: sed Deus alicubi est, ergo alicubi creat, ergo non creat nullibi.

Dices: Res producit suam ubicationem, ergo prior est suâ ubicatione, ergo ab ista independens; ergo sine ista potest esse.

Contra. Certius est rem, quæ est, alicubi esse, quàm producere suam ubicationem, ergo malè negas certius, ut probes incertius. Jam suprà probatum est, ubicationem non esse modum distinctum à re locata. *Deinde* scientia Dei, & providentia circa creaturas est prior, & independens ab omni creatura, & tamen sine hac esse non potest: causalitas est prior suo termino, nec tamen sine hoc esse potest: sic ergo esto creatura producat suam ubicationem, sine hac tamen esse non potest tanquam conditione essentialiter requisita: nisi enim alicubi esset, ponerentur duo contradictoria, quòd vid. talis creatura esset præsens Deo, & non esset præsens Deo; crearetur alicubi, & non crearetur alicubi: locus & spatium imaginarium esset infinitè diffusum, & non esset infinitè diffusum, quia non coëxisteret, nec præsens esset alicui creaturæ.

X. *Quæritur 8.* Vtrum detur *vacuum*?

Resp. Non datur *vacuum physicè* sumptum, hoc est, locus nullo omnino corpore, ne aëreo quidem repletus. Vide Aristot. *l.4. Phys.* & ibi S. Thom. Dari *vacuum negativum* nullum est dubium, nam supra cœlum nullum est corpus. *Ratio à priori* est, quia *vacuum* tollit mutuam communicationem, continuationem, propagationem, influxum per lineam rectam, & mutuam unionem, quâ res se maximè tuentur, & contrarijs resistunt, & ideo videmus aquæ guttulas, cùm à toto elemento separantur, in globulos componi. *Ratio* verò *à posteriori* conficitur ex quamplurimis experimentis. 1. Duæ tabulæ perfectè planæ, sibique æqualiter impositæ, si ex medio æqualiter trahas, separari non possunt; cùm enim non possit aër in instanti subire, & totum illud spatium replere, imminenti vacuo natura resistit. 2. Ob eamdem causam scutella, si ejus alveum & cavam partem aquæ immergas, & ex medio æqualiter trahas, levari non potest. 3. Folles un-

dique clausi, compressique, & ostiolo, quo aër admittitur, æquè occluso, aperiri non possunt, potiùs rumpentur. 4. Si dolium in parte superiori careat spiraculo, per quod aër subeat, vinum aperto etiam epistomio non fluet. 5. In antlijs subducto aëre aqua sequitur metu vacui. 6. Hoc ipso metu cucurbitæ sanguinem trahunt. 7. In thermometro si mediam fistulam vitream aquâ impleas, & aqua circumstans suo frigore inclusum aërem condenset, sursum aqua ascendet, pro gradu frigoris, & condensationis.

Cùm ergo quælibet creatura duplici inclinatione polleat, in bonum vid. proprium, & bonum totius universi, quæ inclinatio longè major, & vehementior est, sicut & bonum universi majus. Vide S. Thom. *1. p. q. 60. a. 5.* & *Quodlib. 1. a. 8.* ita præter qualitates specificas alias habet ad procurandum bonum universi, quando vid. necessitas exigit: cùm igitur aqua sursum fertur, ut vacuum impediat, hic motus non à levitate aquæ est, sed ab alia & occulta qualitate, quæ aquæ militat in bonum universi, & extirpationem vacui.

Quia ergo vacuum ad nihil servit, imò vehementer naturæ repugnat, ut experimentis patet, per nullam causam naturalem induci potest, imò nec per Angelicam, *tum* quia vacuum est contra ordinem universi, qui ut immediatè à solo Deo est, ita ab illo tantùm dissolvi potest. Vide S. Thom. *q. 16. de malo. a. 10. ad 8.* & ideo licèt Angelus eâdem virtute, quâ potest cœlum ab Oriente in Occidentem movere, possit etiam per se loquendo ab Occidente in Orientem, absolutè tamen non potest, quia hoc est contra ordinem naturæ: *tum* quia non tantùm corpora propinqua, sed etiam remota & remotissima, & contra naturales inclinationes moventur ad vacuum impediendum; oporteret ergo totum universum ab Angelo immutari: *tum* quia Angelus non potest in hæc sublunaria quidquam operari nisi per motum localem applicando activa passivis. S. Thom. *1. p. q. 110. a. 5.* & *q. 16. de malo. a. 9.* atqui nulla naturalia inclinationem, viresque habent ad inducendum vacuum, cui potiùs & maximè repugnant; sicut ergo non potest Angelus producere in mea manu frigus applicando illi ferventissimum, & maximum ignem, ita &c.

Quod

Quod si verò contendas vacuum in rerum natura dari; tunc si corpus aliquod in vacuo constituatur, moveri poterit. S. Thom. *l. 4. Phys. lect. 12.* Ratio est, *tum* quia haberet potentiam motivam, eamque, ut suppono, nihil impediret; vacuum enim per se non impedit nec moratur motum, quia nihil est: *tum* quia haberet adhuc locum, ad quem moveretur, moveretur enim accedendo magis, vel minùs ad polos Mundi, & ita ad certam distantiam, in qua locum *formaliter* constituimus: quodsi ponas corpus in locis imaginarijs, etiam ibi est locus virtualis, & certa distantia à polis Mundi: si tamen Deus omnia destrueret præter unicum corpus, & hoc in spatijs imaginarijs poneret, probabile est motum non iri, quia non habet terminum *ad quem*, hoc est, locum. Vide S. Thom. *1. p. q. 110. a. 3.*

Nec etiam motus in vacuo fieret in instanti, successio enim motûs localis non fit ex sola medij resistentia, sed ex alijs etiam causis, vid. ex limitatione potentiæ moventis, ex majori vel minori gravitate, ex contraria inclinatione mobilis, ut in projectis & ex distantia extremorum, & ideo quamvis cœlo nihil resistat, *successivè* tamen movetur; & incredibile est, si testudo & aquila in vacuo ponantur, æquè citò testudinem ad metas, ac aquilam perventuram. Vide S. Thom. *l. 4. Phys. lect. 12.* In spatijs tamen merè imaginarijs cessaret motus naturalis gravium & levium, quia non haberent centrum sui motûs.

XI. *Objicitur 1.* Si totum spatium, in quo fit motus, est plenum, & non vacuum, ergo corpus intrat plenum, & ita fit penetratio corporum: aut si non intrat plenum, sed aër corpori se moventi loco cedit, de hoc aëre, qui cedit, redit quæstio, quò cedat? ergo pellet aliud corpus, & hoc aliud, & ita ad motum unius muscæ totus Mundus movetur & fluctuat.

Resp. Aër motu pulsus & anterior condensatur, posterior rarefit. Vel etiam sicut cùm piscis mari innatat, aqua anterior quam pellit, in latera succedit, aqua verò lateralis succedit in locum piscis, quem natatu relinquit, nec ideo totus Oceanus fluctuat natante pisce, ita &c. Quando verò corpus condensatur & occupat minus spatij, non ideo est, quòd partes illæ densatæ aliquas vacuitates repleant, sed quia partes priùs rarefactæ &

extensæ per condensationem incipiunt complicari & involvi; sicut pannus convolvitur & explicatur nullâ suæ quantitatis additione, vel diminutione, & sine alicujus vacui repletione: & arcus, cùm intenditur, fit magis magisque curvus nullâ sui additione vel diminutione. Vide Arist. *l. 4. Phys. c. 9. text. 84.*

Objicitur 2. Ponantur duæ tabulæ planissimæ una super aliam, tum altera citissimè elevetur, in hoc casu dabitur aliquo saltem momento vacuum, nec enim aër poterit momento moveri, & subintrare in illud medium spatium, ubi tabulæ se comprimebant.

Resp. In hoc casu, ut patet experientiâ, tabulæ non poterunt momento separari, nisi separatio à lateribus incipiat, aëre paulatim subintrante; nec dubitari potest motum aëris fore velocissimum ad vacuum impediendum.

Objicitur 3. Hoc experimentum, quo RR. vacuum maximè tuentur: Accipe fistulam vitream utrimque perforatam, & duos cubitos, aut saltem quatuor palmos longam; foramen superius contra omnem aërem diligenter occlude: tum imple totam hydrargyro, seu Mercurio, & foramini inferiori digitum appone, ut nullus omnino aër subeat: immerge dein fistulam vasi Mercurij ad 5. vel 6. digitos pleni, & digitum, tum denique remove, videbis hydrargyrum diu multumque in fistula jam ascendendo jam descendendo agitari, tandem consistet, relicto magno in superiori parte vacuo: nec dici potest eam partem aëre repleri, unde enim aëri aditus, foramine inferiori & superiori penitus clausis?

Resp. Hoc ipso experimento vacuum impugnari; docet enim experientia, si partes illæ superiores calefiant, corpus illic inclusum rarefieri, & argentum vivum deorsum urgere; si frigefiant, corpus densari, & hydrargyron sursum agi metu vacui. Illæ ergo partes superiores, quæ vacuæ nobis videntur, tenuissimis spiritibus à Mercurio evaporatis implentur, quos in subsidium adversus vacuum natura mittit, quod manifestè apparet aquâ Mercurio supernè affusâ, illa enim bullis quibusdam impletur, fervente subtus Mercurio.

XII. *Quæritur 9.* An, quid, & quotuplex sit Tempus?

Resp. 1. Dari Tempus, & esse ens reale dubium non est.

Vide S. Thom. *opusc. 44. de tempore c. 1.* & *1. p. q. 10. a. 5.* Tempus enim est duratio & mensura motûs & aliarum rerum corruptibilium; mensura autem est ejusdem rationis cum mensurato; sicut ergo nemo triticum, oleum, pannum chymæris & entibus rationis mensurat, ita nec motus, aut essentias creatas. 2. Motus primi mobilis secluso omni actu Intellectûs est diuturnior motu lapidis deorsum descendentis, & de eo verè dici potest, *fuit, est, erit*: ergo ejus duratio, vid. Tempus verè & à parte rei datur. 3. Per Tempus nihil aliud intelligimus, quàm quod his vocibus exprimitur: *fuit, est, erit:* sed hoc à parte rei datur, quis enim neget à parte rei Cæsarem fuisse? &c. Quia tamen Tempus est ens successivum, non est nisi per instantia, quæ continuò fluunt, sibique succedunt; sicut tota existentia fluvij non est stare, sed fluere, & ideo Aristoteles dicit, Tempus absque anima esse ens imperfectum, quia vid. non habet suas partes simul existentes, nisi in intellectu, eas simul concipiente & tamquam mensuram applicante ad cognoscendam quantitatem motûs; dicò enim Petrum vixisse 30. annos, quamvis triginta anni nec sint, nec applicari possint ad mensurandam vitam Petri, nisi per Intellectum ea simul cognoscentem & comparantem ad aliud, quæ aliàs à parte rei non sunt, nec alijs adæquantur.

Resp. 2. Tempus *Definitur* ab Aristotele: *Numerus motûs secundùm prius & posterius*; hoc est, Tempus est duratio motûs continui & successivi, habentis partes priores, & posteriores sibi continuò succedentes: v. g. in motu primi nobilis, qui 24. horis ab Oriente in Occidentem peragitur, invenitur *numerus*, hoc est, multæ partes motûs, quæ hoc ipso, quòd sint multæ, numerum faciunt, & certo horarum numero distingui, & designari possunt, alioqui propriè loquendo cùm in primo mobili, ejusque motu omnes partes sint continuæ, & non discretæ, non datur numerus. Invenitur etiam *Motus*, ut patet; sicut enim ulna est mensura panni, & non tritici, ita tempus est mensura motuum & mobilium, & quorum esse in fluxu est, & sic distinguitur ab *ævo* & *æternitate*, ut infrà. Dicitur verò *secundùm prius & posterius:* hoc ipso enim, quòd tempus est mensura motûs successivi, supponit in motu alias partes alijs succedere, & ita aliquas esse priores, alias posteriores.

Resp.

Resp. 3. *Tempus* aliud est *internum*, aliud *externum*. *Internum* est duratio cujuscunque rei corruptibilis, quâ à puncto nativitatis usque ad mortem, vel finem progreditur, quæ duratio, & progressus forent, etiamsi nec cœlum, nec sol eorumque motus essent. Tempus *externum* est mensura vel mensuratio, quâ corporis naturalis internum tempus, duratio, motus, & quies distinguitur, ac numeratur secundùm motum alterius corporis, v.g. cœli. Primarium enim tempus externum est motus primi mobilis, & motus solis. Motus solis est duplex: primò *naturalis*, ab Occasu in Ortum per signa zodiaci, & hunc vocamus annum. Alter *raptus* ab Ortu in Occasum (cujus causa est motus primi mobilis) quem in partes 24. æquales partimur, & horas vocamus. Quia ergo motus primi mobilis est primus, uniformis, certissimus, notissimus, & minimus (est enim velocissimus, & ita quemlibet etiam minutissimum motum mensurat) quæ sunt conditiones mensuræ, ideo ratio temporis externi est una, motus vid. primi mobilis, de quo S. Thomas eleganter *l. 4. Phys. text. 133. lect. 23. & 1. p. q. 10. a. 6. & q. 66. a. 4.* Tempora externa minùs principalia sunt omnes mensuræ extrinsecæ, & particulares, quibus tempus internum, nostrarumque actionum durationes metimur, quales sunt horologia sciaterica, rotatilia, clepsydræ &c.

XIII. *Quæritur 10.* In quo tempus differat ab æternitate, & ævo?

Resp. Tempus distinguitur ab æternitate hoc modo: *Æternitas est mensura rei penitus immutabilis quoad esse, & quoad accidentia*, & ideo si aliquid ab æterno crearetur, nullum finem sui esse, & suæ operationis haberet, quando enim finiretur? infinito pòst spatio, an finito? non infinito, quia quod est infinitum, finem nullum habet, ergo ad finem ejus perveniri non potest. Non finito, quia quod finitam durationem habet, v. g. 100. dierum, etiam principium habet, & ad istud perveniri potest, sed ad principium æternitatis perveniri non potest; quis enim dicat, quod spatio finito durat, v. g. 100. dierum, esse æternum? Æternitas ergo essentialiter soli Deo convenit, quia hic solus quoad esse, & operari est immutabilis. *Ævum est mensura rei immutabilis quoad substantiam, mutabilis verò quoad operationem*, & convenit Angelis,

cœlo,

cœlo, alijsque rebus incorruptibilibus; mutabilitas enim naturalis, quæ Angelò convenit, exigit ejus operationes non fuisse ab æterno, aliàs cessare ab ijs nunquam posset, æterna enim, ut dixi, nunquam finiuntur. *Tempus est duratio rei mutabilis tam secundùm substantiam, quàm secundùm accidentia, & operationes*, & competit rebus corruptibilibus, hoc enim ipso quòd res aliqua est corruptibilis, & mutabilis, postulat habere *esse post non esse*, & consequenter etiam finiri, & durationem ac tempus principio, & fine terminatum. *Modus æternitatis est mensura rei supernaturalis*, *præsertim* visionis & amoris beatifici, illa enim visio elevat intellectum ad operandum invariabiliter, quâ ratione ævum excedit. Vide S. Thom. *1. p. q. 10. a. 5.* & *opusc. 44. c. 4.* & Suar. *in Metaph.*

Substantias generabiles & corruptibiles præcisè quoad suum esse non mensurari tempore, sed tantùm quoad suos motus, multi docent apud Suar. *d. 50. sect. 7.* & videtur expressa mens S. Thomæ *opusc. 44. de temp. c. 3.* Si modò hoc opusculum est S. Thomæ. & *4. Phys. text. 118. lect. 21.* & *ratio* est, *tùm* quia tempus definitur *mensura motûs*, substantia verò non est motus; *tum* quia substantia est indivisibilis, ergo nullas habet partes priores, & posteriores, quæ juxta definitionem sub tempus cadant. Alij verò dicunt, etiam substantias quoad suum esse tempore mensurari, dicimus enim hominem vixisse 30. vel 40. annos; & ut aliquid mensuretur tempore, non requiritur ut actu transmutetur, sed ut ex sua natura sit transmutabile; sicut ut Angelus ævo mensuretur, sufficit, ut ex sua natura habeat esse immutabile, quamvis per extrinsecam Dei potentiam annihilari possit; homo ergo non mensuratur tempore ut homo, sed tantùm secundùm suam durationem naturaliter mutabilem & corruptibilem: sicut ergo quies tempore mensuratur, ita & permanentia in esse, prout tamen ex sua natura subjacet causis corrumpentibus, & mutabilibus. Vide S. Thomam *1. p. q. 10. a. 4.*

XIV. *Quæritur 11.* An tempus existat solùm ratione Instantis præsentis?

Resp. Probabilius est, Tempus non existere nisi ratione instantis præsentis, quod appellamus *nunc*. Ita S. Thom. *l. 4. Phys. c. 10. text. 89.* & *lect. 23.* & *1. p. q. 46. a. 3.* & *q. 66. a. 4. ad 5.* & *opusc. 44.*

 & S.

& S. Aug. *l.* 11. *Confess. c.* 5. & Sen. *l.* 6. *Natur. c. ult.* ubi: *Fluit tempus & avidissimos sui deserit; nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendet.* *Ratio* est, Tempus est essentialiter ens successivum; sicut enim esse fluvij est fluere, ita esse temporis; ergo nullas partes habet simul (quoad istas enim esset ens permanens) ergo quando una pars temporis existit, alia jam transijt, & consequenter non est, ergo in tempore nihil est præter unam partem indivisibilem, quam instans vocamus & momentum: aliæ partes quia immediatè transierunt, aut immediatè pòst futuræ sunt, non sunt; solum ergo illud momentum est, quod *nunc* appellatur.

Dices: Partes temporis præteritæ & futuræ non habent quidem esse præsens *permanenter*, sed tamen habent esse præsens *successivè.*

Contra. Esse præsens *successivè* est esse præteritum, & futurum; sed nec præteritum, nec futurum est præsens; sunt ergo termini implicantes esse *præsens* & esse *successivum*; solum ergo instans est præsens, quod non est quidem successivum (est enim indivisibile, & ideo nec habet partes priores & posteriores) sed tamen est fluens, quia immediatè pòst non erit, & immediatè antè non fuit, copulat ergo præsens, & futurum, & ideo præsens, & futurum coëxistunt instanti non tamquam termino merè extrinseco, sed valde intrinseco, quia in motu successivo momentum præsens supponit aliud momentum præteritum, cui successit, & aliud futurum quod succedet, & ideo momentum præsens est initium futuri (nec enim momentum C. dicitur futurum quando est, sed antequam est, ergo in priori instanti *B.* quod præsens est, futurum appellatur) & est terminus præteriti, nec enim momentum *A.* v. g. dicitur præteritum dum est, sed postquam est; ergo vocatur præteritum pro instanti sequenti *B.* quod, ut dixi, præsens est; vides ergo in ente successivo futurum, & præsens coëxistere momento præsenti, & in hoc solo realem temporis existentiam inveniri. Fuit tamen etiam momentum temporis extraordinarium, cùm vid. Mundus cœpit, quod ita fuit principium temporis, ut tamen illud aliud præteritum non fuerit.

Quæritur 12. Quid sit *duratio*, & quomodo distinguatur à re durante? *Resp.*

Resp. *Duratio* nihil aliud est quàm *persistentia in existendo*, & etiam in primo instanti, quo existis, dici potes durare *inchoativè.* Est verò duratio idem quod existentia, nec aliquid reale superaddit existentiæ, sed tantùm in entibus creatis extrinsecam connotationem, & dependentiam ab actione continuante & influente ipsum esse; & per hoc extrinsecum connotatum differt duratio creata ab increata, ut docet S. Thomas *1. p. q. 10. a. 2.* Vide Suar. *disp. 50. Metaph. Sect. 1.* & *ratio* est, quia duratio nihil aliud est, quàm *persistentia in esse*; sed persistentia in esse non distinguitur ab esse ejusdem rei, sicut nec creatio à conservatione distinguitur. S. Th. *1. p. q. 104. a. 1. ad 4.* & *de Pot. q. 5. a. 1.* & hæc intrinsecâ cujusque rei duratio vocatur tempus intrinsecum; quamvis enim duratio hesterna non sit idem quoad connotatum extrinsecum (hesterna enim dicitur, prout subjacet hesterno motui primi mobilis, qui non est idem cum motu Cœli hodierno) est idem tamen quoad rem intrinsecam cum re, quæ heri & hodie duravit, hoc enim ipso quòd res semel existens non corrumpitur, dicitur durare.

Sicut verò res permanens est una, ita & duratio rei permanentis est una: econtrà sicut ens successivum non est unum, sed pluribus constat sibi succedentibus, ita & duratio rei successivæ non est una, sed pluribus durationibus constat sibi succedentibus. Ex quo etiam patet, tempus realiter non distingui à motu, sed tantùm ratione cum fundamento in re; tempus enim est duratio & mora ipsius motûs: at duratio non distinguitur ab existentia rei durantis, & in omni motu, hoc ipso quòd est successio, est etiam essentialiter, & præcisâ quavis aliâ entitate aliqua mora.

Dices 1. Si circulatio primi mobilis esset duplo velocior, quàm nunc est, motus annuus solis esset idem qui nunc est, percurreret enim æquè Zodiacum, & tamen non haberet idem tempus, quia duraret semianno, ergo tempus potest à motu separari, ergo aliud est tempus, aliud motus.

Resp. In hac hypothesi motum solis naturalem habiturum idem tempus internum, quod à motu, ejusque duratione non distinguitur, non autem idem tempus externum, quia hoc esset velocius quàm prius.

Dices 2. Tempus eſt menſura motûs, ergo non eſt motus; ſicut menſura tritici, non eſt triticum.

Reſp. In motu duæ ſunt formalitates *virtualiter* diſtinctæ; prima quòd ſit via ad terminum, & ſic vocatur *motus*: ſecunda quòd ſit mora, & permanentia in eſſe, & ſic vocatur *tempus*: ſicut ergo eadem lux eſt principium *quo* videmus & *quod* videmus, ita & motus aliâ ratione, & ſub diverſa formalitate eſt menſura, & menſuratum; propriè autem menſura dicitur tempus externum, ſicut propriè loquendo menſura tritici eſt quantitas tritico externa.

Dices 3. Non poteſt Deus idem numero tempus reproducere, poteſt tamen eumdem numero motum, ergo motus à tempore diſtinguitur.

Reſp. Si poſſit Deus eumdem numero motum reproducere, de quo tamen multi dubitant, poterit etiam idem numero tempus internum, quod à motu & à duratione ſucceſſiva non diſtinguitur, non quidem faciendo, ut quod præterijt, non præterierit, ſed ut quod ſemel præterijt, iterum fiat præſens. Vide Suar. *d. 50. ſect. 9. n. 15.* eodem vid. modo, quo tempus poteſt eſſe præſens ratione unius inſtantis.

Præter hactenus dicta de tempore ſequentia inſuper notanda ſunt, quæ continent utilitatem temporis ad multos humanæ vitæ uſus.

XV. *Quæritur 13.* Quid ſit tempus *Aſtronomicum*, & quæ ejus partes?

Reſp. Tempus *Aſtronomicum* ſolare eſt motus ſolis, qui dividitur. *1.* In dies, menſes, annos: dies in horas, horæ in minuta prima, ſecunda &c. *2.* Dies alius eſt *naturalis*, alius *artificialis*. Dies *artificialis* eſt mora ſolis ſupra horizontem, nox verò *artificialis* eſt mora ſolis infra horizontem. Dies *Artificiales* ſub Æquatore in Zonæ Torridæ medio (quam Indi, Æthiopes, Braſilienſes & Peruani inhabitant) ſunt perpetuò noctibus æquales, & etiam inter ſe. In Europa duo tantùm dies ſunt ſibi, & noctibus æquales, quos proinde æquinoctiales appellamus, cùm vid. ſol ingreditur initium Arietis & Libræ, quod contingit in Calendario reformato circa 21. Martij & 23. Septembris. Alij dies ſunt

omnes

omnes inæquales noctibus; & quidem in parte Boreali, quam nos inhabitamus, ab æquinoctio verno usque ad solstitium æstivum, hoc est, ab initio Arietis usque ad initium Cancri circa festum S. Joannis Baptistæ dies semper crescunt, noctes decrescunt. A solstitio autem æstivo usque ad æquinoctium Autumnale, hoc est, ab initio Cancri usque ad initium Libræ decrescunt dies & crescunt noctes, semper tamen dies sunt longiores noctibus. In parte Australi omnia hæc contrario se modo habent; quando enim Borealibus dies crescunt, decrescunt Australibus, & econtrà sub Zona frigida noctes sunt quinque vel sex mensium, ita tamen ut quatuor ex illis mensibus perpetuum sit crepusculum, & abundent copiâ lignorum non solùm quibus arceant frigus, sed etiam faces accendant. Qui ergo populi habitant directè sub polo septentrionali, totâ æstate semper habent diem, & nunquam noctem; qui verò sub polo Meridionali, totâ hyeme habent diem, & nunquam noctem.

Quò magis & propiùs acceditur ad septentrionem, hoc est, quò major est elevatio poli, eò magis excrescunt dies æstivi; & econtrà quò remotiùs à septentrione degitur, eò minores sunt dies æstivi & longiores hyberni: Romæ ergo, ubi longè minor est elevatio poli, quàm Dantisci, dies horæque æstivæ non sunt tam longæ, quàm Dantisci: & universim in Germania dies æstivi majores sunt, quàm in Italia, minores verò hyberni, quia vid. in Germania tempore æstivo, cùm sol propiùs ad nos accedit, major est elevatio poli, quàm in Italia, uti vides in Figura I. sphæram aliquam repræsentante, in qua vid. horizon Q. R. Æquatorem A. B. secat ad angulos obliquos; in hac inquam vides parallelos solis (hoc est, spatia, quæ sol motu diurno circa terram describit, sunt verò tot, quot dies in anno, hoc est, singulis diebus unum) quo magis accedunt ad polum Septentrionalem S. & consequenter, quò major est elevatio poli, eò supra horizontem longiores esse, & consequenter majorem solis moram, & longiores dies denotare.

Partes diei majores sunt tres: *Manè, Meridies, & Vespera. Manè* cùm sol supra horizontem emergit. *Meridies* est pars diei, quâ sol suo centro Meridianum attingit, & nobis fit verticalis, ut in

proxima figura, si sol attingat punctum H. *Vespera* est postrema pars diei, cùm sol horizontem occidentalem suo centro attingit, quod fit in puncto K.

Diei artificiali opponitur *nox*, quæ est spatium, quo sol infra horizontem moratur, moratur verò aut diutiùs, aut breviùs, prout lineæ parallelæ infra horizontem Q. R. breviores, aut longiores sunt. Partes noctis sunt tres: *Crepusculum, Media nox, Diluculum*. *Crepusculum* Vespertinum est lux illa dubia, seu crepera post occasum solis: contingit verò toto illo spatio, quo sol infra horizontem occidentalem mersus ad 18. gradum in sua eclyptica infra horizontem descendit, & cùm illum attigit, cessat crepusculum.

Crepusculi causa est, quòd Atmosphæra seu aër crassior, & varijs vaporibus condensatus à sole adhuc infra horizontem illuminatus lucem ad nos reflectit. Quando verò pluribus, quàm 18. gradibus infra nos est, illuminat quidem adhuc aërem, sed altiorem, & consequenter multò puriorem & vaporibus liberum, qui proinde non reflectit ad nos lumen defectu densitatis, sed rectà in cœlum transmittit.

Media nox contingit, cùm sol suo centro Meridianum infra horizontem nostro meridiano oppositum contingit, v. g. si deveniat ad punctum B. *Diluculum* est finis noctis, incipiente vid. crepusculo matutino, cùm sol non ampliùs 18. gradibus ab horizonte nostrò Orientali distat. Vide Clavium *ad cap. 3. sphæra.* Pars verò illucescenti diei propior vocatur *Aurora*. Hactenus de die artificiali, nunc de naturali.

3. Dies naturalis est una integra revolutio quotidiana solis circa totam terram, & constat die ac nocte integrâ artificiali, & ideo Græci noctem naturalem νυχθήμερον appellant, quasi dicas noctidiem; & de hac naturali nocte Sacra Scriptura in Genesi: *Factumq; est Vespere & manè dies unus.* Non sunt autem apud omnes diei naturalis eadem initia. Babylonij & Judæi diem naturalem ab uno ad alterum ortum computant: Itali ab uno solis occasu ad alterum; Romani, & modò etiam Romana Ecclesia à media nocte ad aliam mediam noctem: Arabes verò & Astronomi ab uno meridie ad alterum. Aliàs definitur dies natu-

naturalis, *Integra revolutio æquatoris, & præterea tanta portiuncula circuli, quantam interea sol motu suo proprio conficit*, quæ particula ferè continet unum gradum; Æquator enim (hoc est, linea dividens hemisphærium Australe & Septentrionale in duas partes æquales, & lineam meridianam perpendiculariter secans) cum ipso cœlo volvitur ab ortu in occasum spatio 24. horarum circa terram motu uniformi; unde horis singulis ascendunt supra horizontem ortivum, descendunt infra occiduum, transeunt per Meridianum 15. gradus ex 360. in quos Æquator dividitur. Dies verò naturales propriè loquendo sunt inæquales, quia additamenta illa solis ab Occidente in Orientem pergentis sunt etiam inæqualia; vulgo tamen putantur æquales, *tum* quia eorum inæqualitas est ferè insensibilis; *tum* quia in horologijs spatio 24. horarum æquali notatur.

4. Dies naturalis dividitur in 24. horas: Horæ igitur aut sunt *æquales*, aut *inæquales*. Æquales sunt pars vigesima quarta diei naturalis seu circumvolutionis Æquatoris, & vocantur æquidiales, seu æquinoctiales; & *ratio* est, quia unius horæ spatio 15. gradus Æquatoris supra horizontem ascendunt, 15. verò gradus æqualiter occidunt in parte horizontis opposita: quælibet ergo hora naturalis 15. gradus Æquatoris continet, & totidem sol unâ horâ percurrit, & etiam totidem meridianôs. Horæ inæquales sunt pars duodecima diei & noctis artificialis, & Græcè vocantur καιρικαὶ, hoc est, temporales. Dicuntur verò inæquales, non quòd horæ unius diei aut noctis inter se sint inæquales, & una diutiùs, quàm altera duret, sed *tum* quia cùm dies æstivi sint longissimi, noctes verò breves, & tamen tam noctes, quàm dies 12. horas complectantur, oportet horas æstivas esse longiores horis nocturnis, quomodo enim aliàs dies & noctes erunt inæquales, si partes & horas habent æquales? *tum* quia cùm dies æstivi sint longiores hybernis, oportet etiam ipsas horas æstivas esse longiores, & ideo vocantur temporariæ, quia cum tempore mutantur.

Dicuntur etiam *Planetariæ*, quòd Antiqui crederent singulis horis singulos Planetas dominari, primæ Jovem, secundæ Lunam &c. Istis horis Judæi utebantur, juxta illud Christi: *Numquid*

quid duodecim horæ diei sunt? & usque ad annum Christi 300. omnia, quæ cum in sacris, tum prophanis Scriptoribus leguntur, de horis inæqualibus intelligenda sunt. Apud Judæos præsertim hæc dierum & horarum distinctio erat.

Totam ergo diem naturalem, hoc est, noctidiem in 8. partes dividebant, & quatuor diei, totidem nocti assignabant, eæque nunc breviores, nunc longiores, pro dierum longitudine. Prima diei pars vocabatur *hora prima*; incipiebat ab ortu solis, & continebat horas inæquales tres. Secunda pars vocabatur *hora tertia*, & tres inæquales complectebatur: inchoabatur ad finem horæ primæ, & finiebat in meridiem. Tertia pars *hora sexta* appellabatur, quia vid. ab ortu solis usque in meridiem sex horæ inæquales fluxerant: constabat tribus horis inæqualibus, incipiebat meridie, & in tres horas durabat. Quarta pars diei *hora nona* dicebatur, quia vid. ab ortu solis usque ad ejus initium novem horæ decurrerant: constabat & ipsa tribus horis inæqualibus, & durabat usque in duodecimam communem, hoc est, in occasum solis. Sanctus ergo Marcus dicit Christum fuisse *horâ tertia* crucifixum, hoc est, sub meridiem. S. verò Joannes damnatum à Pilato *horâ quasi sextâ*, hoc est, paulò ante initium sextæ, & consequenter paulò ante meridiem, tertiâ necdum finitâ.

Nox similiter in quatuor partes distinguebatur, quas *vigilias* appellabant, & singulæ vigiliæ ternis horis constabant. *Vigilia prima* incipiebat cum solis occubitu. *Secunda* desinebat cum media nocte, & ab eadem media nocte incipiebat *tertia*: *quarta* cum solis ortu expirabat. Hæc ergo horarum inæqualium distributio fuit, quæ jam breviores jam longiores erant, pro dierum aut brevitate aut longitudine, & his ferè omnis vetustas usa est non in Græcia modò, & Italia, sed & in Ægypto, Asia, totoq; Oriente, ac præsertim Judæa. Jam verò omnes ferè Europei diem in horas duodenas æquales dispescunt. Hora in partes 60. distinguitur, quæ minutum seu scrupulum appellatur: minutum verò in alias partes 60. quæ minuta secunda, & ita deinceps. Dixi de diebus & horis, jam de anno dicendum, qui ex diebus, horisque conficitur.

5. Annus *solaris* est spatium temporis, quo sol motu proprio

ab

ab Occidente in Orientem, ab uno puncto cœli fixo ad idem revertitur. Vocatur etiam annus *Tropicus*, quia sive à solstitialibus sive ab æquinoctialibus cœli punctis solis cursus initium sumat, semper illa puncta τροπαὶ appellantur, quia ab illis incipit solis conversio. Hic annus solaris & naturalis quot diebus constet, apud Astronomos incertum: communior est sententia constare dieb⁹ 365. horis 5. minutis 49. sec. 16. ferè. Vel juxta computum Julij Cæsaris diebus 365. *horis* 6. quæ faciunt quartam diei.

Annus *Sidereus* dicitur, cùm sol à puncto aliquo stellæ fixæ digressus, v.g. à prima stella Arietis ad punctum ejusdem stellæ revertitur; & quia stellæ fixæ semper, quamvis tardissimè, Orientem versùs volvuntur, fit ut sol à puncto *A.* stellæ fixæ digressus, & absoluto curriculo revertens stellam fixam non ampliùs in puncto *A.* inveniat, sed aliquanto jam progressam, & in puncto *B.* & ideo sol plus spatij metitur, ut redeat ad idem punctum stellæ fixæ, quia hoc est mutabile, quàm ut redeat ad idem punctum Æquatoris, qui singulis diebus uniformiter movetur, & in eadem puncta redit. Annus ergo *Sidereus* paulò major est *Tropico*, & ex omnium sententia constat diebus 365. horis 6. licèt quoad minuta varient.

6. *Lunaris* annus est illud temporis spatium, quo luna & sol duodecies conjunguntur: hic ergo annus constat duodecim lunæ periodis, sive mensibus lunaribus: est enim duplex mensis lunaris, *periodicus* & *synodicus*. *Periodicus* est illud temporis spatium, quo luna ab uno zodiaci puncto digressa ad idem revertitur, quod fit diebus 27. horis 7. & aliquot minutis: quamvis si verus lunæ motus, & prout nobis verè apparet, consideretur, is inæqualis sit, & modò tardior modò velocior, ab Astrologis tamen reductus est ad æqualitatem jam dictam. Mensis *synodicus* seu Conjunctionis dicitur illud temporis spatium, quo luna soli conjungitur, hoc est, ad punctum soli perpendiculariter subjectum redit; & constat diebus 29. horis 12. & dimidiâ cum aliquot minutis. Cùm enim luna curriculum suum sub zodiaco emensa solem non ampliùs in eodem puncto reperiat, sub quo eum reliquerat, sed longiùs uno ferè signo Orientem versùs progressum, ut illi iterum conjungatur, progredi uno signo debet, quod non fit nisi

duobus diebus, & horis quinque, quæ adjunctæ motui periodico conficiunt dies 29. horas 12. minuta 44. sec. 3. circiter.

Ex duodecim mensibus ergo lunaribus synodicis conficitur *annus lunaris*, qui *communis* appellatur: & constat diebus 354. horis 8. minutis primis 48. circiter. Fiunt ergo menses synodici alternatim dierum 29. & 30. bis duodecim horis in unam diem conflatis; & hujus tantùm mensis synodici ratio habetur, cùm annus in 12. menses dividitur.

Annus verò lunaris *embolismicus* seu intercalaris constat tredecim mensibus lunaribus synodicis, diebus 383. horis 21. minutis primis 41. circiter. Hic verò annus embolismicus tertio quoque anno contingit; cùm enim annus solaris *communis lunarem* superet 11. diebus (si enim Neomenia seu prima luna primo Januarij contingat, duodecim lunationes, & consequenter annus lunaris finietur 20. Decembris, undecim vid. diebus ante primam Januarij, & Novilunium continget 21. Decembris) bissextilis verò duodecim diebus: fit, ut tertio quoque anno dies illi undecim novam lunationem seu mensem lunarem conficiant, qui mensis alijs duodecim adjectus tertiumdecimum lunarem reddit, & annum lunarem embolismicum facit.

Anno lunari tantùm utuntur Turcæ & Saraceni, nec apud eos annus habet certum initium, aut puncto cœlesti definitur; sicut apud nos annus Julianus incipit circa brumale solstitium, cujus initium cadit in 22. Decemb. sole in Tropico Capricorni ad nostrum hemisphærium propiùs accedente. Ægyptij anno lunari propriè dicto utebantur, hoc est, mense (tanto enim spatio zodiacum luna metitur) & ideo in historia Ægyptiorum tot annorum millia numerantur.

In superioribus dictum est, annum lunarem physicè loquendo esse inæqualem, quia vid. & luna & sol inæqualiter moventur, quod quia sæpè recurret, hîc semel explicandum est. *Sciendum* igitur, cùm longâ experientiâ notatum sit, stellas præsertim erraticas, & Planetas varijs motibus ferri, ita ut nunc cursum incitare, nunc inhibere viderentur, jam circa idem cœli punctum desides hærere, jam in zodiaco regredi; nunc proximè ad terram recedere, nunc longissimè auferri; & in sole præsertim, ac


luna

luna obſervatum eſt, jam prope terram, jam procul ferri, ſol exiſtens in ſignis Auſtralibus multò major apparet, majoremque habens diametrum, quàm in ſignis Borealibus; & ideo in Capricorno, quod eſt ſignum maximè Auſtrale, ſol maximus apparet, in Cancro verò, quod eſt ſignum Boreale, minimus. *Rurſus* idem ſol in zodiaco circa centrum terræ ſex ſigna, & ſemicirculum Borealem tardiùs percurrit, quàm ſex ſigna & ſemicirculum Auſtralem; in iſto enim moratur diebus tantùm 178. in illo autem 187. idem ergo ſol jam citiùs, jam tardiùs movetur. Quia verò diverſi motus non poſſunt uni circulo aut corpori per ſe competere, in ipſo globo & circulo ſolari plures circuli, vel potiùs partes ejuſdem globi terræ viciniores, aut remotiores quærendæ ſunt; nam, ut dixi, ſi ſol feratur in circulo æqualiter à centro, hoc eſt, terra diſtante, fieri non poteſt, ut jam terræ vicinior, jam remotior ſit, partes enim circuli æqualiter à centro diſtant, ut patet. *Sciendum* igitur eſt, poſſe in eodem globo aut circulo plures alios minores circulos deſcribi aut concentricos, qui vid. habeant idem centrum cum circulo majori, aut excentricos, qui non habeant idem centrum, ut in hac Figura, Circuli *A.* ſunt con-



centrici, quia idem centrum habent. Circuli verò *B.* ſunt excentrici, quia diverſa habent centra, & ideo partes ejuſdem circuli C. aliæ ſunt viciniores centro terræ *d.* aliæ remotiores: punctum ergo à terra remotiſſimum, quale eſt *e.* *Aux* vocatur, & cùm ibi ſol v. g. reperitur, dicitur eſſe in *Auge:* Viciniſſimum verò ter-

terræ dicitur oppositum Augi, quale est in *f.* In alijs omnibus Planetis, excepto sole, præter circulum concentricum, & excentricum reperitur etiam alius circulus, quem vocant *epicyclum*, & hic est circulus seu pars circularis excentrici (jam enim monui in eodem circulo seu globo plures alios minores circulos describi, aut designari posse) habens proprium centrum circa quod modicis gyris obvolvitur: Vocatur etiam orbis revolvens stellam, seu Planetam, illi enim est affixus Planeta, & ad ejus motum circa suum centrum defertur. Sol, ut dixi, non habet epicyclum, sed ad motum excentrici circumfertur. Schema epicycli est in hac Figura. *a.* est centrum terræ, circa quam omnes cœli, omnes-



que stellæ moventur, & respectu cujus omnes cœli, orbesque Planetarij sunt concentrici. *B.* est orbis Planetæ, continens plures

res alios, & minores orbes, respectu quorum dicitur terræ excentricus. C. est orbis excentricus respectu terræ & centri. *a.* habet tamen proprium centrum in *d.* & respectu hujus excentrici, Planeta jam est propior terræ, majorque apparet, jam remotior; si enim sit in *e.* remotior erit minorque apparebit, quàm in *f.* G. est epicyclus, & in eo Planeta obvolvitur, & varios illos motus & apparentias exhibet, ut jam ascendere, jam descendere videatur &c. habendum enim est pro regula, non posse idem corpus duobus motibus contrarijs *per se* moveri, posse verò *per accidens*, & ad motum alterius corporis, ut in navi. Plura de excentricis, eorumque necessitate videri possunt apud Clavium *c. 4. in Sphæram*, ubi etiam objectiones solvit. Et hactenus de Tempore *naturali*, quod maximè ex siderum motu definitur, nunc de Tempore *Politico*, & *Civili* agendum, quod vid. à doctis seu Legislatoribus ad usum vitæ civilis accommodatum est.

7. Annus *Julianus*, quo nunc utimur, duplex est, *communis* & *intercalaris* seu *bissextilis*. *Communis* constat præcisè diebus 365. sine appendice horarum sex, quas annus *Astronomicus* adjunctas habet: quia ergo 6. horæ quartam diei partem faciunt, ideo quaternis quoque annis ex residuis illis horis dies conficitur, quæ mensi Februario inseritur ad diem ejusdem mensis 25. quæ est sexta Calendas Martias, & ideo in Martyrologio tam vigesima quarta, quàm vigesima quinta pronuntiatur, *Sexto Calendas Martij*: hic ergo est annus bissextus, continens dies 366. Auctor igitur hujus anni, aut Calendarij Politici fuit Julius Cæsar, Imperator & Pontifex Max. Romanorum; & quia hic annus commodissimus fuit, ab omnibus pænè Gentibus receptus est, &, ut suprà monui, paucissimis diebus à Solstitio brumali initium ducebat, Calendis vid. Januarij.

Hoc Julij Cæsaris tam præstans & inæstimabile inventum suos quoque defectus habuit; nam *primò* huic suo anno dies assignavit 365. & insuper horas sex integras, cùm tamen annus Astronomicus ex sententia Alphonsi & aliorum repertus sit habere dies 365. horas tantùm 5. minuta 49. sec. 16. ferè: & ideo annus Julianus quintâ unius horæ parte citiùs absolvit, quàm annus Astronomicus; quò factum est, ut æquinoctium cœleste

 & ver-

& vernum, quod tempore Julij inciderat in 24. Martij, tempore correcti Calendarij Anno 1582. inciderit in diem 11. Martij, & ita tredecim diebus ab æquinoctio cœlesti, hoc est, à vera temporis mensura discessum est. Sic etiam solstitium brumale, quod tempore Julij & Nativitatis Christi incidebat in diem 26. Decembris, tempore correcti Calendarij incidit in 12. Decembris, & ita singulis 134. annis æquinoctium brumale unâ die anticipatur, ita vid. ut quod contingebat 21. Martij, post annos 134. cadebat in 20. & post alios 134. in 19. Martij &c. Si ergo Mundus aliquot seculis durares, nullâ factâ Calendarij correctione, festum Nativitatis Christi in Junium, festum verò S. Joannis Baptistæ in Decembrem incideret. *Secundò* ex anno *Juliano* magna confusio circa celebrationem Paschatis oriebatur. Judæi Pascha celebrabant primo mense lunari; erat verò primus mensis lunaris, cujus dies, seu lunatio decimaquarta, comprehenso etiam ipso die Neomeniæ seu Novilunij cadebat in æquinoctium vernum. In Concilio Nicæno post longum certamen Christianorum statuta hæc sunt. *1.* Ex sententia præstantium Mathematicorum, ut æquinoctium vernum esset affixum 21. diei Martij. *2.* Plenilunium observetur, quod vel in ipsum æquinoctium vernum incidit, vel proximè illud sequitur. *3.* Dies Dominica, quæ plenilunium illud sequitur, sit ipsa dies Paschatis; ergo ex sententia Concilij Nicæni Pascha celebrari debebat intra dies 22. Martij & 25. Aprilis. Sed etiam computus Nicænus erravit, *cum* quòd crediderit æquinoctium à 21. Martij non recessurum, cujus contrarium ostendi; *tum* quòd Novilunia in Concilio per aureos numeros designata quatuor, aut amplius diebus seriùs contigerint, quàm Novilunia cœlestia, ut postea patebit.

8. Ad corrigendos igitur hosce Veteris Calendarij defectus Gregorius XIII. animum applicans, vocatis Romam præstantissimis Mathematicis decem annorum studio & labore Calendarium in hanc formam correctum est. *Primò* æquinoctium vernum reductum est in pristinam sedem à Concilio Nicæno illi assignatam, vid. 21. Martij, subtractis ex mense Octobri decem diebus, ita ut pro quarta Octobris poneretur 14. & pro quinta poneretur 15. &c. Sic enim fiebat, ut æquinoctium, quod ante correctio-

rectionem cadebat in 11. Martij, decem diebus seriùs post correctionem caderet, vid. 21. Martij. Et ne in eumdem errorem posteritas relaberetur, statutum est, ut non quilibet centesimus annus intercalaretur ut olim, sed ut post annum 1600. tres priores centesimi essent *communes*, quadringentesimus verò intercalaris; ergo in novo Calendario anni sequentes 1700. 1800, 1900, erunt communes, annus verò 2000. bissextilis &c. *Secundò*. Aureus numerus expunctus est, quia Novilunia quatuor diebus tardiùs, quàm in cœlis fierent, ostendebat, & ejus loco triginta epactæ substitutæ; epactæ verò nihil aliud sunt, quàm dies illi quibus annus solaris lunarem superat, superat verò annus solaris communis 11. diebus, bissextilis 12. Epactæ ergo primi anni sunt 11. quia tot diebus annus solaris lunarem superat. Secundi anni sunt dies 22. bis vid. 11. Epactæ tertij anni dies 33. (singulis enim annis lunationes politicæ diebus 11. citiùs contingunt, ut si anno præcedente novilunium contigit primâ Januarij, anno sequenti erit undecim diebus ante primam Januarij, & post annos 19. redibit novilunium in eamdem diem primam Januarij) ex illis tamen diebus 33. rejiciendi sunt 30. (nam numerus 30. facit lunationem integram & embolismalem, & ita non numeratur inter epactas) & ita epacta redit ad numerum 3. Si ad ultimam epactam pervenias, quæ est 29. adjice illi 12. & fient 41. è quibus 30. abjice, & supererunt 11. & ita reditur ad primam epactam. Videantur tabulæ Ecclesiasticæ. Et hæc de Tempore.

XVI. *Quæritur 14.* Quæ sint Regulæ inveniendi *aureum numerum, novilunia?*

Resp. Observari posse sequentes praxes Chronologicas.

Prima Regula: *Aureum numerum dati anni reperiendi. Aureus numerus* indicat novilunia, & alias lunæ ætates, quia enim annus lunaris constat diebus 354. & ideo superatur ab anno solari diebus 11. fit inde, ut singulis annis lunationes diebus 11. citiùs quàm præcedenti anno contingant; ut si anno 1691. plenilunium contingat 14. Januarij, & novilunium 29. Januarij, anno proximè sequenti undecim diebus citiùs hæ lunationes contingent, & ita anno 1692. plenilunium erit 4. Januarij, & novilunium 18. Januarij. Post annos verò solares politicos 19. luna ad pristinas sedes

ſedes revertitur, & ita anno v. g. 1702. plenilunium iterum continget 13. Januarij, novilunium verò 27. Januarij; quamvis tamen poſt annos 19. novilunia redeant ad eosdem dies, non tamen ad easdem horas, ſed unâ horâ & aliquot minutis citiùs, quàm ante 19. annos, & ſpatio annorum $312\frac{1}{2}$ uno ferè die; & ideo à tempore Concilij Nicæni, quando Calendarium correctum eſt, amplius quatuor diebus citiùs novilunia in Calendario, & aureis numeris notabantur, quàm in cœlo contingerent, qui error per epactas ſublatus eſt. Anno Correctionis Calendarij, hoc eſt, anno 1582. aureus numerus erat 6. anno verò 1583. aureus numerus erat 7. & ſic deinceps usque ad 29. poſt quem iterum redit aureus numerus ad unitatem, & ſemper uno creſcit usque ad 29.

Deprehenditur verò *aureus numerus* hoc modo. Dato Chriſti anno adde unitatem, deinde totum illum numerum divide per 19. & reſiduus numerus (nam quotientis nulla ratio habetur, ſed tantùm reſidui) erit currentis anni aureus numerus. Hoc modo invenies aureum numerum pro anno correctionis 1582. fuiſſe 6. pro anno 1695. fuiſſe 5. pro anno 1696. eſſe 6.

Secunda Regula: Epactam dati anni reperiendi.

Primò inveni aureum numerum; & hic ſi eſt ternarius (3.) vel ex meris ternarijs conſtans (ut 6, 9, 12, 15, 18.) adde illi 20, & habebis epactam quæſitam, rejectis tamen 30. ubicunque occurrerint. Sic anni 1651. aureus numerus eſt 18. qui ex meris ternarijs conſtat huic adde 20, & erunt 38, quibus ſi detrahas 30, epacta erit 8. *2.* Si numerus aureus fuerit minor unitate, quàm ternarius aut ternarij, adde illi 10. & ſumma collecta dabit epactam, rejectis tamen 30. ubi occurrerint, & ita aureus numerus anni 1654. eſt *2.* epacta verò *12.* *3.* Si numerus aureus fuerit major unitate, quàm ternarius aut ternarij, ipſe numerus aureus dabit quæſitam epactam, & ideo numerus aureus præſentis anni 1694. eſt numerus *4.* qui ſimul eſt epacta ejusdem anni.

Tertia Regula: Dato menſe reperiendi, quando futurum ſit novilunium.

Primò. Inveni modo jam dicto, aut per ephemerides epactam, eamque adde numero menſium à Martio *incluſivè*, tum numerus pro-

productus subtrahatur ex 30. (sin productum ex epacta & numero mensium superavit 30. subtrahendum erit ex 60.) & residuum indicabit diem mensis, in quo fiet novilunium. v. g. quæritur, quo die mensis Augusti anno 1651. factum sit novilunium, epacta hujus anni est 8. huic addo 6. (qui est numerus mensium à Martio *inclusivè* ad Augustum *inclusivè*) fiuntque 14. quæ si ex 30. subtrahas, productum est 16. & denotat diem 16. fuisse circiter diem novilunij. Sic anno 1695. mense Januario novilunium est circiter 15. diem, in Februario circa 16. &c.

Si verò præter novilunium etiam ætatem lunæ cupis agnoscere, v. g. si quæritur ætas lunæ die 24. Augusti anni 1651. junge simul tres illos numeros epactam (8.) numerum mensium *inclusivè* à Martio usque ad Augustum *inclusivè* (6.) & denique diem datam mensis illius (24.) si summa ex tribus his numeris collecta sit infra 30. denotat ætatem lunæ; si verò sit supra 30. ex hac summa subtrahe 30. & hæc erit ætas lunæ. Si tamen quæratur de ætate lunæ mense Februario aut Aprili, addenda est unitas; sic invenies anno currente 1695. die 15. Januarij esse lunam 30. (hoc est, novilunium) die verò 16. esse primam lunam à novilunio, & 1. Martij esse lunam 15. &c. *Nota*, Lunam unâ circulatione diurnâ peragrare circiter 13. gradus zodiaci (sunt in zodiaco 12. signa, & quodlibet signum habet gradus 30.) cùm sol vix quotidie uno gradu promoveatur. *Rursus* luna tribus circiter quadrantibus horæ quotidie à sole magis recedit, ita ut si hodie luna simul cum sole orta sit, cras non attinget horizontem, nisi tribus circiter pòst quadrantibus.

Quarta Regula: Reperiendi Pascha dato anno.

Ab octavo Martij usque ad 5. Aprilis quære novilunium, tum inde enumera dies 14. inventâ die 14. quære proximam Dominicam, quæ sequitur, & hæc est Paschalis; non potest autem Pascha citiùs contingere, quàm 22. Martij (vid. post æquinoctium) nec seriùs, quàm 25. Aprilis.

Quinta Regula: Cyclum Solis, seu Literam Dominicalem reperiendi.

Annus Solaris *Politicus*, qui & *Ecclesiasticus* communis dies habet 365. hoc est, hebdomades 52. & unum diem. Annus verò *bissextilis* dies habet 366. hoc est, hebdomades 52. & dies 2.

Quævis autem hebdomas prænotatur unâ ex ſequentibus literis A. B. C. D. E. F. G. ita ut ſi v. g. Anno 1683. litera Dominicalis fuit C. Anno proximè ſequenti erit B. (& propter intercalationem à 24. Februarij mutatur in A.) & tertio erit G. &c. & quarto erit F. hæc enim præcedit literam G. &c. & tandem poſt 28. annos reditur ad eamdem literam Dominicalem, & hic vocatur *cyclus* ſolaris ſeu *Dominicalis*, ſpatium vid. 28. annorum. Cyclus tamen ſolis novus & propriè Gregorianus non ampliùs eſt annorum 28. ſed 400. & *ratio* eſt, quia in anno correctionis 1582. exempti fuêre dies 10. & ab Anno 1700. in poſterum ſingulis quadringentis annis eximendi ſunt tres alij. Quinam verò ſint iſti dies exemptibiles præter dies 10. ipſo anno correctionis detractos, patet ex ſequenti tabula.

1.	2.	3.	B.	4.	5.	6.	B.
1700.	1800.	1900.	2000.	2100.	2200.	2300.	2400.
7.	8.	9.	B.	10.	11.	12.	B.
2500.	2600.	2700.	2800.	2900.	3000.	3100.	3200.

Ex hac tabula diſcis, anno 1700. eximendum eſſe unum diem; anno 1800. iterum unum, qui facit 2. &c. anno verò 2000. nullum eſſe eximendum, quia eſt biſſextilis; & hæc tabula modo jam demonſtrato poteſt in infinitum extendi.

His ſuppoſitis, literam Dominicalem hoc modo invenies: ſit annus Chriſti propoſitus 1618. huic adde omnes annos biſſextiles, qui eo numero continentur (facilè verò reperies, ſi hunc annum 1618. per 4. dividas, quotiens enim dabit annos biſſextos, qui in propoſito numero annorum Chriſti ſunt 404. (& inſuper 5. ſubtrahe dies exemptiles correctionis, qui ſunt 10. (aut ſi annus Chriſti ſit unus ex comprehenſis in ſuperiori tabula, etiam anni exemptiles illic notati ſubtrahendi ſunt) reliquos divide per 7. quod reſtat ſubtrahe ex 8. & numerus productus

ductus dabit literam Dominicalem; si enim emergant 3. litera Dominicalis erit ordine tertia, hoc est C. si 4. litera Dominicalis erit quarta, hoc est, D. &c. Sic anno Christi 1618. litera Dominicalis erit septima, hoc est G. anno 1694. erit C. aliam praxim paulò post dabo. *Nota* tamen literam pro anno bissextili inventam durare tantùm usque ad festum S. Mathiæ, & postea assumi proximè præcedentem, v. g. anno 1684. qui est bissextilis, litera Dominicalis usque ad festum S. Mathiæ est B. post illud est A.

Alia inveniendæ literæ Dominicalis praxis est hæc. Sit quærenda litera Dominicalis anni 1654. sic procede: sume annum Christi immediatè præcedentem (vid. 1653.) eúmque divide per 4. quotientem ex hac divisione (qui est 413.) adde numero diviso (fiet 2066.) ex quo subtrahe 10. & quod superest (2056.) divide per 7. residuum hujus divisionis (nec enim habetur ratio quotientis) erunt 5. & denotant primum diem quæsiti anni fuisse feriam 5. (quod si nihil superest, 7. habentur pro residuo) jam 5. subtrahe ex 9. & restant 4. & hic numerus denotat literam Dominicalem anni 1654. esse quartam, hoc est, D. litera enim, quæ primæ diei cujuslibet anni affigitur, est A. sic anno, 1684. litera Dominicalis est 2. vid. B. & prima dies anni est Sabbatus. Anno 1683. prima dies anni est feria 6. & litera Dominicalis est C.

Sexta regula. Determinandi annum bissextilem.


Sit annus Christi 1654. hunc divide per 4. si nihil ex divisione superest, annus est bissextus; sin aliquid superest, designat annum à bissexto: sic ex divisione anni 1654. supersunt 2. ergo ante duos annos, vid. anno 1652. fuit bissextus, & post duos alios iterum erit, redit enim quaternis annis.

Septima Regula. Dato anno inveniendi numerum Indictionis.

Sit annus Christi 1654. huic adde 3. (eruntque 1657.) hunc divide per 15. quod superest erit indictio quæsita (nulla enim habetur ratio quotientis) si nihil superest, erit Indictio 15. Anno igitur 1654. currit Indictio 7. ut etiam anno 1684.

Alio etiam & faciliori modo cyclum solis, literam Dominicalem, epactam, Indictionem, & diem Paschalem reperire licet per sequentes tabellas.

Tabella Cycli Solis, & Litteræ Dominicalis, incipiendo post asteriscum numerare ab Anno 1660.



Vis scire, quis sit numerus solaris Cycli, & quæ litera Dominicalis pro anno 1667? in figura post asteriscum incipe numerare ab anno 1660. usque ad annum 1667. & invenies numerum Cycli solaris 24. literam verò Dominicalem B. Anno verò præsenti 1695, numerus Cycli est, 24, litera Dominicalis B,

Tabella

Tabella Rotæ Aurei numeri & Epactarum incipiendo post asteriscum numerare ab Anno 1660.



V.g. Vis scire Aureum numerum pro Anno 1695? adi figuram, & post asteriscum incipe numerare ab anno 1660. usque ad 1695. & invenies in numero superiori Aureum numerum 5. & in inferiori Epactam XV.

 §. XI.

§. XI.

De Partibus Continui & Duratione ab æterno.

SUMMARIA.

1. *Imaginaria quantitatis extensæ ex indivisibilibus punctis compositio refellitur.*
2. *Una cum rationibus adversariorum.*
3. *Etsi ens* permanens *potuerit ab æterno à Deo produci*;
4. *Quidquid alij frustra dicant*;
5. *Probabilius tamen est, nullum motum* successivum *ab æterno potuisse existere.*
6. *Quis modus inceptionis & desitionis rerum?*

NIhil certius, quàm dari quantitatem extensam, ex partibus, quæ separari possint, compositam; quis enim non quotidie videt fila, pannos, virgas scindi, & in minores partes secari? sed modus, quo quantitas continua componitur, hactenus latuit, & Philosophorum ingenia torsit cum puncto luctantium. Tota difficultas ad hæc puncta reducitur. *1.* In quantitate aliqua certa, v.g. in ligno palmari, aut partes infinitæ dantur, aut finitæ? Non infinitæ, quia infinitum repugnat, & implicat ex partibus infinitis componi quantitatem finitam. Non finitæ, quia tandem deveniri poterit ad partem aliquam indivisibilem, hoc est, punctum; punctum verò non est pars lineæ extensæ, quia non extendit. *2.* Quomodo sit verum illud

illud Aristotelis & S. Thomæ, in omni quantitate continua dari infinitas partes potentiâ, non actu?

I. *Quæritur ergò 1.* Utrum Continuum componatur ex meris punctis, sivè indivisibilibus?

Resp. Quantitas extensa, sive permanens, sive successiva, non componitur ex meris punctis, & indivisibilibus. S. Thom. *in l. 6. Phys. c. 1.* ubi Aristoteles, & quod plus est, Concilium Constant. *Sess. 12.* &

Ratio est Primò. Si linea ex punctis indivisibilibus constat; hæc vel sunt *contigua* tantùm, vel *continua*? non contigua, quia contiguum non facit continuum, nos verò loquimur de continuo. Non continua, quia vel ea puncta tangunt se totis, vel tantùm secundùm partes? non hoc, quia punctum partes non habet, si enim partes habet, non est indivisibile; non etiam tangunt se totis, quia sic omnia puncta se penetrabunt, eruntque in eodem indivisibili loco; at quantitas penetrata non facit extensionem (& ideo, quæ magis sunt involuta, & minus loci occupant, minùs etiam sunt extensa, ut patet in panno complicato & funiculo in spiras contorto) ergo linea quantumvis longa non erit extensa, & ultima pars lineæ primam tanget, quæ omnia & implicant (implicat enim lineam esse longam, nec tamen extensam) & repugnant experientiæ.

Dices 1. Punctum esse quidem *intrinsecè* indivisibile, *extrinsecè* verò esse divisibile, quia vid. occupat spatium divisibile: sicut Angelus & Anima, quæ licèt sit indivisibilis, occupat tamen spatium, & corpus divisibile, ita ut sit in capite & pedibus, & in toto corpore, quod utique est divisibile, & occupat spatium divisibile: sic ergo punctum licèt *intrinsecè* indivisibile, occupat tamen spatium divisibile; & hoc est quod alij dicunt, continuum ex punctis inflatis componi.

Contra 1. Quid ergo quantitas differt ab ente spirituali? utrique enim competit eadem indivisibilitas, & eadem extensio *extrinseca*, & quoad spatium, & quod vix capi, & intelligi potest in ente spirituali, gratis, & ad fugiendam difficultatem corpori tribuitur.

Contra 2. Sola extensio extrinseca & quoad spatium non facit,

facit, ut aliquid ſit longum, latum, & craſſum (quis enim dicat Angelum & Animam eſſe æquè longam, craſſam & latam ac turris Babylonica?) ſed hæ dimenſiones reperiuntur in quantitate, ergo non ſufficit extenſio localis?.

Contra 3. De ipſo ſpatio & loco eadem redit difficultas, *quæro* enim, an locus, & ſpatium extenſum meris indiviſibilibus conſtet? nec enim dici poteſt extendi per aliud ſpatium; & ſpatium imaginarium non facit ad rem, cùm enim nihil ſit, non poteſt locum, aut quantitatem realiter extendere, alioquin æquè dicam nivem eſſe albam realiter albedine imaginariâ, aquam eſſe realiter calidam calore imaginario &c.

Contra 4. Ideo corpus quantum, v. g. camelus occupat ſpatium diviſibile, & extenſum, quia camelus eſt diviſibilis, & extenſus, ergo falſum eſt, camelum reddi extenſum à ſpatio, ſed potiùs ideo occupat ſpatium extenſum, quia eſt *intrinſecè* extenſus, & ſi ejus quantitas minuatur, minus ſpatij occupabit: & quæ aliàs ratio, ut muſca minus ſpatij occupet, quàm camelus, niſi quia muſca *intrinſecè* minùs eſt extenſa, quàm camelus?

Contra 5. Cur non dicis ingentes moles, v. g. montem Atlantem, aut totum cœlum nihil aliud eſſe, quàm punctum inflatum, & extenſum ſolâ *extrinſecâ* ſpatij magnitudine? cùm enim pluralitas indiviſibilium non reddat, ut dixi, corpus extenſum, non etiam poteſt eſſe ratio, cur plura puncta majus occupent ſpatium, quàm unicum punctum; cur ergo uni puncto, aut grano milij non tantum ſpatij, & ubicationis, quantum cœlo concedis?

Contra 6. Saltem extenſio temporis non poteſt reduci ad extenſionem loci; quo enim in loco ſunt horæ & anni? equo an rhedâ vehuntur, ut locum mutent? quis audivit inſtantia, & momenta inflata, & hydrope confecta?

Dices 2. Lineam v. g. conſtare ex 10. punctis juxta ſe poſitis, & non penetratis, & ideo longam, & extenſam eſſe, qualis eſt linea ex multis margaritis, aut corolla ex multis globulis precatorijs.

Contra 1. Hoc eſt confundere quantitatem *contiguam* cum *continua*; continuatio enim eſt, quorum extrema ſunt unum, non quorum extrema ſunt propè: & quæ contigua ſunt, non reſi-

resistunt separationi, nec scindi aut secari possunt, ut videmus in continuo fieri.

Contra 2. Ex separatione continui dolor causatur, & quidem magnus, non verò ex separatione contigui (ut si manus intimè conjungas, separari sine ullo dolore possunt) falsum ergo est, partes quantitatis intimè solùm conjungi, & unam post aliam poni.

Ratio secundò est. Ponamus quadrum ex quatuor punctis conflatum, hæc quatuor puncta aut tangunt se, aut non tangunt? si non tangunt? non constituunt quantitatem, aut figuram continuam, sed tantùm contiguam, qualis est inter 4. milites, aut 4. turmas, quadrato agmine ordinatas: si tangunt? aut secundùm partes & *inadæquatè* (& jam concedis, in punctis esse partes, & ita non esse indivisibilia) aut se totis, & adæquatè, ergo se penetrant, ergo punctum est in puncto, ergo non constituunt figuram & quadraturam; pinge enim punctum in puncto, centrum in centro, & vide, si quadrum efficiant.

Ratio est tertiò. Est in Mathematica, & experientia certum principium, posse à quolibet puncto circumferentiæ ad centrum lineam duci, duc ergo ab eodem centro duos circulos, unum majorem, qui constet 30. punctis; alterum minorem majori inclusum, qui tantùm 15. jam à quolibet puncto majoris duc lineas 30. ad centrum, illæ omnes transibunt per singula puncta circuli minoris, nec se tangent, nisi in centro, ut patet experientiâ, ergo cùm sint lineæ triginta divisæ distinctæque, triginta puncta in circulo minori tangent, ergo circulus minor tot habebit partes, quot major, quomodo igitur minor? si ergo circulus meris indivisibilibus constat, sequitur circulum minorem esse majori æqualem, quod implicat.

Hoc verò absurdum non sequitur in sententia Aristotelica, quæ dicit circulum componi ex partibus divisibilibus; quamvis enim circulus major, & minor habeant 30. partes, pars tamen circuli majoris est major, & pluribus, imò innumeris partibus æquivalet parti circuli minoris: sicut enim ens perfectius æquivalet infinitis speciebus imperfectioribus, v. g. animal rationale infinitis speciebus animalis irrationalis, ita &c. At verò

in ſententia oppoſita dici non poteſt unum punctum eſſe majus altero; quomodo enim majus altero, quod æquè ac alterum eſt indiviſibile, nullásque habet partes? ſi enim majus? ergo aliquâ parte excederet, aliquâ non excederet, ergo haberet partes, ergo non eſſet indiviſibile.

Ratio eſt quartò. Datâ quâlibet baſi poteſt ſuper illam Pyramis erigi: ponamus ergo baſin quæ 6. punctis conſtet, & ſuper illam Pyramis erigatur, cujus ſingula latera ſint punctorum 12. à cuſpide ergo Pyramidis ab uno ad aliud latus ducantur lineæ undecim, ita ut prima duobus minimùm punctis conſtet, ſecunda tribus, tertia quatuor, quarta quinque, ita ut quantò magis latera diſtant verſus baſin, tantò longiores ſint lineæ; undecima ergo & ultima linea conſtabit punctis 12. ergo linea intra baſin pluribus punctis conſtabit, & conſequenter erit longior ipsâ baſi, quod tamen abſurdiſſimum eſt, ut ad oculum patet, demonſtratque Euclides *l. 1. prop. 12.* cùm enim baſis conjungat partes laterum remotiſſimas, oportet etiam eſſe longiſſimam.

Hoc argumentum non procedit contra ſententiam Ariſtotelicam, quia licèt undecima linea Pyramidis decem partibus ſuperet primam lineam prope cuſpidem, non tamen ſuperat baſin, cujus partes multò ſunt majores partibus lineæ minoris, ut ſuprà dictum.

Ratio eſt quintò. Deſcribatur quadratum, & à puncto unius anguli ad punctum alterius ducatur linea transverſa & diagonalis; hæc linea diagonalis ſeu diameter quadrati ſit punctorum 12. latera verò ſeu coſtæ quadrati conſtent punctis 8. (demonſtrat enim Euclides, diametrum quadrati eſſe ſingulis lateribus longiorem, quod etiam ad oculum patet) ſequeretur, ſi quantitas meris indiviſibilibus conſtet, diametrum quadrati eſſe lateri æqualem, à ſingulis enim punctis unius coſtæ duci linea poteſt ad punctum alterius, ita ut ſingulæ lineæ diametrum ſecent, ergo latera commenſurantur lineæ, & tot punctis conſtant, quot diameter; aliàs non poſſet à ſingulis punctis diametri linea duci ad ſingula coſtæ puncta.

Hæc difficultas non ita premit ſententiam Ariſtotelicam, quamvis enim à ſingulis partibus determinatis diametri duci poſ-

ſit

ſit linea ad ſingulas coſtæ partes, ſemper tamen partes diametri ſunt majores partibus coſtæ, ut ſupradictum.

Ratio eſt ſextò. Datis indiviſibilibus ſequitur limacem æquè citò, ac aquilam moveri, & eodem tempore ad metas pervenire; incipiant enim ſimul moveri, teſtudo non poteſt minori tempore, quàm inſtanti moveri (ſi enim dimidio inſtanti, ergo inſtans dividitur, ergo non eſt indiviſibile) nec poteſt minus ſpatij conficere, quàm unius puncti, ob eamdem rationem. Sic etiam aquila non poteſt uno inſtanti plus ſpatij tranſire, quàm unius puncti (nam ſi duo, jam eodem inſtanti eſſet in duobus locis) ergo limax & aquila uno inſtanti æquè velociter moventur, ergo etiam ſecundo, & tertio, & alijs inſtantibus, eadem enim eſt de omnibus ratio, ergo (quis credat?) ſi eodem momento aquila & limax Româ iter aggrediantur, eodem æquè momento Venetias pervenient.

Dices; Teſtudinem ſæpiùs, quàm aquilam quieſcere, & ideo hanc citiùs, quàm illam pervenire.

Contra 1. Si tardiùs moveri nihil aliud eſt, quàm ſæpiùs quieſcere, & motum pluribus morulis abrumpere, ſequitur molarem lapidem, cùm ex alto cadit, ſæpiſſimè in aëre quieſcere, ſuſpendique, & maximas moras agere, quia, ut demonſtrat Clavius in *c. 1. ſphæra.* centies millies tardiùs cœlo movetur; at verò, quàm hoc eſt contra ſenſibilem experientiam? ſemper enim & eodem modo videmus lapidem, qui ex alto cadit, moveri, nec ullas moras agere; aut ergo viſui fides habenda eſt, aut habenda non eſt? Si fides habenda non eſt? negemus lapidem dum cadit moveri, nec enim aliter ejus motum, quàm ſenſu notamus. Si fides habenda eſt? negari omnino debet, eum quieſcere, & aliquando non moveri, quia videmus ſemper moveri.

Contra 2. Quæ cauſa toties quieſcendi, morandique in mobili velociſſimo? aër circumſtans & obſiſtens, aut debilitas potentiæ, quæ ad motum concurrit? at etiam unum cœlum tardiùs altero movetur, v. g. cœlum lunæ, & tamen nec aër ibi nec debilitas potentiæ eſt, cùm ab Angelis moveantur.

Contra 3. Detur rota, in qua duo ſint circuli, unus & extimus maximus, alter & interior minimus ac centro vicinior,

certum est, circulum majorem *A.* decuplo citiùs, quàm minorem *B.* moveri (cùm eodem tempore partes circuli *A.* majus spatium conficiant) & tamen circulus *B.* quiescere interim non potest, utpote cum circulo *A.* connexus, & ideo circulus *A.* moveri non potest, quin hoc ipso moveatur circulus *B.* sicut impossibile est moveri totum immotis partibus.

Ratio est septimò. Detur linea 15. punctis constans, dividi utique potest in partes æquales, ut patet experientiâ, & ductu circini; ergo dividenda erit in puncta 7. cum dimidio puncto, ergo punctum est divisibile. Si ergo quantitas continua non componitur ex indivisibilibus, sequitur componi ex partibus semper divisibilibus, ut Aristoteles, & S. Thomas docent. Sed tota difficultas in eo est, hanc sententiam ita explicare, ut non incurrat mille alia incommoda, & tot ferè quot Zenonis sententia, & ideo videas passim tam multa ab Auctoribus de partibus *proportionalibus* dici, de partibus in *potentia*, de divisibilitate infinita minimæ quantitatis, in qua ne quidem æterno labore posse ad finem perveniri dicunt, & alia multa quæ omnem fidem & experientiam superant.

Ego ita rem explicandam credo. *Primò.* Certum est, industriâ humanâ (ut nihil de Angelica & Divina dicam) etiam minimam quantitatem & tenuissimam posse in partes quamplurimas, & ferè innumeras dividi, ita ut vix tam parvam, tenuemque possis assignare, ut non possit alia minor. Sic uncia auri potest ab artificibus in folia tenuissima, & quadrata plus quàm ducenties mille contundi; & cubus auri quinque lineas altus in fila, partesque æquales & sensibiles plus quàm sexies mille: si hoc artifex potest instrumentis adeò rudibus, & imperfectis, quid poterit Angelus, aut Deus? cui voluntas & intellectus pro arte, & instrumento sunt? Unicum cupri granum, quod vix in oculos cadit, sale Armeniaco dissolutum, & aquæ puræ, aut quod commodius est, distillatæ infusum, ducenties mille aquæ partes cæruleo colore tinget: quis crederet rem minutissimam posse in tot partes adhuc dividi?

Secundò. Materia & quantitas physica in partes adeò minutas dividi poterit, ut naturaliter in minores dividi sine destru-

ctione non poſſit; forma enim phyſica determinatam quantitatem poſtulat, nec poteſt ſub qualibet conſervari, aut operari, ut patet experientiâ: & cùm res quælibet à Deo ſit creata ut operetur, & per operationem cognoſcatur, ac cognita in cognitionem Dei deducat, ſi ad eum ſtatum deveniat, ut nec operari ampliùs, nec ob parvitatem molis ſentiri, aut cognoſci poſſit, naturaliter deſtrui petet, & hoc vocamus *minimum phyſicum*.

Tertiò. Imò perveniri poſt multam diviſionem poterit ad *minimum* etiam *Mathematicum*, hoc eſt, ad partem tam exiguam, & minimam, ut deſtrui quidem poſſit, ſed tamen in minores partes dividi non poſſit, eò quòd partes *actuales* non habeat, ſed tantùm *potentiales* & *virtuales*, hoc eſt, ille atomus mathematicus non habet quidem alias partes, ex quibus componatur, & in quas poſſit dividi, ſed tamen æquivalet infinitis partibus minoribus & minoribus, quæ produci à Deo poſſunt; ſicut v. g. anima rationalis non poteſt in tres animas dividi, quamvis tribus æquivaleat, & trium effectus formales præbeat: ſic in quantitate poteſt pars aliqua minima dari, quæ ne à Deo quidem in plures partes dividi poſſit, quæ tamen pluribus alijs partibus æquivalet, & ſubſtantiam, aut accidens aliud perinde extendit, ac ſi pluribus partibus conſtaret; ſicut anima rationalis perinde corpus vegetat, redditque ſenſibile, ac ſi non una, ſed plures animæ eſſent: & una eademque lux perinde reddit nubem & iridem coloratam, ac ſi formaliter color eſſet.

Dices: Si Deus poteſt creare minores, & minores partes, quàm ſit punctum illud Mathematicum, ergo etiam hoc punctum Mathematicum poterit in minores partes dividere.

Reſp. *Nego conſequentiam*, quia Deus multa poteſt *ſeparatim*, quæ non poteſt *conjunctim*: Sic poteſt animam ſenſitivam, & vegetativam *ſeparatas* creare, ſed non poteſt animam rationalem, quæ eas *eminenter* continet, in illas dividere. Ita in continuo &c.

Ex hac ſententia ſic explicata jam intelligis, *quomodo* minima pars quantitatis, ne divinitus quidem in plures partes dividi poſſit, quia ſcilicet partes non habet: *quomodo* in quantitate ſint partes in *potentia* non *actu* infinitæ, quia ſc. minima pars quantitatis æquivalet pluribus partibus ſemper minoribus, quæ à Deo

 pro-

produci possunt: *quomodo* unum punctum quantitatis possit esse majus altero, quia vid. pluribus partibus minoribus æquivalet; sicut anima rationalis pluribus gradibus entis æquivalet, quàm anima bruti: *quomodo* minima pars quantitatis substantiam extendat, quia vid. pluribus partibus quantitatis respondet, quæ utique substantiam extenderent, si ponerentur. In hac sententia sic explicata præcipuæ objectiones, quæ sententiæ Aristotelicæ opponuntur, quæque tantum sudoris & atramenti Doctoribus exprimunt, locum non habent.

II. *Objicitur 1.* Si continuum ex partibus componitur, quæ dividi non possunt, ergo componitur ex partibus *realiter* indivisibilibus: sed indivisibile additum indivisibili non facit extensionem, tangent enim se totis, & consequenter penetrabunt, quia partes non habent.

Resp. Non penetrari, quia licèt *A.* non habeat partes in quas dividi possit (suppono enim esse minimam quantitatis partem) *virtualiter* tamen æquivalet pluribus, v. g. centum adhuc minoribus, & ideo extendit substantiam, quantùm extenderent partes centum minores: particula ergo *A.* conjungitur particulæ *B.* *toti* quidem, sed non *totaliter*, hoc est, non secundùm totam ejus extensionem, & ideo non penetratur; sicuti pes v. g. *toti* animæ unitur, sed non *totaliter*, aliàs & capiti, & manui uniretur. *Neque* mirum videri debet, si pars minima quantitatis æquivalens centum alijs particulis minoribus *proportionaliter* substantiam extendat, & tantundem loci occupet, cùm, ut suprà dixi, etiam minimum granum cupri ducenties mille partibus æquivaleat, & in totidem solvi possit.

Objicitur 2. Immediatè post hoc instans existit aliquid temporis: sed nihil esse potest, nisi instans, ergo tempus ex meris instantibus conficitur, & consequenter ex meris indivisibilibus.

Resp. Non ita esse absurdum, in entibus *successivis* admittere indivisibilia, ut in entibus *permanentibus*; in *successivis* enim partes transeunt, nec faciunt hoc ipso veram extensionem, & ita cessant illa absurda, quæ ab infinito actu existente & extensione petuntur. *Deinde*; Tempus nihil aliud est realiter, quàm motus; sicut ergo una pars minima motûs est *virtualiter* & *æquivalenter* in plu-

res alias partes divisibilis modo supradicto, quia vid. potest dari motus semper minùs minusque velox, ita & tempus: instans ergo est minima pars motûs, & hæc pluribus alijs motibus minùs, minusque velocibus æquivalet.

Objicitur 3. Duæ manus conjungantur, *vel* se tangunt in indivisibili quoad extimam superficiem tantùm, *vel* in divisibili quoad plures superficies? si hoc? ergo datur penetratio quantitatum: si illud? ergo quantitas componitur ex indivisibilibus, & incidimus Zenonis sententiam.

Resp. Etiamsi contactus ille fiat in parte divisibili, non ideo tamen sequi penetrationem; aliud enim est tangere, aliud penetrare: penetrare est ingredi alterius locum; tangere esse in loco *immediatè* proximo, ut patet in partibus corporis, quæ sibi intimè uniuntur, & consequenter se intimè tangunt, & tamen una non ingreditur locum alterius. *Quodsi* demus, contactum fieri in indivisibili, fiet tamen *divisibiliter*, quia, ut suprà explicatum, pars minima, & indivisibilis *virtualiter* est divisibilis & tribuit formalem extensionem (sicut sol quia *virtualiter* est calefactivus, producit formalem calorem) & ideo attingit partes sibi immediatè connexas *totas* quidem, sed non *totaliter*; unde nulla sequitur penetratio quantitatum; sicut quia pes unitur *toti* animæ, sed non *totaliter*, & Humanitas Christi unitur *toti* Divinitati, sed non *totaliter*, non sequitur pedem totum locum occupare, quem occupat anima, aliàs pes in anima esset; nec Humanitatem Christi esse, ubi est Divinitas. *Non* tamen sequitur, minimum illud quantitatis esse in duobus locis, sicut nec anima, sed tantùm in uno loco adæquato, hoc est, in illo spatio, quod naturaliter puncto *virtualiter* extenso debetur: nec Angelus est in pluribus locis adæquatis, quamvis magnum & divisibile spatium occupet, quia vid. occupat spatium naturæ suæ & *virtuali* extensioni debitum. Vide S. Thom. *1. p. q. 52. a. 2.*

Objicitur 4. Aristoteles multis locis, & S. Thomas clarè admittunt indivisibilia *terminativa & copulativa*, ita vid. ut *linea* duobus punctis *terminativis* finiatur, *superficies* duabus lineis, *corpus* verò superficie: atqui eædem, & adhuc plures sunt difficultates, quæ ex hujusmodi indivisibilibus *terminativis* exurgunt, quàm quæ in

sen-

ſententia Zenonis ſola & mera indiviſibilia admittentis: detur enim perfectum planum, & in ejus ſuperficie deſcribantur circulus, triangulus, quadratum &c. eædem difficultates recurrent, quæ Zenoni opponebantur.

Reſp. Meritò à S. Thoma ultimas lineæ partes vocari indiviſibilia, quia in nullas alias partes dividi ampliùs poſſunt, cùm ſint ultimæ partes, & poſt illas nullæ: aliæ verò partes continui non poſſunt vocari indiviſibilia, cùm dividi poſſint usque ad partes extremas. Eodem modo indiviſibilia *continuativa* non ſunt aliquæ partes mediæ, quæ continuum nectant, ita vid. ut ſicut cæmentum mediat inter duos lapides, ita inter partes continui *A.* & *C.* mediet aliquod indiviſibile *B.* quo illæ duæ partes copulentur; id enim nec eſt *neceſſarium*, nec *poſſibile*: non *neceſſarium*, quia partes quantitatis immediatè, & ſine alio nexu coniungi ſeipſis poſſunt, ſicut & hedera arbori, & gluten ligno, à quibus divelli vix poſſunt; ſi enim poteſt punctum *B.* immediatè quantitati *A.* uniri, cur non etiam quantitas *A.* quantitati *C.*? & ſi punctum *B.* non tantùm eſt contiguum quantitati *A.* quam unit, ſed etiam continuum, quia ejus terminus naturalis, cur non etiam quantitas *A.* erit continua quantitati *C.* quia huic ut pars naturalis coniungitur? ſicut & anima non eſt tantùm contigua corpori, quia huic non quomodocunque, ſed ut forma unitur. Non etiam hujusmodi puncta copulativa *poſſibilia* ſunt; quæro enim, an punctum *B.* copulativum tangat quantitatem *A.* in puncto, aut *diviſibiliter*, & ſecundùm ſe totam? non hoc, quia punctum non poteſt tangere, niſi punctum, ſicut nec manus poteſt ſimul majus corpus tangere, quàm ſit ipſa manus: nec pes majus ſpatium loci, quàm unius pedis occupare. Quodſi punctum tangit quantitatem *A.* in puncto, de hoc iterum quæro, & ita quantitas ex meris tandem punctis componetur. *Dicendum* ergo eſt, totam quantitatem ex punctis *virtualiter* extenſis conflari, modo jam ſuprà explicato: puncta verò aut indiviſibilia *copulativa* nihil aliud eſſe, quàm ipſas partes quantitatis, quatenus ſibi copulantur *indiviſibiliter*, non *diviſibiliter*, quia vid. pars *A.* tangit partem *B.* non quoad totam hujus extenſionem (aliàs penetraret partem *B.*) ſed tantùm quoad aliquam *indiviſibilem.*

sibilem. Multæ aliæ objectiones fieri solent, quæ omnes tamen ex dictis facillimè solvuntur.

III. *Quæritur 2.* Vtrum ab æterno potuerit ens *permanens* produci?

Resp. Potuit res aliqua *permanens*, v. g. ignis, aut sol ab æterno à Deo produci.

Suppono, Mundum ab æterno non fuisse, id enim fides docet, & naturalibus rationibus probat S. Thomas *1. p. q. 46. a. 1. & l. 2. contra Gent. à c. 31. & q. 3. de pot. a. 14. ad 6.* Videri possunt Conimbricenses *in l. 8. Phys. c. 2. q. 3. & q. 4.* ubi Philosophorum, Aristotelis præcipuè, argumenta dissolvunt.

Quo verò anni tempore Mundus sit conditus, dubitant Patres; præcipui dicunt verno tempore, cùm vid. sol ingreditur signum Arietis, *tum* quòd ab hoc tempore initium anni Judæi sumebant, & Pascha celebrabant; *tum* quòd hoc ipso tempore Mundus à Christo redemptus, & reconditus est; *tum* quia cùm in zodiaco quatuor sint puncta cardinalia, quibus totus zodiacus in quatuor quadrantes distribuitur, quorum singuli singulis anni partibus in nostro hemisphærio respondent, vid. signum Arietis veri, signum Cancri æstati, signum Libræ autumno, signum Capricorni brumæ seu hyemi. Ex his tamen punctis principium Arietis est nobilissimum, quia sol in eo existens producit ver, & ingreditur signa seu partem septemtrionalem, quæ australi multò nobilior est, est enim pars septemtrionalis dextra (soli quippe supra quemcunque horizontem nascenti semper ad dextram est, Australis ad sinistram) & pulcherrimis, ac quamplurimis stellis ornata, cùm tamen circa polum Antarcticum, & Australem nulla insignis stella observata sit, quæ minùs 30. gradibus ab ipso polo absit. *Tum* quia omnes Astronomi initium anni à verno æquinoctio faciunt, sole arietem ingrediente. Antiqui tamen omnes, & nos cum Ecclesia Romana initium anni circa solstitium brumale facimus, quia vid. punctum hujus solstitij, cùm sol Capricornum ingreditur, est finis descendentis & principium ascendentis semicirculi seu zodiaci, sole ad nostri capitis verticem paulatim redeunte, ut ex globo & mappis patet. *Tum* denique quia in sacris literis dicitur: *Germinet terra*, quod ad vernum tempus pertinet.

Nec obstat, initio Mundi nascentis jam matura poma, fructusque fuisse, id enim ad insignem Paradisi temperiem, non totius mundi, reducendum est, in quo anni ætates præcoces erant, & ver autumno conjunctum.

His prænotatis Conclusionis datæ *Ratio est 1.* auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 46. a. 1.* & *q. 3. de pot. a. 14.* & *2. contra Gent. c. 38.* & *opusc.* 27.

2. Creaturam ab æterno dari *nec* ex parte Dei creantis repugnat (hujus enim potentia æterna est, & semper eadem, nec tempore augetur) *nec* ex parte creaturæ (hæc enim ab æterno fuit possibilis) *nec* ex parte æternitatis, si enim æterna duratio non repugnat creaturis, cur repugnet æterna inceptio? nec enim major est æternitas *à parte antè*, quàm *à parte pòst*. Non etiam repugnat ex parte divinæ actionis, quia actio Dei non requirit tempus, sed est in instanti, sicut illuminatio solis, & radiatio specierum.

3. Omne tempus est finitum (infinitum enim repugnat) ergo habet aliquod principium Deo notum: sed nullum potest assignari tempus, aut instans, ante quod non potuerit Deus Mundum creare, quocunque enim dato instanti, ante illud potuit Deus Mundum creare.

4. Potuit creaturæ, Humanitati vid. Christi sanctitas increata & ipsa Divinitas communicari, cur non possit æternitas creata?

IV. *Objicitur 1.* Multi Sanctorum Patrum negant, posse aliquam creaturam esse Deo coæternam, & ex hoc ipso probant contra Arianos, Filium Dei esse verum Deum, & non creaturam, quia est æternus; ergo supponunt, nullam creaturam posse æternam esse, aliàs responderent Ariani, Filium Dei & esse creaturam & esse æternam, quia æternitas etiam creaturæ potest communicari.

Resp. Etiamsi aliqua creatura ab æterno esset, non tamen dici posse coæternam Deo, quia hoc aliquam dicit æqualitatem, ut bene notant Boëtius *l. 5. de consolat. prosâ 5.* & S. Augustinus *l. 12. de Civit. c. 15.* Patres contra Arianos bene intulerunt: *Verbum esse Deum, quia æternum*; nam Ariani sacris literis convicti admittebant, nullam creaturam esse æternam.

Ob-

Objicitur 2. Producatur ignis ab æterno, & illi æquè ab æterno applicetur ſtupa, poteritne ſtupam comburere, aut non poterit? ſi non? quis hoc credat? num æternitas igni potentiam comburendi ademit? ſi poteſt comburere? ergo ſtupa ab æterno fuit, ut ſupponitur, & ab æterno non fuit, quia ab æterno, & in ipſo inſtanti æternitatis ejus forma corrupta eſt.

Reſp. In hac hypotheſi ſtupam combuſtum non iri: habet quidem ignis potentiam comburendi, ſed non ab æterno, quia ſtupa non eſt ſubjectum capax, ut ab æterno comburatur: ſicut enim puero in utero matris alius ſtatus congruit (ibi enim non reſpirat, nec excernit) alius extra uterum ubi reſpirat, & excernit; ita alius ſtatus ſtupæ ab æterno competit, alius in tempore. Tu negas poſſe Deum, qui omnipotens eſt, ab æterno ignem producere, & miraris, ignem non poſſe ab æterno in ſtupam agere? utrum quæſo mirabilius eſt, ignem ab æterno non poſſe agere, an Deum? ſi ergo tu aſſeris, quod multò mirabilius eſt, veniam mihi dabis aſſerenti, quod minus mirabile eſt: ego igni nego, quod tu Deo.

Objicitur 3. Creetur Angelus ab æterno, poterit utique liberè Deum amare? & tamen ille actus liber non erit, quia non poteſt Angelus ab illo ceſſare, aliàs ille actus eſſet ab æterno liber ex hypotheſi, & non eſſet, quia ab æterno non eſſet.

Reſp. In data hypotheſi ille amor eſſet liber, quia Angelus poterat non amare; non tamen poſſet ceſſare ab amore, quia ille amor eſſet immutabilis; immutabilitas verò non repugnat libertati, ut patet in actibus liberis Dei, qui æterni ſunt; & *ratio* eſt, quia iſta neceſſitas eſt tantùm *conſequens* & *ex hypotheſi* æternitatis, neceſſitas verò *conſequens* non obſtat libertati, ut per ſe patet, æternitas enim nihil aliud eſt, quàm inſtans immutabile, in quo nec eſt prius, nec poſterius: non pertinet autem ad libertatem, ut poſſit aliquid in eodem inſtanti *A.* & in ſenſu *compoſito* eſſe & non eſſe, v. g. in eodem inſtanti ſedere & non ſedere, hoc enim implicat & fieri non poteſt; libertas verò non eſt ad aliquid quod implicat, & fieri non poteſt, libertas quippe eſt potentia ad aliquid faciendum, vel non faciendum, ſed potentia non eſt ad impoſſibile.

Objicitur 4. Omnis creatio est ex nihilo, quod ergo creatur, non erat (idem enim est non esse, & nihil esse) ergo aliquando non erat, ergo non est æterna, implicat enim æternum esse & aliquando non esse.

Resp. Quod creatur, fit ex nihilo *subjecti*, non verò ex nihilo *sui*: si enim hæc propositio est vera: *ignis semper fuit*, ejus contradictoria est falsa: *Ignis non semper fuit*: aliud ergo est non semper esse, aliud ex nullo subjecto esse, ut patet in secunda & tertia Persona Trinitatis, quæ semper erant, & tamen ex nullo subjecto erant; malè ergo infertur: *Ignis ab aterno creatus ex nihilo fuit, ergo nihil fuit, vel aliquando non fuit.*

Objicitur 5. Si ignis ab æterno producatur, non poterit à Deo annihilari (nec enim destrui poterit post finitam durationem, finita enim duratio initium habuit, & ad ejus initium perveniri potest; sicut in numero finito potest ad ejus initium perveniri, nec etiam destrui poterit post durationem infinitam, quia duratio infinita non habet finem, quod verò destruitur habet finem) sed hoc repugnat Divinæ Omnipotentiæ

Resp. Æternitatem esse unicum instaps; sicut ergo nihil potest in eodem instanti esse, & non esse, ita nihil potest in æternitate creari, & destrui, *neque* hoc *obstat* omnipotentiæ, quæ non est ad impossibilia. Tu negas posse ignem ab æterno creari, ego nego posse ab æterno destrui, cur istud repugnet omnipotentiæ, si illud non repugnat?

Objicitur 6. Æternitas est instans semper durans & nunquam transiens, ergo est duratio infinita, ergo si totâ æternitate qualitas aliqua, v. g. calor, aut gratia intendantur, dabitur qualitas infinita (sicut enim si calor mille instantibus intendatur, singulis vid. instantibus uno gradu, dabitur qualitas mille gradibus intensa; ita si totâ æternitate & per infinitam durationem intendatur, erit infinitè intensa) sed infinitum repugnat. Ergò &c.

Resp. Intensionem esse motum successivum, qui ab æterno dari non potest; cùm enim æternitas non habeat prius & posterius, non potest etiam in æternitate priùs aliquid, & posterius produci. Si ergo Deus ab æterno Angelum, aut ignem producat, omnes istæ propositiones erunt veræ, vid. *Deus creat ignem,*

Deus

Deus creavit ignem, Deus creabit ignem, non quòd in æterno detur præteritum & futurum, ſed quia æternitas æquivalet tempori præterito, præſenti & futuro; ſicut centrum æquivalet & correſpondet omnibus partibus circuli prioribus & poſterioribus, & ideo à qualibet parte circuli duci linea recta ad centrum poteſt. Si Angelus aut homo creetur ab æterno in gratia & cum libero actu amoris, non meretur præmium infinitum, quia hoc repugnat; ſicut potentia Dei licèt infinita non extenditur ad effectum infinitum, quia hic repugnat.

Objicitur 7. Omnis cauſa eſt prior ſuo effectu, ergo Deus ignem ab æterno creans eſt prior illo igne æterno; ſed æterno nihil eſt prius.

Reſp. Non tantùm cauſa eſt prior ſuo effectu, ſed etiam omne producens eſt prius producto, & tamen hæc prioritas non obſtat æternitati, ut patet in SS. Trinitate. Cauſa ergo eſt prior ſuo effectu non duratione, aut exiſtentiâ (ut patet in ſole cùm lucem producit) ſed naturâ & independentiâ. Æternitas ergo cùm tantùm dicat durationem, non excludit prioritatem *naturæ*, & *dependentiæ* vel *originis*, ſed tantùm prioritatem *durationis* & *exiſtentiæ*; malè ergo à diſparatis infertur: *Æternitas excludit prioritatem exiſtentiæ, ergo excludit prioritatem originis & dependentiæ, ſeu productionis.*

V. *Quæritur 3.* Utrum ab æterno ens *ſucceſſivum* eſſe potuerit?

Reſp. Probabilius eſt, nullum motum ſucceſſivum, nec *localem*, nec *alterativum*, nec *circularem*, nec *rectum*, nec *reflexum*, qualis eſſet ab *A.* in *B.* & à *B.* in *A.* ab æterno dari poſſe.

Ratio eſt 1. Auctoritas S. Thomæ *opuſc. 27.* & S. Aug. *l. 12. de Civit. c. 15.* S. Thomas alibi videtur dubitare.

2. Motus ſucceſſivus conſtat eſſentialiter partibus tranſeuntibus, quarum una eſt, altera tranſijt; ſi utraque enim eſt, non eſt ſucceſſio, ſed permanentia, ſicut impoſſibile eſt dari fluvium, cujus aliquæ partes non fluant: ſed impoſſibile eſt ab æterno aliquid fluere, & habere eſſe, & poſtea non eſſe; ſi enim ab æterno daretur *poſtea*, ergo daretur etiam aliquod *prius*, ſed nihil eſt prius æternitate.

3. In motu, ut dixi, ſemper una pars ſuccedit alteri, ergo una deſinit: hæc quæ deſinit, quanto tempore duravit, finito an infinito? ſi hoc? ergo nunquam deſijt (quod enim infinitam habet durationem, nunquam deſinit, nec finitur) ſi tempore finito? ergo ab æterno non fuit, perveniri enim poteſt ad initium temporis finiti, ſed non ad initium durationis æternæ, quis enim dicat æternum duraſſe, quod 1000. aut 2000. annis duravit?

4. Si motus eſt ab æterno, ergo & corruptio (in omni enim motu ſucceſſivo, ut dixi, dantur partes, quæ deſinunt, non enim ſucceditur niſi abeunti) ſed corruptio non eſt ab æterno; priùs enim aliquid eſt, quàm corrumpatur, ſed nihil poteſt eſſe prius æterno.

5. Nihil poteſt eſſe prius æterno, ſed ſi tempus, v.g. annus, ab æterno eſſet, daretur aliquid æterno prius; priùs enim eſſent menſes, hebdomadæ, dies, horæ, minuta, hæc enim omnia annum præcedunt; priùs enim decurrunt 12. menſes, quàm unus annus &c. & ita daretur aliquid, quod quingenties viceſies quinquies mille & ſexcentis minutis ſeu inſtantibus æternitatem præcederet, quo nihil abſurdius, quod enim æternum eſt, ſemper eſt, ergo nequit tanto tempore non eſſe.

6. Repugnat infinitum *actu*: ſed daretur infinitum, ſi tempus aut aliud ſucceſſivum ab æterno eſſet; cùm enim duratio æterna initium non habeat, eſt infinita (in quolibet enim finito poteſt ad principium veniri) ergo darentur infiniti anni & dies, ergo quolibet die potuiſſet Deus Angelum producere, & conſervare, quid enim cogat, ut productum deſtrueret? ergo jam haberemus infinitos Angelos. *Aliud* eſt de æternitate *pòſt*, in qua cùm nunquam poſſit perveniri ad perfectum ejus terminum & finem, nunquam dici poteſt: *Jam æternùm duravit*, ſed tantùm, *Longiſſimo tempore duravit.*

7. Creet Deus ab æterno Cœlum, ita ut ab æterno ab Oriente in Occidentem moveatur, hæc circulatio erit infinita, quia æterna, & non infinita, quia finitum ſpatium non poteſt infinito tempore tranſiri; quolibet enim temporis momento unum ſpatij punctum conficiam, ergo mille inſtantibus mille puncta ſpatij, ergo finita puncta ſpatij finitis inſtantibus, non ergo infinitis.

Multa

Multa solent ad hæc responderi, sed illa tam parum habent probabilitatis, ut pigeat ea proferre, & solvere.

VI. *Quæritur 4.* Quis sit modus *incipiendi*, & *desinendi* rerum?

Resp. De modo, quo res *incipiunt*, & *desinunt*, servandæ sunt hæ regulæ.

Prima. Res dicuntur *intrinsecè* incipere, quæ *incipiunt* per *primum sui esse*, ita ut verum sit dicere: *Res jam est, & immediatè antè non fuit.* *Desinunt* verò *intrinsecè* per *ultimum sui esse*, ita ut verum sit dicere: *Jam est, & immediatè pòst non erit.* Hoc modo *incipiunt desinuntq;* res *permanentes*, & si aliquid uno tantùm instante duraret, eodem momento inciperet, & desineret, verum enim utrumque esset, vid. *Jam est, & immediatè antè non fuit:* & : *Jam est, & immediatè pòst non erit:* non tamen propterea eodem instanti res esset, & non esset, aliud enim est non esse, aliud desinere esse; quod enim desinit esse, adhuc est; sic v.g. forma ligni per ultimum sui esse desinit in instanti *A.* & forma ignis incipit per primum sui esse in instanti *B.* nec, ut suprà dixi, repugnat duo instantia temporis sibi immediatè succedere, *tùm* quia tempus realiter nihil aliud est, quàm instans (præteritum enim, & futurum non sunt aliquid reale, sed nihil, quia non existunt) *tum* quia tempus rerum permanentium & corruptibilium non distinguitur ab earum duratione, nec duratio ab earum entitate; sicut ergo hæc est indivisibilis, ita & eorum duratio, ac tempus *intrinsecum.*

Regula 2. Res *successiva*, v.g. motus, *incipiunt* per *ultimum non esse*, ita ut verum sit dicere: *Motus jam non est, immediatè pòst erit.* *Desinunt* verò per *primum non esse*, ita ut verum sit dicere: *Motus jam non est, sed immediatè priùs fuit.* *Ratio est*, quia motus constat ex esse & non esse (in omni enim ente successivo aliæ partes sunt, aliæ transeunt) ergo non potest *incipere* per solum esse, annus v.g. non potest esse per solum diem, sed per dies, qui transierunt, & per ultimum instans, quod omnes dies anni claudit: sic etiam non potest motus desinere per *ultimum sui esse*, quia nunquam est verum dicere, *Motus jam est, & immediatè pòst non erit*, cùm nunquam de motu verum sit, eum in instanti esse, cùm sit essentialiter divisibilis, & successivus. Eodem modo res permanentes, quæ incipiunt

cipiunt & desinunt motu successivo, ut calor, quantitas &c. eodem inquam modo ac motus incipiunt, desinuntque, si considerentur in *fieri*, sic enim sunt ipse motus successivus; *secùs* si considerentur in *facto esse*, & respectu certi, ac determinati gradûs, sic enim sunt entia permanentia, & eodem modo incipiunt, ac desinunt, quo res permanentes. Alij aliter loquuntur, sed ferè tota quæstio non est *rei*, sed *nominis*.

§. XII.

De Generatione, & Corruptione.

SUMMARIA.

1. *An, & quid sit generatio?*
2. *Non distinguitur ab alteratione:*
3. *Ejus terminus adæquatus est Totum subsistens,*
4. *Subjectum materia prima;*
5. *Ad quam in omni generatione substantiali omnium accidentium fit resolutio.*
6. *Diluuntur potissimæ objectiones.*
7. *Quid sit alteratio?*
8. *Et an motus continuus?*
9. *Intensio, & remissio qualitatum à majori, vel minori radicatione in subjecto petenda est:*
10. *Quas agentia naturalia sphæricè diffundunt.*
11. *Quid, & quot modis dicatur corruptio?*
12. *Definitio generationis viventium expenditur:*
13. *Quædam observanda circa generationem:*

14. Ra-

14. Rarefactionem.

15. Mistionem.

16. Et nutritionem individuorum.

17. Individuatio à signatura materiæ desumenda est.

18. Quidquid dicant alij.

I.

Q*Uæritur 1. An*, & *quid* sit *Generatio?*

Resp. 1. Dari Generationem substantialem jam suprà probatum est, & negari non potest, si dari materiam, & formas substantiales admittas, quod jam suprà demonstratum, res enim sublunares cùm sint corruptibiles, speciem suam generando conservant; & cùm in eodem mixto dentur qualitates contrariæ, se mutuò corrumperent, nisi in debita harmonia, & proportione à forma substantiali continerentur: hinc ille appetitus omnibus entibus naturaliter inditus ad producendum sibi simile, ut aliquam perpetuitatem, saltem quoad speciem, consequantur. Vide S. Thomam *1. p. q. 76. a. 3.*

Resp. 2. Definitur Generatio, quòd sit *mutatio à privatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia.* Transubstantiatio igitur & Conversio non sunt propriè loquendo generationes, quia in ijs commune subjectum non reperitur, quod tamen ad mutationem requiritur, est enim generatio essentialiter mutatio, quia materia per generationem aliter se habet, quàm antè; sive quia aliquo tempore formam generatam non habuit, ut plerumque fit, sive quia licèt materia nunquam eâ formâ caruerit, ex se tamen erat indifferens, ut illam formam haberet, vel non haberet, & ita cùm essentialiter sit pura potentia, per formam reducitur in actum, & ita privatio formæ semper in aliquo instanti naturæ præcedit ejus generationem, quod sufficit ad mutationem.

II. *Quæritur 2.* Quomodo *Generatio* distinguatur ab *Alteratione?*

Resp. Generatio substantialis probabiliùs non est actio distincta ab *alteratione*, sed eadem calefactio v. g. quæ producit in ligno calorem ut 8. producit etiam formam ignis.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *opusc. 32. de nat. materiæ.* & *1. p. q. 118. a. 2. ad 4.* & *quæst. un. de an. a. 12.* & *l. 1. de generat. text. 59.* 2. Substantia non producit *immediatè* effectum substantialem, sed per accidentia velut instrumenta innata: Sicut ergo calor ut instrumentum ignis est proximum principium ignis geniti, ita calefactio est actio generativa ignis, nec aliâ generatione opus est, quæ à calefactione realiter distinguatur; si enim calor est generans, cur calefactio non sit generatio? Ut tamen calefactio terminatur ad substantiam, est actio instantanea, quia forma substantialis in instanti producitur, cùm partes non habeat: ut verò calefactio est alteratio & productiva caloris, sic habet rationem motûs & successionis, quia calor non totus & simul producitur.

Objicitur. Docent Thomistæ, accidentia, quæ præcesserunt in corrupto, non manere in genito: si ergo calefactio & calor in instanti *A.* cùm producitur in materia ligni forma ignis, jam corrupta sunt, quomodo concurrunt *effectivè* ad productionem ejusdem formæ ignis? quod enim non est, operari non potest.

Resp. In sententia Thomistarum accidens, v. g. calor, non ideo dicitur esse in toto composito, quasi inhæreat duobus subjectis, materiæ vid. & formæ, sed quia inhæret quidem soli materiæ tamquam potentiæ, & principio passivo, ita tamen, ut materia existens existentiâ formæ non sit completum & aptum subjectum recipiendi accidentia, nisi per formam: sicut ergo materia non corrumpitur, quamvis recipiat alias & alias formas, & consequenter alias & alias existentias, ita nec accidentia corrumpuntur, quando transeunt de una ad aliam formam, quia inhærent materiæ, & quælibet forma succedens æquè materiam habilitat, & reddit subjectum existens, completum, capaxque recipiendi accidentia. *Vel* etiam dici potest, admissâ sententiâ Thomistarum, formam genitam ignis produci non ab alteratione, & calore præcedente, qui perijt, sed ab igne generante, vel ejus diffusa virtute, quæ semper reperitur in instanti generationis, & præcedentem alterationem complet. *Alij* denique dicunt, dispositiones in instanti *A.* quo adhuc sunt, agere, & producere formam substantialem, quæ incipit in instanti *B.* quo dispositiones non ampliùs sunt: agunt ergo quando sunt, hoc est, in instanti *A.* licèt effectus

effectus existat, quando amplius non sunt, hoc est, in instanti *B.* neque hoc est absurdum, nam & ignis v. g. non agit in loco ubi est, sed in loco immediatè proximo ubi non est; ignis enim calefaciens aquam non est in loco aquæ, aliàs corpus naturaliter esset in duobus locis, sed in loco proximo aquæ, sed de hoc inferiùs.

Adverte, ratione alterationis præcedentis & dispositionum dici rem generari, seu esse *in fieri*, & quò magis crescunt dispositiones, eò magis receditur à termino *à quo* & acceditur ad terminum *ad quem* seu ad formam genitam, & *in facto esse.* Et quamvis generatio sit unica tantùm actio, diversæ tamen in illa formalitates reperiuntur, habet enim rationem *Conversionis*, quatenus una forma in aliam convertitur; *Mutationis*, quatenus materiam reducit de potentia in actum; *Productionis*, quatenus totum compositum producit; *Eductionis*, quatenus formam dependenter à materia educit; *Unitionis*, quatenus formam non utcunque producit, sed ut materiæ communicatam; & denique *Corruptionis*, quia *generatio unius est corruptio alterius.*

Distinguitur tamen formalitas *Generationis* à formalitate *Conversionis*, quia hæc est necessariò inter duos terminos positivos, quorum unus in alium convertitur: Generatio autem est essentialiter tantùm à privatione ad formam, quamvis ordinariè & ipsa fiat inter duos terminos positivos, ita ut generatio unius formæ sit corruptio alterius.

III. *Quæritur* 3. Quis sit *terminus* Generationis?

Resp. Terminus Generationis *principalis*, & *adæquatus*, & *ut quod*, est *totum compositum*, prout etiam subsistentiam complectitur, tamquam terminum, & complementum naturale ipsius naturæ: quamvis ergo terminus generationis *proximus* & *partialis* sit *forma* (per hanc enim passum assimilatur agenti) *adæquatus* tamen est *totum*, & ita non forma leonis, aut ignis generantur, sed ipse leo & ignis.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 45. a. 1. & 4.* & *q. 7. de pot. a. 2. & 9.* & *3. p. q. 35. a. 1.* 2. Facit etiam communis loquendi modus apud doctos, & indoctos; nemo enim dicit leonitatem, aut igneitatem, aut humanitatem generari, sed leonem, ignem, homi-

nem, qui termini non solam formam, sed totum compositum, & suppositum designant. 3. Generatio est actio dans esse rei, ergo eo modo, quo res est, ita generatur; sed forma non habet esse separatum, sed communicatum materiæ, ergo producitur ut communicata (hoc autem est compositum) & ut subsistens, nam & subsistentia pertinet ad esse, cùm sit terminus naturæ: cùm ergo terminus adæquatus generationis sit ille, in quo generatio sistit, & quiescit, nec quiescat nisi terminum perfectè produxerit, nec perfectè sit productus, nisi ut subsistens, sequitur &c.

Unio verò formæ cum materia non est terminus *formalis* generationis, sed tantùm applicatio & conditio *sine qua non*; unio enim non assimilat passum, sed natura genita. Cùm Beatissima Virgo genuit Filium Dei, non genuit quidem ipsam Divinam subsistentiam (hæc enim est æterna, & improducta) sed genuit naturam, cui debebatur subsistentia humana, & cujus locum, & munus suscepit subsistentia Divina, & ideo est vera Mater DEI; sicut Petrus generans hominem est verus pater hominis; quamvis enim non generet formam hominis, hoc est, animam rationalem, generat tamen corpus, cui anima rationalis naturaliter debetur. Vide S. Thom. *3. p. q. 31. a. 5.* & *q. 32. a. 4. q. 33. a. 3.*

Dices 1. Generatio est actio productiva, ergo ille est terminus generationis, qui producitur; sed per generationem sæpè nihil aliud producitur, quàm unio; in generatione enim humana nec materia, nec anima producitur, sed sola unio substantialis: dispositiones verò accidentales nequeunt esse terminus actionis substantialis.

Resp. Generationem non semper esse productionem, nam in Divinis natura Divina est terminus *quo* Generationis (in illa enim Filius Patri assimilatur) ut docet S. Thom. *1. p. q. 39. a. 5.* nec tamen producitur, sed tantùm communicatur. *Deinde* actio generativa, & disponit materiam, eam organizando, de quo vide S. Thom. *1. p. q. 118. a. 2. ad 4.* & *l. 2. contra Gent. c. 89.* & insuper *intrinsecè* terminatur ad animam rationalem, non quidem eam producendo, aut creando (id enim creaturæ repugnat) sed uniendo materiæ quatenus est forma materiæ, ab istaque dependet in informando, & operando; si enim non repugnat animæ rationali esse

esse formam corporis, quare repugnet esse terminum actionis corporeæ? maximè cùm non producatur, sed tantùm corpori uniatur; sicut qui calcem parieti illinit, est vera causa dealbationis, quamvis albedinem in calce non producat, sed illam tantùm parieti uniat. Vide Cajetan. *1. p. q. 118. a. 2.* & Conimbr. *de Generat. l. 1. c. 4. q. 13.*

Dices 2. Si terminus adæquatus Generationis est natura humana, quomodo ergo differt generatio hominis ab hujus creatione, & resurrectione? habent enim eumdem terminum.

Resp. Generatio non utcunque naturam producit, aut unit, sed immutando, alterando, organizando materiam, eamque non qualemcunque, sed certam, & determinatam, & in certis, ac determinatis locis seu vasis: natura ergo humana ut dicit ordinem ad has transmutationes, organizationes, & materiam, sic est terminus generationis, & non aliter: sic imago rerum est terminus sculpturæ & picturæ, sed aliter & aliter, & ideo multùm differt sculptura à pictura.

IV. *Quæritur 4.* Quodnam sit *subjectum* Generationis?

Resp. Generatio recipitur in *materia prima* tamquam in *subjecto.*

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *l. 1. de Generat. c. 4. lect. 10.* & *8. Metaph. lect. 1.* & *1. p. q. 45. a. 2. ad 2.* & *q. 3. de pot. a. 3.* *2.* Ibi est generatio, ubi est forma genita (sicut ibi est actio sculpendi, ubi est imago sculpta; & ibi est actio pingendi, ubi est imago picta) sed forma genita est in materia, ergo etiam generatio; actio enim est *modus, & fieri* sui termini, ergo non potest à termino separari. *3.* Forma non educitur ex potentia totius compositi, sed tantùm ex potentia materiæ: eductio autem ibi est, ubi educit (sicut calefactio ibi est, ubi calefacit, & percussio ibi est, ubi percutit) sed educit ex materia, ergo est in materia tamquam subjecto. *4.* Generatio est essentialiter mutatio, ergo in eo subjecto est, quod mutat: sed mutat solam materiam, illud enim subjectum mutatur, quod modò est sub una forma, modò sub alia; hoc verò est sola materia prima. Potest tamen dici, etiam generationem, sicut alia accidentia, esse in toto composito, & non in sola materia, quia materia non existit, nisi per formam, ergo non est capax subje-

ctum recipiendi, nisi per formam, ergo etiam forma pertinet ad subjectum generationis, non quidem ut recipiens, sed ut principium habilitans materiam ad recipiendum, ita tamen ut materia sit tota radix, & ratio recipiendi; forma tota radix actuandi; accidens verò recipitur in subjecto ut est in actu.

Quamvis verò generatio sit in materia, & non in forma, non tamen denominat materiam genitam, sed formam, quia materia hujus denominationis est incapax (sicut anima rationalis, quamvis sit tota in oculo, non tamen oculum denominat intelligentem, & ratiocinantem) materiam verò denominat *subjectum generationis*.

V. *Quæritur 5.* Utrum in *Generatione* substantiali fiat *resolutio usq; ad materiam primam?*

Resp. Probabilius est, in omni *generatione* fieri *resolutionem usque ad materiam primam. Nota*, sicut cùm pictor vult aliquam imaginem tabulæ inducere, omnes alios colores, & figuras, quibus tabula imbuta erat, priùs spongiâ extergit, & tunc pingit, sic cùm materia vult aliquam formam per generationem inducere, materiam priùs omni formâ substantiali, & accidentali spoliat, & tunc spoliatam novâ formâ induit: quamvis ergo lignum ab igne calefiat, rarefiat, alium colorem accipiat &c. in instanti tamen generationis omnia hæc accidentia pereunt, & cum forma ignis nova inducuntur, alius numero calor, alius numero odor, alia numero quantitas &c. Et hoc est resolutionem fieri usque ad materiam primam.

Ratio Conclusionis est 1. Expressa auctoritas S. Thomæ multis locis, sed præsertim *l. 1. de Generat. lect. 10.* & *l. 2. de Generat. text. 27.* & *1. 2. q. 74. a. 4. ad 3.* quam sententiam S. Thomas à duobus suis Magistris, æquè sanctis accepit Alberto M. *2. p. Summa de hom.* & Alexandro Alensi.

Neque obstat, quòd *3. p. q. 9. a. 3. ad 2.* dicat, *per calorem disponi materiam ad recipiendam formam ignis, quâ tamen adveniente calor non cessat, sed remanet.* Et *4. contra Gent. c. 81. ad 2. materiam primam post mortem manere sub iisdem dimensionibus*, hoc est, sub eadem quantitate.

Resp. Eumdem calorem manere in genito, non *numero*, sed *specie*,

ſpecie, ut ſe' explicat S. D. locis citatis. Materia verò poſt mortem manet ſub ijsdem dimenſionibus non quidem *formaliter*, ſed *radicaliter*, quia ordinatur ad eamdem numero animam in Reſurrectione recipiendam, & conſequenter ad eamdem numero quantitatem, niſi aliqua deformitas, aut imperfectio obſtet, ut in pueris.

2. Accidentia quæ in genito reperiuntur, omnia dimanant à nova forma ſecundùm ejus gradum ſpecificum (v. g. calor ut 8. ſiccitas, levitas &c. à forma ignis geniti) vel ſecundùm ejus gradum genericum, v. g. quantitas, quæ comitatur formam, ut eſt corporea; quod enim accidens mihi in igne reperies, quod non ab ejus forma dimanet? ergo hæc accidentia ſupponunt formam genitam, & ad eam conſequuntur, ergo non priùs erant in materia. Vide S. Thom. *1. p. q. 76. a. 6. ad 1.* Quodſi accidentia, quæ diſponunt materiam ad formam ignis v. g. non manent in materia, ſed pereunt, & eorum loco ſuccedunt accidentia, & proprietates formæ genitæ, quantò minùs manebunt alia accidentia, quæ non diſponunt materiam, & conſequenter minùs connexa ſunt cum materia?

Dices, accidentia ſaltem aliqua communia, & merè contingentia manent in materia etiam poſt generationem novæ formæ, experimur enim ignem ex ſulphure, pulvere nitrato, lignis odoratis accenſum retinere aliquas qualitates formæ corruptæ, colorem vid. odorem, impetum &c. Idem dicas de aquis diſtillatis, aqua enim roſacea odorem, & qualitates roſæ ſpirat; unde ergo igni qualitates ſulphuris, aut aquæ qualitates roſæ, niſi quia accidentia formæ corruptæ (ſulphuris vid. & roſæ) manent & inhærent materiæ etiam poſt novæ formæ generationem? non ergo in generatione fit reſolutio usque ad materiam primam.

Reſp. Accidentia communia, & merè contingentia quod attinet, major eſt difficultas, an etiam illa recedant & pereant novâ formâ adveniente, nec unquam de illis S. Thomas loquitur. *Dico* tamen ad argumentum, qualitates ſulphuris v. g. igni genito adhærere, non quòd formâ ſulphuris corruptâ non etiam ipſæ corruptæ ſint; cùm enim ſint proprietates formæ ſulphu-

phuris, & ab hujus influxu pendeant, cum sua forma, & veniunt & recedunt; sicut lux solis, quia ejus proprietas est, cum sole & venit, & recedit; sed quia ignis generans agendo in sulphur reparitur à sulphure, ejusque qualitatibus imbuitur, quas deinde in novum ignem derivat: sic qui aromata, aliósve odores miscet, & ipse ijsdem odoribus imbuitur, & etiam alijs adspergit: & speculum à sole illustratum proximum aërem illuminat, non quòd speculo lux aliqua secundùm se competat, sed quia lucem aliunde accepit.

3. Si eadem accidentia manent in genito & corrupto, maximè maneret eadem quantitas (huic enim *immediatè* inhærent alia accidentia, ut patet in accidentibus Eucharisticis) sed non manet eadem quantitas, aliàs materia firmiùs uniretur quantitati, quæ est merum accidens, à qua materia non specificatur, & cum qua non componit unum per se, quàm formæ substantiali; cùm tamen experiamur ea firmiùs uniri, & difficiliùs separari, quæ magis sunt unum; & ideo facilius in acervo lapidem à lapide separabis, quàm in continuo, v. g. in scopulo, aut monte, quia partes in continuo sunt magis unum, quàm in acervo.

Deinde experientiâ patet, cùm ex trunco v. g. flamma, aut ignis generantur, longè aliam esse quantitatem, figuram, molem, densitatem trunci, quàm ignis; si ergo in omni corruptione perit quantitas, multò magis alia accidentia, quæ *mediante* quantitate inhærent. Multæ aliæ rationes à Thomistis afferuntur, quæ non videntur urgere.

V I. *Objicitur 1.* Si eo temporis puncto, quo forma materiæ inducitur, nullum manet accidens eorum, quæ materiam priùs disponebant, sequitur formam induci materiæ indispositæ (parum enim interest dispositiones præcessisse, si non adsunt cùm forma generatur; sicut parum interest longo tempore alimenta præparari, si quo tempore comedendum est, subtrahantur) & materiam in instanti generationis ad omnes æquè formas indifferentem esse; nulla enim dispositio adest, à qua ad hanc potiùs, quàm illam formam determinetur.

Resp. Cùm ignis *A.* ex ligno generat ignem *B.* dispositiones præcedentes multùm conferunt ad generationem ignis *B.* *Primò*

Primò, quia expellunt qualitates ligni, & tandem ejus formam; hæc verò expulsio fit *tum activè*, quia ignis *A.* producit *effectivè* calorem in ligno, *tum formaliter*, quia calor, & aliæ qualitates dispositivæ sunt incompossibiles cum accidentib⁹, & forma ligni; sicut verò forma ignis ita expellit formam ligni, ut tamen non sit in eodem instanti cum forma ligni (non enim, saltem *naturaliter*, possunt in eadem materia esse duæ formæ substantiales) sed ut forma ignis succedat formæ ligni; ita calor ut 8. expellit formam ligni, non ita ut simul sit cum forma ligni, sed quia succedit formæ ligni: ipse verò calor ut 8. consequitur formam ignis tamquam ejus proprietas, aliàs in eodem igne essent duo calores ut 8. prior qui expulit antecedenter formam ligni, alter qui est proprietas ignis geniti. *Secundò.* Calor ut 7. proximus ultimæ dispositioni, hoc est, calori ut 8. non quidem virtute propriâ, sed ut instrumentum ignis *A.* generantis eodem momento destruit in materia ligni formam ligni, & inducit formam ignis unà cum calore ut 8. in puncto ergo generationis materia optimè est disposita, ut recipiat formam ignis potiùs, quàm aliam, quia cùm nuda sit omnibus accidentibus, & illi applicetur ignis *A.* maximè est disposita, ut potiùs formam ignis, quàm aquæ recipiat: sicut hydria v. g. tunc maximè est disposita, ut vinum potiùs, quàm oleum aut aquam recipiat, quando est vacua, & illi vinum, non aqua, aut oleum infunditur. Dispositiones ergo ideo ponuntur, non ut sint cum forma genita, sed ante illam: sicut motus ad centrum ponitur, ut grave constituatur in centro, non autem ut motus etiam in centro duret: & semen ponitur, ut ex ipso nascatur planta, non autem ut sit idem numero cum planta (priùs enim corrumpitur, quàm planta nascatur) sed tantùm idem specie: sicut ergo mobile quamprimum est in centro, non ampliùs est motus, ita dispositiones in illo instanti, quo est forma genita, desinunt esse: calor tamen consequens formam ignis, hoc est, calor ut 8. aliæque dispositiones etiam ipsæ concurrunt ad conservandam formam genitam, quia vid. requiruntur ad tuendam unionem inter materiam, & formam, cùm forma non sit nisi in materia apta; *deinde* quia forma per illas agit, suumque bonum procurat & à contrarijs se tuetur; per virtutem enim motricem

quærit locum sibi convenientem; per calorem resistit externo frigori; per raritatem eludit divisionem, & omnem actionem contrarij &c. Et ita patet responsio ad objectionem.

Objicitur 2. Si datur resolutio usque ad materiam primam, ergo corruptâ formâ substantiali omnia simul perirent accidentia, quæ illam comitabantur; at hoc sensibus, & experientiæ repugnat, mortuo enim homine manent & videntur omnia accidentia, quæ priùs in illo erant, eadem quantitas, eadem statura, idem in crinibus color, eædem cicatrices: quis rogo hæc accidentia semel destructa tam citò produxit? & tam similia? & quo fine? nec enim debentur cadaveri, & quem in usum paulò pòst peritura?

Resp. Forma cadaveris ideo animæ succedit, ne materia omni prorsus formâ substantiali destituatur: quis non videt, quantâ velocitate extincto igni succedat fumus, & vacuo locali impediendo omnia elementa contra naturam moveantur? hoc verò est cadaver animæ, quod fumus igni, nec minùs natura à vacuo *formali* quàm *locali* abhorret. Caro ergo viva in homine & mortua in cadavere tantum differunt, quantum color verus & color apparens; differunt ergo specie, caro enim viva est apta ad sentiendum, movendum; caro verò mortua ad hos motus inepta, differt ergo specie, licèt eadem videatur.

Sed quis producit formam cadaveris? *aut* cœlum, sicut & ranas, & serpentes, & alia quæ ex putrido generantur: *aut* temperamentum calore naturali destitutum, sicut igne extincto cinis, & fumus: *aut* ille, qui vulnus inflixit, *aut* aliam causam mortiferam applicavit, hæc enim dissoluto temperamento ut est causa mortis, ita est causa cadaveris; sicut qui aquam igni affundit, non tantùm est causa ignis extincti, sed etiam fumi, fætoris, ac cineris ex igne relicti. Vide Conimbr. *l. 1. de Generat. c. 4. q. 20. a. 3.*

Cur forma cadaveris potiùs quàm alia producitur? quæram & ego, cur igni extincto forma potiùs fumi, quàm alia succedit? *quia* vid. causa, & qualitas mortifera ad formam potiùs cadaveris, quàm aliam inclinat; est enim forma cadaveris imperfecta & media inter formam hominis v. g. & formam vermis, natura verò non pervenit ad extrema, nisi per media; sicut & gravitas licèt

habeat

habeat pro fine centrum, non tamen constituit immediatè in centro, sed paulatim & successivè.

Cur forma cadaveris cum ijsdem specie accidentibus, & omninò similibus producitur? *Quia* cùm non possit dari motus in instanti, non potest materia hominis in instanti, quo cadaver generatur, dimoveri nec secundùm totum, nec secundùm partes à loco, in quo priùs erat, exigit ergo eodem loco claudi; eo ipso igitur debet habere eamdem quantitatem, figuram, raritatem, densitatem; similem quoque duritiem, ac mollitiem, quæ comitantur raritatem, & densitatem: debet etiam habere idem temperamentum primarum qualitatum, caloris ac frigoris, humidi ac sicci, ex quibus sequitur calor: calor verò qui in recenti cadavere notatur, oritur ex spiritibus & exhalationibus calidis, quæ cum homine non continuò corrumpuntur. Sicut ergo mobile non potest ab uno loco *immediatè* transire in alium quemcunque locum, sed solùm in loca propinqua, & tangentia, ita subjectum talibus accidentibus affectum non potest *immediatè* transire ad quæcunque alia accidentia, sed solùm ad propinqua, & similia.

Objicitur 3. Elementa symbola faciliùs invicem transmutantur, quàm elementa asymbola, v.g. aër faciliùs in aquam transmutatur (cui in humiditate communicat) quàm in terram: sed hujus nulla alia causa est, quàm quia eadem humiditas, quæ fuit in aëre corrupto, remanet in aqua recèns genita.

Resp. Veram causam esse, quia aqua in aërem agens unam tantùm habet qualitatem resistentem, vid. calorem aëris, non verò humiditatem, quia simile non resistit simili, sed quoad humiditatem aër & aqua sibi assimilantur.

Obiicitur 4. Ultima dispositio formam ligni v.g. expellens, & inducens formam ignis, in quo subjecto recipitur pro illo instanti, in quo formam ligni corrumpit, & inducit formam ignis? in ligno? ergo corruptâ formâ ligni, & ipsa corrumpitur; quomodo ergo pro eo instanti, in quo corrumpitur, & non est, potest causare formam genitam, & ad istam disponere? *si dicas* ultimam dispositionem recipi in subjecto, quod de novo generatur, *contra est*, quia talis dispositio est consequens, & proprietas formæ genitæ (v. g. calor ut 8. est proprietas formæ ignis, & hanc

consequitur) ergo non causat formam recèns genitam, nec antiquam corrumpit, sed corruptionem & generationem supponit, quod est contra rationem dispositionis, nihil enim disponit ad rem, quam supponit esse; quis enim dicat hominem disponi ad currendum per ipsum cursum, arborem disponi ad florendum per ipsum florem, aut fructum &c.?

Resp. Jam suprà dictum est, ultimam dispositionem causare formam genitam per hoc, quòd *formaliter* expellat formam antiquam, v. g. calor ut 7. expellit formam ligni, & per hoc disponitur materia, ut, cùm sit ab omni forma denudata, illique generans (aut saltem ejus virtus) applicetur, hanc potiùs formam, quàm aliam recipiat. Quando verò ex semine planta generatur, virtus activa seminis non est in toto semine, sed in spiritibus, qui in ipso semine includuntur, & istæ partes spirituosæ seminis agunt in alias seminis partes non spirituosas, velut in materiam, eásque formant, ita ut pars agens, & movens semper distinguatur à parte mota & patiente. Vide S. Thom. *1. p. q. 118. a. 1. ad 3.* & *4. de pot. a. 11.* præsertim *ad 8.*

VII. *Quæritur 6.* Quid sit *Alteratio?*

Resp. *Alteratio* propriè dicta bene definitur: *Motus ad qualitatem sensibilem, mediam, aut extremam.* Egimus de Generatione, quæ est finis alterationis, nunc de alteratione agendum. *Alteratio laxè* sumpta comprehendit omnes mutationes instantaneas (v. g. illuminationem) & spirituales, v.g. volitiones, intellectiones &c. per has enim omnes res aliter se habent, quàm antè. *Strictè* tamen loquendo accipitur pro mutatione successiva, quæ ad sensibilem qualitatem terminatur, qualis v. g. est calefactio, dealbatio &c. Alteratio ad qualitatem activam, v. g. calefactio, naturaliter tendit ad corruptionem unius, & generationem alterius, quia omne agens intendit sibi simile, quæ assimilatio fit per formam substantialem. Alteratio verò ad qualitates sensibiles non activas, quales sunt colores, sapores &c. non semper ad generationem diriguntur, ut patet. Vide S. Thom. *opusc. 37. c. 3.* & ideo quando Polypus, Chamæleon, aut Tarantus (de quo Plin. *l. 8. c. 34.*) in omnes colores rerum, quas attingunt, se se induunt, ea coloratio strictè loquendo non est alteratio,

ratio, *tum* quia non eſt inter qualitates contrarias, *tum* quia eſt inſtantanea, *tum* quia apparens, non vera, cùm enim illa animalia vento ſint plena, & pellem habeant pellucidam, colores non recipiunt, ſed referunt exhibéntque inſtar ſpeculi. Plutarchus tamen, alijque Polypum dicunt aut metu, aut dolo, ut fallat piſcatores, colorari. Vide Ariſtot. *l. 9. de hiſtor. animal. c. 37.* Plin. *l. 9. c. 29.* Ariſtot. *de part. animal. c. 5.*

Dicitur Alteratio eſſe motus, & conſequenter ſucceſſiva, ſecùs ac generatio; quamvis enim qualitas, v. g. calor habeat eſſentiam indiviſibilem, & ita quilibet gradus caloris ſit eſſentialiter calor, reſpectu tamen ſubjecti poteſt magis ac magis radicari, aut ſecundùm plures gradus participari, & ita latitudinem & ſucceſſionem admittit ac motui ſubeſt, & ita propriè dicta alteratio per ſe primò tantùm eſt ad paſſionem & patibilem qualitatem, in his enim ſolis datur contrarietas ſenſibilis, & conſequenter ſenſibilis motus, & ſucceſſio. Vide Joan. à S. Thoma *de Generat. q. 3. a. 2.*

VIII. *Quæritur 7.* Utrum Alteratio fiat *continuò?*

Reſp. Alteratio eſt motus continuus, & non interruptus. Falſa ergo eſt eorum ſententia, qui dicunt, cùm ignis alterat, & calefacit aquam, ignem in inſtanti *A.* producere in totam aquam ſibi æqualiter applicatam minimum calorem, deinde aliquanto tempore quieſcere, & in inſtanti *B.* producere ſecundum gradum caloris, & ſic deinceps. Sed *ratio* noſtræ Concluſionis eſt *1.* Quia ignis æqualiter applicatus aquæ non eſt ratio, cur non ſemper agat, & cur potiùs hoc inſtanti agat, alio quieſcat. *2.* Motus localis, ſi nihil obſtat, eſt continuus, nec morulis interrumpitur, ut cùm molaris ex alto cadit, cur non motus alterationis? *3.* Corpus aliquod luminoſum continuo motu locali magis magiſque aëri admoveatur, quò vicinius fuerit, eò magis illuminabit (cur enim illuminet in inſtanti *A.* partes remotas, & in inſtanti *B.* immediatè ſequenti non illuminet partes vicinas?) ergo ſicut motus localis, ita & actio illuminativa eſt continua, nec interrupta. *Idem dicas* de igne calefaciente, ſive jam calefaciat calorem continuò producendo, ſive materiam rarefaciendo, aut aliàs diſponendo &c. Quando igitur alteratio eſt de una qualitate

litate ad aliam qualitatem per mediam qualitatem, v. g. de nigro ad album per pallorem, primum quod producitur, est pallidum imperfectum, quando vid. incipit albedo deflorescere, & à sua naturali perfectione deficere: & quamvis quilibet gradus albedinis, aut nigredinis sit forma indivisibilis, & permanens, ut tamen est in subjecto semper magis ac magis perfectibili, & pendet à causa, quæ non in instanti operatur, nec producit totum effectum quem potest, sic habet sufficientem divisibilitatem, & potest motui subjacere, ut etiam patet in motu locali.

IX. *Quæritur 8.* Unde petenda sit intensio, & remissio qualitatum?

Resp. Dari intensionem & remissionem qualitatum certum est. Patet hæc Conclusio ad sensum, nec eget aliâ probatione. Cæterùm *quomodo* hæc intensio fiat, magna est apud Philosophos concertatio. *Antiqui* dicebant, nullam qualitatem verè intendi, sed tantùm apparenter: aquam v. g. non magis, ac magis calefieri nisi per admixtionem corpusculorum calidorum & igneorum; sicut cùm vinum aquæ miscetur, partes aquæ non verè colorantur, sed tantùm miscentur particulis vini. *Alij* intensionem qualitatis nihil aliud esse dicunt, nisi separationem à contraria qualitate v. g. aquam magis calefieri, quantò plus frigoris amittit. *Alij* intensionem fieri per hoc, quòd qualitas minùs perfecta mutetur in perfectiorem, v. g. arcum fieri magis curvum per hoc, quòd curvitatem minorem, & imperfectiorem amittat, majorem verò acquirat. *Alij* negant intensionem per hoc fieri, quòd gradus gradui addatur, sed quòd eadem indivisibilis qualitas magis ac magis in subjecto radicetur. *Alij* qualitatem, v. g. calorem per hoc intendi, quòd gradus caloris gradui addatur.

Verior mihi & *probabilior* sententia est, qualitatem intendi non per additionem gradûs ad gradum, sed *per majorem radicationem in subjecto*, per hoc, quòd eadem & simplex qualitas caloris perfectiùs actuet subjectum, illudque sibi assimilet; sicut anima rationalis quò perfectiùs subjectum aliquod actuat, eò plures ei gradus, & perfectiones, ac operationes communicat, & ideo anima magis est in capite, quàm in pede, magis in oculo, quàm in ungue &c.

Ratio

Ratio Conclusionis est 1. Auctoritas S. Thomæ multis locis. *1. d. 17. q. 2. a. 2.* & *q. 1. de virtut. a. 11.* & *1. 2. q. 52. a. 2.* & *2. 2. q. 23. a. 5.* & *ad 3.* Adducam tantùm aliqua verba D. Thomæ ex *2. 2. q. 24. a. 5.* ubi ex professo quærit, an aliqua qualitas v. g. augeatur per additionem. En tibi quæstionem nostram in suis terminis propositam. Respondet in Corp. *Nullo modo charitas augeri potest per additionem charitatis ad charitatem, sicut quidam putant. Charitas ergo augetur solùm per hoc, quòd subjectum magis ac magis participat charitatem, id est, secundùm quod magis reducitur in actum illius & magis subditur illi.* Et *ad 3. Augmentatio charitatis importat mutationem secundùm magis ac minus habere, & ideo non oportet, quòd aliquid insit, quod priùs non infuerit, sed quòd magis insit, quod priùs minùs inerat.*

Dices: S. Thomas *2. 2. q. 24. a. 4. ad 3. Quidam,* inquit, *dixerunt charitatem non augeri secundùm essentiam, sed solùm secundùm radicationem in subjecto, sed hi propriam vocem ignoraverunt &c.*

Resp. Solutionem ex ipso S. Thoma manifestam esse, subdit enim: *Nihil est aliud, Charitatem secundùm essentiam augeri quàm, eam magis inesse subjecto*, quod est eam magis radicari in subjecto. Et *a. 5. in fin. Corp. Charitas augetur per hoc, quòd intenditur in subjecto, & hoc est ipsam augeri secundùm essentiam, non autem per hoc quòd charitas addatur charitati.* Vult ergo S. Thomas, augmentum qualitatis non fieri per additionem qualitatis, sed tantùm per majorem radicationem in subjecto, & hoc est augeri per essentiam, quia accidentis esse est inesse. Et *3. p. q. 7. a. 12.* admittit gradus in calore, sed tantùm majoris, aut minoris radicationis: sicut in anima licèt non sint gradus realiter distincti, habent tamen varios gradus informandi, & ita alium gradum vitæ tribuit oculo, alium capiti, alium ossibus, alium pilis &c.

2. Nihil est novi, imò frequentissimum, ut eadem forma *entitativè* immutata aliter, & aliter subjecto communicetur: anima rationalis multò perfectiùs, & in ordine ad plures & perfectiores operationes oculum informat, quàm pilum, & adhuc multò perfectiùs informat caput, & tamen est eadem entitas animæ. Quantitas eadem & immutata jam majorem jam minorem occupat locum, ut patet in rarefactione, & condensatione. Species visibiles in aëre non repræsentant vitaliter objectum, sed tantùm

in oculo, cur ergo non possit eadem & immutata forma qualitatis subjectum jam magis jam minùs calidum reddere pro majori illius, aut minori dispositione, quam à generante accipit? & *ratio à priori* est, quia sicut causa efficiens non agit nisi in subjectum dispositum, & quò magis dispositum est, eò magis agenti assimilatur, ejusque influxum recipit (& ideo ignis fortiùs in paleam, quàm in ferrum agit) ita & causa formalis non recipitur nisi in subjecto disposito, & quò magis subjectum est dispositum, eò perfectiùs illi forma communicatur, ut etiam videre est in formis artificialibus, nam forma sigilli in aqua omnino non recipitur, in argilla utcunque, & confusè, in cera optimè & distinctissimè. Idem accidit in alterationibus; primus enim gradus caloris nihil aliud est, quàm tota & indivisibilis forma qualitatis in ligno v. g. recepta, sed adhuc imperfectè disposito, & cum admixtione contrariarum qualitatum, quæ perfectam communicationem caloris impediunt; quò ergo magis ab igne generante lignum disponitur, per rarefactionem v. g. & expulsionem contrarij, eò perfectiùs & magis forma caloris subjectum sibi assimilat, illique communicatur, & hoc est intendi seu radicari; quò enim perfectiùs forma subjecto inest, eò difficiliùs separari potest.

3. Certum est, ut modò ostendi, subjecto magis disposito formam magis etiam communicari, sicut econtrà omnino indisposito omnino non communicari. Ponamus ergo ex sententia Adversariorum unicum gradum caloris in subjecto disposito ut 1. deinde illo gradu caloris immutato, nec aucto, subjectum disponatur ut 2. gradus caloris utique magis subjectum calefaciet, quàm antè, quia magis dispositum (sicut idem ignis *A.* magis agit in paleam, quàm ferrum, quia illa magis disposita) & ita calor calefaciet ut duo: & ob eamdem rationem, si subjectum per continuam generantis actionem disponatur ut 8. ille unicus gradus calefaciet ut 8. non igitur ad intensionem requiritur additio graduum.

Confirmatur exemplo lucis. Idem radius solis, qui vix manui calefaciendæ par est, si tamen speculo parabolico, tersoque excipiatur, aut globo vitreo aquæ pleno, adeò calorem intendet,

det, ut igniat & incendat etiam remota, nec ob aliam causam, quàm quia speculum est subjectum recipiendæ luci multò aptius, quàm sit manus, & ita magis in speculo, quàm in manu radicatur. *Dices*, calorem radij magis intendi, quia plures radij in speculo colliguntur, quàm in manu. *Contra.* In speculo plano, aut globo vitreo radij potiùs dilabuntur quàm colligantur, si de concavis loquamur, cur non eamdem intensionem in ligno aut ebore concavo experimur? æquè enim in illis radij concurrunt, ergo major intensio reducenda est in subjecti majorem dispositionem.

4. Etiam actus intellectûs & voluntatis æquè ac calor & aliæ qualitates intenduntur: sed actus intellectûs & voluntatis intendi non possunt additione gradûs ad gradum, quilibet enim gradus cognitionis est cognitio, ergo est imago objecti; aut ergo secund⁹ gradus eodem modo repræsentat objectum, quo primus, aut magis repræsentat, quàm primus? si hoc? jam est alia & distincta cognitio, non intensio prioris, sicut non potest esse eadem imago, quæ Cæsarem magis, & quæ minùs exprimit. Si eodem modo ac primus gradus cognitionis? ergo cognitio non fit intensior, ac perfectior, quia nihil magis in objecto repræsentat, quàm prior: sicut si eadem Cæsaris imago millies replicetur, aut in mille speculis appareat, non evadit perfectior, nec majorem Cæsaris notitiam in me relinquit, quia semper & eodem modo Cæsarem repræsentat.

Objicitur. Intensio caloris v.g. est motus realiter distinctus à prima ejus productione, & est vera ac realis alteratio, ergo aliquem calorem realem producit à primo calore distinctum; cur enim ignis generans æqualiter & longo tempore ligno applicatus primis tantùm momentis calorem producat, postea cesset & sterilescat?

Resp. Producto semel calore subjectum non est ampliùs capax alterius caloris, & ita cessat ejus productio, non ex defectu ignis applicati, sed incapacitate materiæ; sicut figurâ semel marmori impressâ non potest alia imprimi, non quòd ars & potentia artificem deficiat, sed quia materia non capit. Ignis ergo producto calore subjectum magis magisque disponit illud rarefaciendo,

expellendo duritiem, frigus, figuram, aliasque qualitates perfectæ radicationi & communicationi formæ obstantes: sicut enim dulce amaro mixtum, quò magis ab amaro separatur, eò dulcius est, & sculptor figuræ marmori incisæ non aliam figuram addit, sed primò incisam pulchriorem magisque spectabilem reddit marmor poliendo, cavando, tergendo, ita calor semel inductus magis magisque incalescit & intenditur, ac tandem ignescit subjecto perfectè disposito. Eodem & proportionali modo fit remissio; sublatis enim dispositionibus frigori necessarijs positisque impedimentis aut intrinsecis aut extrinsecis, quæ frigori obstant, necessariò frigus remittitur, hoc est, minùs perfectè subjecto communicatur. Cur verò solæ qualitates intendantur, & cur non omnes, videri potest Suarez *Metaph. d. 46. q. 2.*

X. *Quæritur 9.* Quis sit *modus agendi* agentium naturalium?

Resp. Certum est, agentia naturalia diffundere actionem suam & qualitatem *sphæricè*, seclusis vid. impedimentis, ita ut qualitas quaquaversum diffusa constituat sphæram solidam, in cujus medio seu centro sit ipsum agens naturale, v. g. si lucerna ponatur in medio aëre, lux undique sursum deorsum, ante & retrò, ad Occidentem, Orientem, Austrum & Aquilonem diffusa constituet sphæram solidam, cujus centrum lucerna occupabit.

Ratio est, quia lux diffunditur per radios æqualis longitudinis in omnem partem (cùm non sit ratio, cur radius tendens in unam partem sit longior alio in aliam partem tendente; nec etiam sit ratio, cur lucerna in Orientem potiùs, quàm Occidentem radiet) sic id, à quo omnes lineæ undique ductæ sunt æquales, se habet ut centrum, & quod à centro in omnem partem æqualiter distat, est sphæra. Sphæra autem activitatis respectu validiorum agentium est major, & ideo sphæra solis est multò major, quàm sphæra lunæ, aut lucernæ. Diffundunt etiam causæ naturales suas qualitates *uniformiter difformiter*, ut patet experientiâ, hoc est, in partes æqualiter distantes æqualiter agunt, in partes inæqualiter distantes inæqualiter; lucerna v. g. colores 11. pedibus distantes æqualiter sursum, deorsum &c. illuminabit ut 6. distantes verò pedibus 14. illuminabit ut 10. non ergo æqualiter illuminat minùs & magis distantia, sed quò major est distan-

distantia, eò magis decrescet illuminatio, non quidem proportione *arithmetica* (ita v. g. ut quod distat 14. pedibus, illuminet ut 10. quòd distat 15. pedibus illuminet ut 9. quod distat 17. pedibus illuminet ut 7. tot gradibus decrescente qualitate, quot gradibus crescit distantia) sed proportione *geometricâ*; v. g. si manum ardenti faculæ immediatè admoveas, senties calorem intolerabilem v. g. ut 6. si verò modicè manum dimoveas v. g. duobus gradibus aut duobus digitis, fit notabilissimum caloris decrementum (quia vid. calor ut 6. decrevit media ex parte usque ad calorem ut 3. quod decrementum est valde notabile) si verò duobus alijs digitis à flamma recedas, non experieris tantum decrementum, nec tam sensibile (quia vid. ex tribus gradibus media pars remittitur usque ad caloris gradum sesquialterum, quod decrementum est multò minus, nec adeò sensu notatur, & ita quò magis à flamma recedes, eò minor erit calor, sed decremento vix sensibili: vides ergo passo æqualiter recedente, hoc est, semper per duos digitos, non æqualiter æqualitate *arithmeticâ* qualitatem remitti per duos gradus, sed tantùm *proportionaliter*, primò per tres gradus, deinde per unum cum dimidio &c. donec pervenias ad ultimum & minimum sensibile qualitatis: sicut in pyramide à basi usque ad fastigium ejus latitudo decrescit, donec in cuspidem, & punctum desinat: & sicut in pyramide, aut cono partes quæ à basi æqualiter distant, æqualiter sunt latæ, quæ inæqualiter distant, inæqualiter sunt latæ; ita passum inæqualiter ab agente distans inæqualiter alteratur, æqualiter distans æqualiter alteratur, æqualitate tamen proportionis, ut suprà dictum; & ita videmus scorpium circulo ex ignitis carbonibus inclusum ad centrum recedere, quia hoc est à circumferentia remotissimum, & minimo calore tangitur: quod si æstu urgente à centro recedat, huc illucque discurret, & tandem ad centrum redibit, ibique, quantùm potest, se in orbem colliget & extinguetur. Et hactenus de Generatione & Alteratione, nunc aliquid de Corruptione dicendum.

XI. *Quæritur 10.* Quid sit *Corruptio*?

Resp. Bene definitur Corruptio: *Mutatio totius in non totum sub eadem materia.* Corruptio ergo est mutatio negativa, per

 quam

quam ex toto fit non totum, manente communi materiâ: quando enim homo corrumpitur, ex toto homine fit non homo, manente materia hominis.

Corruptio multis modis dici poteſt rebus, quæ corrumpuntur, naturalis. *1.* quia formas v.g. materiales corrumpi nec ab arte nec ſupra naturam eſt, ergo juxta naturam. *2.* quia materia appetit omnes formas, conſequenter appetit earum, quas habet, corruptionem; iſtis enim non corruptis alijs potiri non poteſt. Formæ tamen hoc modo corruptionem non appetunt, quia corruptio eſt illis mala & affert non eſſe, quod eſt omnium malorum naturalium peſſimum. Vide S. Thom. *2. contra Gent. c. 55.* & *de malo q. 1. a. 3. ad 18.* *3.* quia corruptio ſequitur ad naturam rerum corruptibilium, ſicut enim nihil magis naturale vitro quàm frangi, ita nihil magis naturale rebus corruptibilibus quàm corrumpi, & mortalibus quàm mori. Vide S. Thomam *1. p q. 66. a. 3.* & *1. 2. q. 85. a. 6.* & *q. 5. de malo a. 5.*

Corruptio tamen moralis, hoc eſt, peccatum, propriè loquendo non eſt naturale, ſed potiùs contra naturam, *tum* quia adverſatur rationi, quæ eſt propria naturæ hominis; *tum* quia naturale dicitur: *quod eſt determinatum ad unum*, ſed potentia libera non eſt ad unum determinata. Corruptio rerum à nullo agente particulari intenditur, niſi per accidens, quatenus ſpectat ad ordinem & bonum univerſi, cujus quælibet creatura eſt pars, & cujus proinde bonum naturaliter magis appetit quàm proprium & privatum. Vide S. Thom. *3. contra Gent. c. 94.* & *1. p. q. 19. a. 9.* & *q. 49. a. 2.*

Quamvis autem Corruptio cauſas tantùm per accidens habeat, ut probat S. Thomas *l. 3. contra Gent. c. 13.* cùm ſit non ens, nihilominus in omnibus rebus caducis reperitur: ſicut quamvis per accidens umbra ex luce conſequatur, plerumque tamen & ferè ubique in ſublunaribus lux umbræ conjungitur: & licèt generatio fœminæ à natura non intendatur, ſed maris, teſte Ariſtotele *l. 2. de Generat. c. 3.* & *4. c. 2.* & *l. 7. Polit. c. 17.* S. Th. *1. p. q. 92. a. 1. ad 1.* major tamen eſt fœminarum quàm marium numerus. Vide S. Thom. *q. 1. de malo a. 3. ad 17.*

Naturaliter loquendo corruptio unius eſt generatio alterius, vide-

videmus enim quotidianâ experientiâ, nihil nisi ex corruptis nasci, nec enim materia potest omni formâ nudari.

Dicitur verò corruptio unius esse generatio alterius, non *identicè* (corruptio enim est ad non esse, generatio ad esse) sed *concomitanter* aut *causaliter*, quia corruptio nunquam reperitur sine generatione alterius, & corruptio disponit ad generationem. Alij etiam dicunt generationem esse eamdem realiter actionem cum corruptione; sicut enim calor essentialiter est non frigus, sive dicit distinctionem à frigore, ita calefactio essentialiter est exclusio & privatio frigoris: & quamvis in eodem instanti sit generatio unius & corruptio alterius, prioritâte tamen & ordine naturæ corruptio in genere *causæ materialis* est prior generatione (ad hanc enim disponit) generatio verò in genere *causæ efficientis* est prior corruptione, quia hanc efficit, & forma genita expellit corruptam. Vide S. Thom. *q. 28. de verit. a. 7.* & *1. 2. q. 118. a. 8. ad 1.* Et hæc quidem de Generatione & Corruptione in genere, nunc de Generatione viventium dicendum est.

XII. *Quæritur 11.* Quid sit Generatio *viventium*?

Resp. Generatio *viventium* bene definitur: *Processio viventis à principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ specificæ.* Vide S. Thom. *1. p. q. 27. a. 2.* & *4. contra Gent. c. 11.* & *in 3. d. 8. q. 1. a. 1. Dicitur 1. Processio*, quia generatio est actio, & quidem vitalis. *Dicitur 2. A principio vivente;* cùm enim sit actus vitalis, necessariò procedit à principio vitali. *Dicitur 3. A principio vitali conjuncto*, viventia enim intra se formant, quod generant, & materiam ex qua generant: sic planat semen intra se habet, ex quo aliam plantam generat: & fœtus antequam nascatur, matri unitur, velut fructus arbori; quò autem perfectior & magis intima est conjunctio generantis, & geniti, eò perfectior generatio, ut patet in Verbo Divino. Vide S. Thom. *cit. Dicitur 4. In similitudinem naturæ specificæ.* requiritur enim ad hoc, ut aliqua actio sit vera generatio, ut & terminus genitus sit similis generanti, & ipsa generatio in *quarto modo dicendi per se* sit assimilativa: & *ratio* est, quia generatio est propagatio, & perpetuatio speciei, & ideo in Divinis spiratio Tertiæ Personæ non est generatio, *tùm* quia licèt Spiritus sanctus habeat eamdem naturam cum Patre, non tamen assimilatur Patri, quà tali, quia procedit ut amor

reciprocus Patris, & Filij, amor autem non dicit similitudinem naturæ, sed tantùm morum & voluntatis, & cùm sit amor Patris & Filij, si ejus Processio esset generatio, æquè esset Patris, & Filij Filius: *tum* quia non participat naturam ut naturam, hoc est, ut fœcundam, & principium internæ operationis. Filius verò & participat naturam, ut naturã, hoc est, ut fœcundam, cùm sit principium Spiritûs sancti: & ejus processio est assimilativa, procedit enim ut imago substantialis & expressiva Patris, & ideo ejus Processio est assimilativa: & quamvis eamdem naturam divinam cum Patre habeat, identitas verò excludat similitudinem, hoc *nihil obstat*, quia Verbum non est idem cum Patre, quà Pater est, distinguitur enim realiter à Patre; sed quà Deus est, & hoc non habet ut Procedens, sed ut Deus.

Ex dictis colligitur, efformationem Evæ ex costa Adami non fuisse generationem, *tùm* quia Adamus ad illam *activè* non concurrit, sed tantùm *passivè*: *tum* quia vi illius formationis non homo tantùm, sed & bos, & aliud animal ex massa illa carnea prodire poterat. Vide S. Thom. *1. p. q. 42. a. 2. ad 3.* sic etiam aves, quæ pullos alienos incubatu fovent, & excludunt, non esse veros parentes, *tum* quia pulli non procedunt ab incubantibus, ut à principio conjuncto, *tum* quia quando gallina excludit ova pavonum, pulli non gallinæ assimilantur, sed pavoni, qui genuit: *tum* quia perdix, quando aliena ova fovet, pulli, ubi avis à qua geniti sunt vocem audierint, matrem naturæ instinctu agnoscunt & sequuntur, relicta nutrice. Vide Plin. *l. 10. c. 53.* *tum* etiam quia in fornacibus Cairi in Ægypto levi igne subjecto pulli ex ovis excluduntur, quis verò dicat fornacem illam, aut calorem veros esse pullorum parentes? Vide Plin. *l. 10. c. 54.* & Aristot. *l. 6. de hist. animal. c. 2.* *Syracusis*, inquit, *potator quidam ovis sub floreis in terra positis tamdiu potabat, donec ova ederent fœtum.* Cùm ex equo & asina mulus gignitur, ea generatio irregularis est, & ideo mulus neutri parentum quoad speciem perfectè assimilatur, imitatur tamen. Vide Aristot. *l. 2. de generat animal. c. 7. & 8.* S. Thom. *q. 3. de Verit. a. 8. ad 4.* & *1. p. q. 31. a. 3. ad 6.*

Sed quia tota generatio viventium virtute seminum peragitur, ut in plantis, herbisque patet, operæ pretium fuerit ostendere,

dere, unde tanta ſemini vis, ut ex modico rudique grano, aut modica ſanguinis gutta omnium animalium, plantarum, florúmque corpora elaboret, artificio tam ſtupendo, ut humanam omnem induſtriam & laborem vincat.

XIII. *Notandum 1.* Deum ab initio Mundi materiam quamdam chaoticã, & confuſam creâſſe, quæ omnium creaturarum corporearum ſemen univerſale & πανσπερμίαν continebat, quod ex verbis ſcripturæ manifeſtè deducitur *ſap. 11. v. 18. Omnipotens manus tua, quæ creavit Orbem terrarum ex materia inviſa.* Datur ergo aliqua materia, in qua *virtualiter* & velut in ſemine totus orbis terrarum continetur. Et *Eccleſiaſt. 18. Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*: quando ſimul creavit omnia, qui ſpatio 7. dierum? quia vid. in creatione materiæ illius ſeminalis omnia *virtualiter* creata ſunt. & *Gen. 1. Et ait Deus: Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens ſemen &c.* Quomodo autem germinaret terra implantata, inculta, inſeminata herbas, & arbores, niſi indita illi à natura eſſet panſpermia quædam & vis ſeminalis rerum omnium? *Notandum 2.* Eſt verò ſemen corpus quoddam ſpiritoſum ſulphureo-ſalino mercuriali qualitate præditum, non quòd ſemini hæc tria mineralia *formaliter* inſint, ſed tantùm *virtualiter*, hoc eſt, quoad illorum qualitates, ſi fortè ſalem excipias, qui videtur *formaliter* rebus omnibus ineſſe, ut paulò pòſt dicetur. Calor verò naturalis maximè ſulphur imitatur, pollet enim exſiccativâ & oleagineâ quâdam virtute, & facillimè inardeſcit; hinc ſemini ſulphureus quidam calor, & quæ frigida, minus ſeminis habent, minusque apta generationi. Humidum autem radicale maximè in mercurio ſeu argento vivo apparet, eſt enim aqueæ, & aëreæ ſubſtantiæ, & in quo aqueum ſicco, ſubtile groſſo, grave levi mirâ ratione conjunguntur. In ſale tandem ſoliditas & conſiſtentia ſeminis apparet: quamvis & in ſolo ſale virtutes ſulphuris, & mercurij lateant, eſt enim calidum, humidúmque, ſed prædominatur temperamentum terræ: in ſulphure etiam mercurij & ſalis proprietates ſub prædominio calidi & ſicci: in mercurio ſal & ſulphur, ſed prædominatur humidum. Nihil aliud ergo eſt ſemen, quàm maſſa quædam ſalis ſulphureo-mercurialis congelati, & ideo in omnibus ferè re-

bus:

bus ſalem reperias: naſcitur in medio maris, in litoribus, in putridis, in fimetis, urinis: vegetabilia omnia in ultima ſui reſolutione nihil præter ſalem relinquunt: volucrum pennæ nihil aliud ſunt, quàm ſalis efflorеſcentia, & ideo nec mingunt, lotio, quod ſale turget, colorandis pennis deſtinato: reperitur etiam ſal in reſolutione omnium alimentorum, eorúmque fæcibus, ſicut & in macerijs, fiſſuris, rimisque, unde ab avibus avidè expetitur. Ex libra plumbi calcinati ad decem uncias ſalis extrahes: & hæc *ratio* eſt, cur poſt duos aut tres annos meſſis, agri, niſi quieſcant, ſterilitatem ſentiant, ſalina vid. pinguedine in ſpicas paulatim conſumpta.

Notandum 3. Quod in ſemine naturæ ſalinum eſt, id oſſibus formandis ceterisq; corporis partibus durioribus deſtinatur, ſine quibus ſolidam ſubſtantiam corpus obtinere non poſſet, jam enim ſuprà dixi, temperamentum terreum in ſale dominari, imò & tota durities ac ſoliditas lapidum ex naturali ſale eſt, & ideo videmus calculos, & tartarum ex urina generari, quæ ſale abundat. Vide Kircher. *in Mundo ſubterr. Deinde* vapor iſte & ſpiritus ſalinus ſemini admixtus alium effectum præſtat, chromatiſmum vid. & colorationem corporum; omnis enim color ex ſalinis corporibus vitrioli, aluminis, & præſertim ſalis Armoniaci naſcitur, & ideo ſulphur, quod his ſalibus abundat, variè per ignem tormentatum innumeras colorum ſpecies exhibet: quando ergo corpus ex ſalis prædominio & ſulphuris minimâ parte conſtat, naſcetur lapis albi coloris, ut marmora candida: hinc pavoni alijsque avibus tanta colorum varietas, ſale vid. in colores abſumpto, & ideo urinâ carent.

Infunde in ſcyphum vel ſcutellam plumbeam acetum validiſſimum, intra paucos dies ceruſſam dabit candidiſſimi coloris, & pictoribus expetitam, quia vid. ſubſtantia plumbi aceto in minutiſſimas partes reſoluitur, quæ particulæ cùm ſale refertæ ſint, & vi aceti à terreſtribus ſordibus ſeparatæ, corpuſcula lucidiſſima exhibent. Jam verò ſi hanc ipſam ceruſſam crucibulo impoſitam igni validiſſimo imponas, intenſiſſimum colorem rubrum induet, quod minium vocant, priùs tamen in ſplendidam flavedinem, poſtea in herbaceum colorem, tandem, ut dixi, in

in minium vertetur, crescente vid. colore juxta caloris incrementum.

Hoc ipsum alio experimento demonstratur, quod etiam steganographiæ & arcanæ scripturæ inservit. Aquâ vitrioli candidæ chartæ quæcunque volueris inscribe, mox literæ evanescent, ac si nunquam inscriptæ essent, nullo vestigio prorsus relicto, quia vid. candor sali vitrioli innatus confunditur cum candore chartæ, & ideo notari, & discerni non potest: si verò chartam aquâ, in qua gallæ resolutæ sunt, extergas, literæ nigerrimo colore tingentur & spectabiles fient, quia vid. galla maximâ combusti sulphuris parte constat, unde nigredo existit. Vide Kirch. *in Mundo subterr. l. 8. sect. 1. c. 5.* Patet ergo chromatismum & colorationem corporum ex salib⁹ & sulphure, quod sale turget, provenire.

Alia etiam operatio est spiritûs, & vaporis salini, qui seminibus insidet, actinobolismus vid. seu radiatio; salis enim natura virtute quâdam radiativâ pollet, quâ corpora nitrosa, aluminosa & vitriolata in varias figuras efformat; cùm enim ob innatum calorem sit volatilis naturæ, certâ proportione in breviora, longiora, latiora, & arctiora filamenta extenditur & protruditur, donec consumpto humido durescat, & hinc tam diversæ plantarum, ramorum, foliorum, & in humano corpore membrorum figuræ. Tota ergo consistentia, soliditas, coloratio & figuratio membrorum & partium spiritui salino debetur, quo semen abundat, modo jam explicato. Quod verò in corpore humidum est, id totum à vapore mercuriali ducitur, ut salinâ & sulphureâ pinguedine mirè attemperatâ miscetur; tales sunt nervi, cartilagines, venarúmque ductus, sanguis item & phlegma. Bilis autem & spiritus animales, ac vitales à vi sulphurea, quæ calidissima, subtilissima, & in omnia penetrans, & ideo motui aptissima est. Patet ergo, totam illam & mirabilem vim seminis à vapore salino-sulphureo-mercuriali esse, massæ seminali undique asperso.

Notandum 4. Duas præsertim seminis virtutes esse, quæ generationi serviunt, magneticam vid. seu attractricem, & plasticam seu formatricem; attrahit enim semen partes, & materiam sibi similem, & deinde corpus format: hæc verò virtus pla-

ſtica per totam ſeminis maſſam diffunditur, ita tamen, ut non quælibet ſeminis portio omnibus partibus formandis ſufficiat; ex alia enim hepar, ex alia cor, ex alia caput, ex alia inteſtina, ex alia rami, ex alia flores. Et *ratio* eſt, quia ſemen nihil aliud eſt, quàm pars defæcatiſſima, & maximè decocta, & ſpirituſa alimenti: ſicut ergo omnes corporis partes nutriuntur, ita ex omnibus partibus ſemen deciditur, & naturali quodam motu, inſtinctúque ad ſuum centrum, hoc eſt, ad ſolliculos & vaſa ſeminalia velut ad ſuum centrum defertur; ubi ergo ſemen ad naturalem matricem, & locum generationi aptum devenerit, ſpiritus architectonicus, & opifex illi inſidens fabricam corporis molitur, ita ut pars ex capite deciſa caput, ex manibus deciſa manus, & ſimilis ſimilem elaboret. Pulchrum hujus rei experimentum in ſpeciebus viſibilibus habetur, ſunt enim etiam ſpecies ſemen objecti; ſi enim hominem v. g. in tabula depingas & hanc imaginem ſoli exponas, ejusque ſpecies per minutiſſimum & punctale foramen chartâ excipias, in cubili penitus obſcurato, videbis totam illam hominis imaginem unà cum ſuis coloribus membrisque in charta exprimi, ita ut caput capiti, pedes pedibus reſpondeant. Si verò chartam foramini admoveas, tota illa ſpecierum pictura confundetur, nihilque aliud præter lucidum circulum apparebit; quantò verò magis chartam à foramine ſemoveris, tantò magis ſpecies illæ evolventur, donec perfectam diſtinctionem, & configurationem recipiant. Ita res in ſemine habet; hoc enim in matrice velut maſſa quadam homogenea, confuſa, & ſine partibus latet, naturali tamen vaſis calore promovente incipit paulatim evolvi, radiare, & in partes diſtingui, ita vid. ut virtute plaſticâ agente pars ſeminis ex capite deciſa in caput, ex manibus deciſa in manus, ex floribus in florem, ex trunco in truncum erumpat &c. ita tamen ut partes maximè neceſſariæ primò formentur, quod in ovo perſpicuum eſt; ſi enim tertio ab incubitu die ovum pertundas, & microſcopio vitellum diligenter inſpicias, manifeſtam cordis effigiem deprehendes inſtar guttæ ſanguinis concretam, vibratamque vitali motu, & fibris in omnem partem projectis: poſt quatuor alios dies ſpina dorſalis, & deinceps omnia membra.

Notan-

Notandum 5. In semine aliæ sunt partes concretæ crassæque substantiæ, quæ cedunt in materiam corporis geniti: aliæ sunt partes subtiles tenuesque ac spirituosæ, in quibus virtus architectonica & formativa residet. Vide S. Thom. *l. 2. contra Gent. c. 89. & de potent. q. 3. a. 9. & 11.* & *1. p. q. 118. a. 1.* Et hæc de semine præcipuo generationis instrumento, nunc de Rarefactione, Condensatione & Mistione, quæ generationi plerumque interveniunt, aliquid dicendum.

XIV. *Quæritur 12.* Quid sit *rarefactio?*

Resp. De Rarefactione notanda sunt sequentia. *Notandum 1.* Raritas & densitas subinde accipitur pro partium positione, quâ sibi viciniores, aut remotiores magis aut minùs comprimuntur; quis enim neget, posse spongiam sine alia adjuncta qualitate manu comprimi, & iterum laxari, sicque densam, raramque fieri? Aliquando verò sumitur pro qualitate sensibus subjecta, quæ consequitur corpora ex eo, quòd parum aut multum materiæ habeant sub dimensionibus. S. Thom. *3. p. q. 77. a. 2.* Ex hac verò qualitate consequitur, ut aliquod corpus hunc vel illum situm occupet, & partes materiæ viciniores sibi aut remotiores sint.

Notandum 2. In rarefactione neque præcedens quantitas aboletur, neque nova acquiritur. S. Thom. *1. 2. q. 52. a. 2.* & *2. 2. q. 24. a. 5.* Quòd præcedens quantitas non aboleatur, certum videtur, quænam siquidem causa tam repentinæ cladis in quantitate? Quòd nova non acquiratur, probo; quia omnes partes materiæ ante Rarefactionem erant extensæ, ergo nova quantitas adveniens post rarefactionem, aut in materia recipitur, aut extra materiam? si hoc? ergo quantitas erit naturaliter sine subjecto: si illud? ergo in eodem subjecto erit duplex quantitas, quod est absurdum. *Rarefactio* igitur per hoc contingit, quòd partes materiæ, & quantitatis priùs compresſæ & involutæ vi caloris extendantur, & evolvantur, ac majus spatium occupent, quàm antè, eo ferè modo, quo telæ explicatæ & evolutæ. *Vel* ut *alij* dicunt, Rarefactio ex eo provenit, quòd quantitas materiam magis, quàm antè perficiat; quæ enim priùs extendebat tantùm ad spatium *A.* post Rarefactionem extendit ad spatium *A.* & *B.* sicut enim eadem qualitas magis, magisque intendi potest

nullâ additâ entitate reali, ita quantitas magis magisque extendi, non tamen intendi, quia intensio non exigit majorem locum ut extensio. Vide S. Thom. *2. 2. q. 24. a. 5. ad 1.* & Conimbr. *l. 1. de Generat. q. 5. q. 17.*

XV. *Quæritur 13.* Quid sit *Mistio*, & utrum Elementa maneant *formaliter* in mixto?

Resp. Definitur communiter Mistio: *Miscibilium alteratorum unio. Mistio largè* sumpta accipitur pro conjunctione multorum in unum, quâ ratione etiam nummi & grana miscentur. Strictè verò accipitur pro vera duorum unione, ex qua resultat unum per se, ad quod requiritur extrema priùs alterari, & mutari, ut ex ijs aliud resultet. Ad veram ergo mistionem istæ conditiones requiruntur. *1.* Ut mistio præsupponat duas & distinctas substantias, ex quibus unum aliud fiat. Quando ergo ex aqua fit aër, non est mixtio, sed simplex generatio, quia unum permanet & alterum corrumpitur, non ergo ex his duobus fit unum aliud. *2.* Ut miscibilia reciprocè dividantur, ut vid. omnes partes, & non tantùm extimæ uniri sibi possint, aliàs non miscebuntur, & ideo metalla & ceræ non miscentur nisi priùs liquata. *3.* Ut miscibilia sint activa, aliàs non agent, nec tertium aliquod ex illis existet. Non oportet tamen unum alteri prædominari, omnesque qualitates contrarias dissipare, aliàs non erit mixtio, sed generatio, & agens fortius aliud minùs forte in se convertet. *4.* Ut miscibilia in unum locum conveniant, nam loco separata nec uniuntur, nec miscentur.

Dari verò hujusmodi mistionem probatur, *tum* quia experimur liquores aliquos ita commisceri, ut tamen aliquas virtutes, qualitates & operationes suorum simplicium retineant, ergo miscentur; hoc est, utraque forma ita perit, ut tamen reciprocâ actione qualitates temperentur, quod non reperitur in simplici generatione, sed tantùm in vera mistione: *tum* quia in mixtis reperiuntur omnes qualitates elementares attemperatæ, in ligno enim aliquid est frigoris, siccitatis, humidi calidique; miscibilia enim corrumpuntur *formaliter*, sed manent *virtualiter* in mixto, hoc est, quoad qualitates.

Objicies: Si datur aliqua mixtio, maximè datur inter liquores, v. g. aquam

g. aquam & vinum: ſed inter liquores non datur, ſi enim vinum aquâ miſceas & lagenæ ex hedera infundas, vinũ transfluet manente aquâ, ergo ſignum eſt, aquã vino non miſceri. Vide Plin. *l. 16. c. 35.*

Reſp. 1. Quando liquores ſunt diverſæ ſpeciei, dubium vix eſt, eos non miſceri. Vide S. Thom. *3. p. q. 77. a. 8.* habent enim omnes conditiones ad veram miſtionem neceſſarias. Idem dicendum eſt de liquoribus ejusdem ſpeciei, ſi qualitatibus contrarijs polleant, ut ſi vinum Hiſpanicum Suevico miſceatur, *tum* quia hujusmodi vina videntur ſpecie diſtingui, cùm naturaliter & omni tempore exigant qualitates notabiliter diſtinctas: hæc verò exigentia naturalis & perpetua denotat ineſſe formæ aliquod prædicatum notabile & eſſentiale, & conſequenter ſpecificum, quod non eſt in alia: *tum* quia, ut ſupponimus, duo illi liquores habent qualitates contrarias (quod ex coloribus & saporibus contrarijs colligi poteſt (ergo poſſunt in ſe mutuò agere, & conſequenter dari mixtio; quamvis enim habeant formas ſubſtantiales ejusdem ſpeciei & ſimiles, habent tamen accidentia diverſæ ſpeciei & contraria, quibus reciprocâ pugnâ extinctis etiam individua corrumpuntur, & aliud tertium reſultat: *neque* hoc eſt novum, ut unum individuum in aliud agat, illudque corrumpat, ut patet in eodem etiam individuo animalis, in quo calor naturalis alimento deſtitutus in partes proximas agit easq; conſumit, unde debilitas & macies. Si ergo ſpeciebus vini conſecrati liquor alterius ſpeciei miſceatur, aut etiam vinum, ſed oppoſitis qualitatibus affectum, ſub illis Corpus Chriſti non manet.

2. Si verò miſceantur liquores ejusdem ſpeciei, v. g. duæ aquæ elementares, duo vina Romana &c. non miſcentur, quia carent qnalitatibus contrarijs, ſed tantùm continuantur, & manet idem numero liquor, & ſi ſpeciebus conſecratis infundatur, manet ſub illis Corpus Chriſti. Vide *c. cùm Martha de celebr. Miſſar.* & S. Thom. cit.

Ad quæſtionem principalem:

Reſp. 2. Formæ elementorum non ſunt *formaliter* in mixto, ita vid. ut ſint forma mixti. Fieri quidem poteſt, ut in poris corporis mixti aliquæ particulæ elementares reperiantur, ſicut aqua in ſpongijs, ignis in ferro candenti, ſed hoc non eſt eſſe

formam mixti, alioqui fieri naturaliter posset, plures formas recipi in eadem materia, & possem de ligno dicere, quòd sit ignis, de equo quòd sit aqua &c. Vide S. Thom. *1. p. q. 76. a. 4.* & *opusc. 33.* Manent tamen elementa *virtute* in mixto, quia vid. in quolibet mixto reperire est quatuor qualitates elementares, in gradu tamen remisso, & formæ substantiali ejusque operationibus contemperato: & in animalibus præsertim quatuor humores quatuor elementis respondent.

Dices: Corpus hominis mortui resolvitur in aquam, aërem, & terram, ergo hisce elementis constat.

Resp. Vel aquam non esse, sed humorem, qualis etiam est, qui ex floribus, herbisque desudat: vel si aqua est, esse aquam non informantem, sed poris exceptam: aër verò & terra post multas transmutationes de novo generantur. Vide Conimbr. *l. 1. de Generat. c. 10. q. 3.* Expeditis quæstionibus de Generatione, agendum est de Nutritione, quæ partialis quædam generatio est, & de Augmentatione, quæ ad Nutritionem sequitur.

XVI. *Quæritur 14.* Quid sit, & quomodo peragatur *Nutritio*?

Resp. Circa Nutritionem notentur sequentia.

Notandum 1. Tres sunt animæ vegetativæ facultates, *Nutriens*, *Augens*, & *Generans*: cùm enim corpora animalium tum ab innato calore, tum etiam ab aëre, alijsque contrarijs continuò carpantur & tabescant, opus fuit partes absumptas continuò adiectione aliarum partium reparari, brevi alioqui toto corpore extinguendo: id verò fit per Nutritionem, quæ alimentum in novas corporis partes convertit.

Notandum 2. Nutritioni quatuor aliæ facultates ministræ serviunt, vid. *Concoctrix*, *Attractrix*, *Retentrix*, & *Expultrix*. *Concoctrix* alimentum receptum & aliquamdiu retentum nativo calore subigit, alteratque, nec enim potest alimentum in corporis substantiam verti, & assimilari, nisi transmutetur, partesque dissimiles, & qualitates contrarias deponat; non ergo quælibet mutatio, & alteratio cibi est concoctio. *Coctio* ergo est caloris nativi opus. Illud verò quod transit ex alimento in substantiam aliti, respectu totius alimenti paucissimum est, adeò ut 50. diebus singulis mem-

membris vix tantum alimenti adjiciatur, quantum est unguis: hæc verò portio alimentaris ab omnibus excrementis purgata arctissimè colligatur, & solidatur, *tùm* ut à contrarijs tantò sit tutior, *tum* ut corpori solido adjici possit, & in hoc sensu verum est, quæ concoquuntur, semper fieri crassiora, cùm aliàs alimentum, quò magis concoquitur, eò mollius & liquidius fiat ac subtilius; nam chilus multò tennior est pane v.g. aut carne, quæ comeditur, sanguis tenuior chilo, spiritus tenuior sanguine &c. Concoctioni Incoctio aut Indigestio opponitur, Græcis ἀπεψία.

Differentiæ Concoctionis sunt tres, *Elixatio, Maturatio,* & *Assatio. Elixatio* est concoctio humidi ab humido calido facta, & ideo quæ in sartagine coquuntur, non elixantur; quia calor coquens humido destituitur: sic etiam nec lapides nec ligna elixari possunt, quia nihil aut parum humidi habent; & si calor coquens aut nullus adsit, aut nimis remissus, non est coctio, sed indigestio. Vide Aristot. *l. 4. Meteor. c. 2.* & ibi S. Thom. sic etiam si humor sit nimis crassus, nec superari possit, non erit elixatio, ut in lignis: ille ergo humor est capax elixationis, qui aëreus est, seu aqueus. *Maturatio* est concoctio ejus alimenti, quod in fructibus arborum est: tunc verò fructus maturi sunt, qui verè perfecti, hoc est, qui semen consecuti generationi aptum. Vide Aristot. cit. Opposita Maturationi est cruditas, quæ est imperfecta mutatio alimenti defectu caloris. *Assatio* est concoctio humidi interni à calore externo & sicco.

Triplex verò est concoctio alimenti in animalibus. *Prima* exercetur in ventriculo, & dicitur *chilificatio*: *altera* in hepate, quæ *sanguificatio*: *Tertia* in singulis partibus, quæ *assimilatio.* Estq; harum concoctionum hæc ratio, ut si priores perfectæ sint, etiam posteriores, non contrà.

Notandum 2. Progressus primæ concoctionis hic est.

1. Alimentum ore excipitur, dentibus conteritur, & frangitur salivaque humectatur, & salivæ perfusione ac calore oris primam alterationem subit, cujus signum est, quòd cibi masticati mox colorem, saporemque mutent.

2. Cibus ita comminutus, & alteratus motu linguæ, gulaque hiante & partim vi attractrice interioris ventriculi, partim fibris

fibris œſophagi in ventriculum demittitur: eſt verò œſophagus fiſtula vel infundibulum ventriculi venis, tunicis, muſculis, fibrisque conſtans, per quæ cibus in ventriculum defertur. Cibus ſalivâ perfuſus faciliùs decidit, ne parietum œſophagi aſperitate detineatur. Oeſophagi tunica intima tota eſt nervoſa & exquiſito ſenſu prædita, ut quæ grata ſunt, ab ingratis diſcernat. Interim dum fit deglutitio, providit natura epiglottidem, hoc eſt, cartilaginem, quæ laryngem ſeu oſtium arteriæ aſperæ & vocalis claudat, ne ex cibo vel potu in arteriam vocalem ſeu tracheam multa decidant, ſed clausâ epiglottide in gulam abeant: non verò exactè clauditur, quin aliquid ex potu deſcendere in pulmones queat.

3. Ventriculus acceptum cibum ope fibrarum obliquarum arctiſſimè complectitur & vi caloris interni concoquit, & in chilum, hoc eſt, maſſam liquidam, lacteamque & pulti ſimilem convertit; ſi enim ventriculus cibum non arctè conſtringeret, is huc illucque fluctuans concoqui non poſſet, & ante tempus dilaberetur. Aſſumpto cibo ceſſat animalis appetitus ſeu fames, ceſſante nim. convulſione & divulſione ventriculi ob defectum cibi; ventriculus enim dum vehementer conatur cibum ad ſe attrahere, naſcitur ventriculi divulſio, ejusque latera in ſe concidunt & corrugantur cum acri morſu, non ceſſat tamen naturalis appetitus cibi niſi perfectâ nutritione, & corporis ſui ex ſanguine refectione; ventriculus enim non ſolùm nutritur chilo, ſed ut aliæ corporis partes, ſanguine, quod ſatis oſtendunt inſignes illæ venæ per totum ventriculum ſparſæ. Porrò ventriculi ſubſtantia nervoſa eſt & membranis, fibrisque contexta, ut facilè poſſit diduci ac iterum contrahi, nam cùm multus cibus ei ingeritur, ampliatur: cùm paucus, contrahitur: eſt verò figuræ rotundæ (quæ omnium capaciſſima eſt & ab injurijs tuta) & à dextro in ſiniſtrum oblongus, quippe duplici orificio præditus, altero quo cibos recipit, altero quo ad inteſtina in cremorem mutatos demittit. ***Coctrix*** ergo facultas in ventriculo alimentum primò elaborat, idque ***cum*** virtute animæ, cujus inſtrumentum eſt, ***tum*** calore nativo ventriculi, ***tum*** etiam calore partium vicinarum, jecoris vid. lienis, cordis, diaphragmatis &c. ***Tum*** præſertim fermen-

fermentatione & diſſolutione alimenti; nullus enim calor ventriculi tantus eſſe poteſt, qui oſſa v.g. à cane vorata tantillo tempore digerat, imò in piſcibus ventriculus eſt frigidus: glandulæ ergo in ventriculo frequentes: ex arterijs omnibus totoque corpore ſuccum aliquem mucoſum, acidum, penetrantem (qualem in vomitu experimur) attrahit, cujus vi etiam oſſa in ventriculo fermentantur, diſſolvuntur, & ita digeri poſſunt: ipſa ſaliva, quæ multâ aquâ, pauco ſale volatili & ſpiritu conſtat, maximè fermentationi conducit, nam ad fermentationem hæc præcipuè requiruntur, calor moderatus, aqua copioſa, & aëris liber aditus. Vide Kirch. *in Mundo ſubterr. l. 12. Sect. 4. §. 4.*

Poſtquam ventriculus ſuo munere functus eſt, chylumque in formam pultis viſcoſæ & tenacis redegit continuatâ fibrarum contractione, per infernum orificium, quod Græci πυλωρὸν, Latini janitorem appellant, in tenue protruditur inteſtinum, ab hoc in alia inteſtina vario & ſinuoſo anfractu, interim dum tranſit ſubtiliſſimas ejus partes, innumeræ lacteæ venæ totis inteſtinis ſparſæ adſugunt: quod verò ſupervacaneum eſt, & nimis craſſum ac nutritioni ineptum, quod fæces alvi appellamus, per craſſiora inteſtina expellitur: fit autem hæc expulſio duplici motu, uno naturali, & per fibras inteſtinis inſertas, dum vid. inteſtina *tùm* acrimoniâ flavæ bilis, *tum* pondere excrementorum irritata ſeſe contrahunt fæceſque protrudunt. *Alter* eſt motus animalis, dum nimirum irritatâ expultrice facultate pro arbitrio hominis ſpinter, quod viam fæcibus præcludebat, laxatur.

Notandum etiam eſt, chylum aqueo quodam humore perfundi, eique velut innatare, quo inſtar vehiculi facilè per venas etiam anguſtas perlabitur; hic ubi ſuo officio perfunctus eſt, à renibus ſecernitur & cum ſero ſanguinis urinæ materiam præbet, & hactenus prima concoctio.

Notandum 4. *Secunda* concoctio ita habet. Chylus per venas meſaraicas, & tandem per venam portæ in hepar defertur: Dicitur vena portæ, vel oſtiaria, quia per ejus radices, vel ſecundùm alios, ramos, nempe venas meſaraicas chylus ex ventriculo & inteſtinis exſuctus ad hepar defertur. Arabibus dicitur vena lactea, quia chylum lactei coloris attrahit; & hæc eſt vena poſt

cavam maxima, quæ ex parte hepatis oritur. Hic chylus in massam quamdam flavam evadit, quæ *chymus* dicitur, & in eo quatuor simul humores visuntur, sanguis, pituita, flava bilis, & melancholia, eo ferè modo, quo in musto recèns expresso vini quidam flos levis, & aëreæ naturæ supernatat, qui flavæ bili, fæx gravis & terrestris, quæ melancholiæ, crudus quidam humor & aquosus, qui pituitæ, & vinum aqueo illo humore perfusum, quod sanguini respondet. *Chymus* verò in hepate per specificam hujus virtutem in sanguinem vertitur, ut est communis sententia, de quo tamen vide Bartholinum *in Anatom. f. 365. & 145.* qui sanguinis confectionem non hepati, sed cordi attribuit, & Aristot. *l. 2. de partib. animal. c. 4. & l. 3. de histor. animal. c. 29.* Conimbricenses pro hepate stant *l. 1. de Generat. c. 5. q. 1. a. 1.* quorum argumenta refutat Bartholinus cit. *à fol. 145.* Ut verò sanguis tantò purior evadat, & aptior nutrimento, flava bilis in folliculum fellis, qui ad hepatis portas situs est, exoneratur, atra bilis in splenem (est verò splen seu lien in sinistro hypochondrio è regione hepatis tamquam alterum hepar) pituita *tum* cum sanguine devehitur, cùm sit sanguis semicoctus, *tum* omnes artus partesque corporis irrorat.

Est etiam secundæ hujus concoctionis aliud excrementum, humor vid. quidam serosus & aquosus, qui per venas, & arterias emulgentes à renibus maxima ex parte attrahitur, & per ureteres ad vesicam percolatur, atque urina dicitur; urina enim constat ex materia aquea, & potulenta, & insuper ex sero sanguinis, quod cùm alendo corpori sit inutile, à renibus attrahitur, & per vesicam excernitur. Est verò serum sanguinis nihil aliud, quàm sal, seu tartarum in cibo potuque superfluum, & alendo corpori incommodum. Cæterùm substantia hepatis est rubra, mollis, sanguinique concreto similis, durior tamen: innumeris pænè glandulis velut uva ex acinis constat, & venarum omnium est radix.

Notandum 5. Sequitur *tertia* concoctio. Sanguis ergo ab excrementis defæcatus cavâ venâ excipitur, quæ & ipsa ab hepate ortum ducit. Nunquam tamen sanguis purgari ita potest, ut non illi quatuor alij humores misceantur, quibus partes organicæ, prout diversæ naturæ sunt, aluntur. *Alij* tamen corpus solo san-

ſanguine nutriri dicunt. Vocari verò ſanguinem bilioſum, non qui actu bilem contineat, ſed qui nimio calore aduſtus facilè in bilem converti poſſit, habet enim ſanguificatio ſuam graduationem tam quoad exceſſum, quàm quoad defectum; & ita de alijs humoribus. Sunt etiam, qui negent quatuor humores in hepate gigni. Vide Conimbr. *l. 1. de Generat. c. 5. q. 4. a. 1.* Vena cava in omnem partem infinitos venarum & venularum ramos diffundit, per quos omnes corporis partes innumeris hiantibus poris ſanguinem ſugunt, eumque in ſui ſubſtantiam vertunt, & tunc nutritio perficitur: ſingulis enim partibus ineſt magnetica illa facultas, quâ ſanguinem ex proximis venis attrahant, retineant, alterent, apponant, agglutinent ſibique aſſimilent, primò tamen in *rorem*, tum in *gluten*, ac tandem in *cambium* mutant. *Tertia* hujus concoctionis excrementa ſunt duo; unum craſſius (& ſunt illæ ſordes, quæ lineis veſtibus adhærent, item in cerebro, naribus, oculis) aliud tenuius, quod per inſenſibilem tranſpirationem reſolvitur, interdum per ſudorem.

Cæterùm quamplurimis & certiſſimis experimentis compertum eſt, ſanguinem perpetuâ pericycloſi & gyratione in orbem rotari, ita vid. ut ex hepate in venam cavam (hæc ventriculo dextro cordis inſeritur, & ideo ex corde potiùs, quàm hepate oriri videtur, eſtque omnium venarum mater, & maxima. Vide Bartholinum *f. 639.*) ex vena cava in cor, è dextro cordis ventriculo in venam arterioſam, ex hac in arteriam venoſam, ſeu pulmonariam, & ſiniſtrum cordis ventriculum, hinc in arteriam aortam, reliquaſque arteriolas (eſt aorta omnium arteriarum mater) ex arterijs per communia oſtiola, aditusque in venas minores, tum majores, & venam cavam, & ab hac in cor redit: hic ſanguinis curſus. Cor unâ horâ plus quàm ter mille pulſus edit, ſingulis verò pulſibus aliquid ſanguinis, ferè ſemiunciam expellit, & ita unâ horâ plus quàm decem ſanguinis libræ evibrantur, & totidem cor ineunt: eſt verò hic motus ſanguinis continuus, nec momento interrumpitur, & citiùs horæ quadrante totus abſolvitur: cum ſanguine moventur etiam vitales ſpiritus. Fit verò hic motus *tùm* pulſu cordis, *tum* pulſu fibrarum venalium, & venarum attractu.

Hujus circulationis finis eſt, *tùm* ut continuo ad cor appulſu ſanguis calefiat, *tum* ut motu agitatus non putreſcat, ſed ventiletur, *tum* ut rareſcat & extenuetur, quò generandis ſpiritibus habilior fiat. Sanguis tamen, qui ex minimis arteriolis rectà in carnem defertur, & in *rorem, gluten* ac *cambium* mutatur, hâc circulatione non agitur. Vide de ſanguinis circulatione epiſtolam Joannis Vallæi ad calcem Anatomiæ Bartholini.

Notandum 6. *Fames*, cui ſedandæ nutritio laborat, *eſt appetitus calidi & ſicci: Sitis* eſt appetitus *frigidi* & *humidi.* Conſumpto alimento, aut aliàs noxiâ qualitate irritatus ventriculus nimiâ alimenti attractione convellitur, corrugatur, colliditur: phantaſia repræſentat cibum ut neceſſarium, appetitus appetit, & niſi obtineat, dolet: cibus verò cùm ſit ſolidior, plus habet calidi, & ſicci, quàm aliarum qualitatum. Idem *proportionaliter* dicas de ſiti; corpore enim aut æſtu, aut balneis, aut hepatis intemperie, aut abundantiâ ſalſi humoris, ut in hydropicis, aut aliàs omni humore abſumpto, appetitus frigidi, humidique naſcitur: prodeſt autem potus nutritioni, *tùm* quia cibum per anguſtias venarum ſecum defert, *tum* quia fæces alimenti diluit, effertque, *tum* quia ſanguinis calorem temperat, *tum* quia ſuâ humiditate calorem naturalem moratur, ne humidum radicale nimis citò abſumat, ſicut ſal oleo infuſum calorem flammæ. Quamvis verò ſitis ſit appetitus humidi frigidique, & ita calidiora animalia plus ſitiant, aves tamen rapaces, quæ calidiſſimæ ſunt, minimum bibunt, ſed habent majores pulmones, quorum ope plus aëris attrahunt & refrigerantur, id enim conſultius natura duxit, ne volatum humor impediret. Vide Conimbr. *l. 1. de Generat. c. 5. q. 5.*

Notandum 7. Ad alimentum requiritur, *tùm* ut ante concoctionem partim ſit alito diſſimile (ſi enim omnino ſimile, alteratione, & concoctione non indigeret) partim ut aliquo modo ſimile (nam ſi nimis repugnet, vinci, & concoqui non poterit) *tum* etiam ut plus patiatur, quàm agat, ſecùs aut medicina, aut venenum erit. Quod tamen uni venenum eſt, poteſt alteri alimentum eſſe, aut conſuetudine, aut etiam innatâ formæ qualitate: ſic ſtruthio ferro, viperæ ſcorpionibus, coturnices veratro, anates bufonibus veſcuntur, & aliqui etiam homines veneno;

cùm

cùm enim alimentum etiam agat, & ventriculum suis qualitatibus imbuat, poteſt tandem ventriculus mutare naturam, & veneno aſſimilari, & conſequenter ab eo non pati.

De Perſis narrat Columella, eos poma Perſica, quæ in ea regione venenata ſunt, ſolo Romano intuliſſe, ut vid. Romanos, quos oppugnabant, necarent, ſed poma cum ſolo naturam mutârunt, ita cibis aut venenis in ſtomacho accidere poteſt. Ex mineralibus ſal tantùm cibum præſtat, vel potiùs cibi condimentum: ex vegetabilibus frumenta (triticum, ſiligo, hordeum &c.) bulbi & radices (cæpa, allium, glandes, petroſelinum, rapæ) ex animalibus carnes, pinguedines, medullæ, inteſtina, cerebella &c.

Notandum 8. Pura elementa non ſerviunt nutritioni, *tum* quia pura elementa non dantur, *tum* quia verti in ſubſtantiam aliti non poſſunt ob qualitatem prædominantem, quæ vinci non poteſt; cùm enim mixtum nullam qualitatem habeat in gradu excellenti ut elementum, quomodo iſtud vincet? *tum* quia animalia, quæ videntur puris elementis veſci, ut chamæleon aëre, piſces aquâ, ſerpentes terrâ, non tam puro elemento, quàm exhalationibus, corpuſculis, alijsque ſubſtantijs fumidis paſcuntur. Sic etiam cùm Plinius, alijque ſcribunt, paſci aliquos homines odoribus, intelligendum non de accidente odoris, ſed de ſubſtantia odorifera: hæc tamen non nutrit, quippe quæ cerebrum occupat, non ventriculum, in quo nutritio peragitur. Vide Ariſtot. *l. de ſenſu & ſenſibus c. 5.*

Notandum 9. Omnium Medicorum & Philoſophorum ſententia eſt, omnia membra ſanguine nutriri, *tum* quia nutritio datur ad conſervandam vitam, hæc verò conſiſtit in calido, & humido, quod ſolius ſanguinis eſt; *tum* quia ideo venarum rami toto corpore & membris ſparguntur, ut delato ſanguine per minimas & capillares venulas omnia membra nutriant, reliquis humoribus, v. g. bile, melancholia &c. in propria & peculiaria vaſa deſtributis. Quædam tamen membra alio ſucco, quàm ſanguine aluntur, oſſa medullis, nervi humore albido & viſcoſo: ventriculus partim chylo, partim etiam ſanguine, qui per venas à jecore & ventriculum ſpectantes eò delabitur.

Nec mirum eſt, ſanguinem tot diverſis membris, diverſique temperamenti (alia enim ſunt calidæ, alia frigidæ, alia humidæ naturæ, alia dura, alia mollia) ſervire; ſicut enim ex uno ſemine tot membra formantur, ita uno ſanguine aluntur, quia ſanguis maximè ad ſemen accedit, & quælibet membra virtute aſſimilativâ gaudent, & ita videmus ex uno, eodémque humore tot ſtirpes, arbores, flores, coloresque prodire.

Notandum 10. Omnia viventia & ſola nutriri, nutritio enim eſt actio vitalis; ignis ergo impropriè nutritur lignis & per *juxta poſitionem*, non per *intus ſuſceptionem*, caret enim organis, cùm è contrà quæ nutriuntur, habeant formam organicam, & per hanc agant, & alimentum tranſmutent. Ideo verò viventia indigent nutritione; quia calor naturalis agit in humidum radicale, ſicut flammula in oleum; oportet ergo hoc humidum reparari, quod fit per nutritionem: ſed quia humidum alimentitium non æquat perfectionem humidi naturalis, tandem ſequitur mors humido radicali penitus abſumpto, & calore naturali per continuam repaſſionem tandem corrupto; ſicut vinum affusâ aquâ augeſcit quidem, ſed ſi nimium aquæ affundas, forma vini corrumpitur. Quò verò humidum magis viſcoſum eſt, & compactum, eò diutius (niſi ſuperabundet) vita conſervatur; & ideo reſinoſis (ut plantis, oleaceis, & quæ reſinam fundunt) diuturnior vita quàm aqueis: quæ *ratio* etiam eſt, ut mares longioris ſint vitæ, quàm fœminæ, & quæ exercentur, magis, quàm quæ non exercentur, & deſides ſunt, ventilatis vid. motu fuliginibus, & conſumptis excrementis, quæ calori & ſpirituum actioni obſtant.

Notandum 11. Nutritio toto vitæ tempore dūrat, non ita quidem, ut ſi momento ceſſet nutritio, oporteat animal mori, ſed quia animal ſemper indiget alimento, & quo momento omni prorſus alimento caret, incipit eſſe in ſtatu, & diſpoſitione corruptionis, calore naturali in humidum radicale, & partes corporis agente; ſicut quo momento ſubtrahis flammæ eſcam, ea ad corruptionem diſponitur: ſemper ergo facultas nutritiva agit, aut alimentum diſponendo, alterandoque, aut in ſubſtantiam aliti vertendo, in qua ultima converſione propriè nutritio conſiſtit.

Quam-

Quamvis igitur multa animalia cibis diu careant (ursa enim 40. diebus latet sine cibis, quo tempore maximè pinguescit: stelliones quoque, & crocodili fluviatiles totam hyemem sine cibis ducunt; & in Brasilia avicula quædam rostro ex arboribus suspenso sex mensibus jejuna vivit: Albertus quoque *in l. 7. de Anima.* & *Tract. de Nutr.* dicit, Coloniæ fœminam repertam, quæ 40. dies, aliam quæ 20. inediam toleraverit) non tamen carent nutritione, aluntur enim humido quodam frigido, crassóque, & ideo tunc maximè pinguescunt, ut de ursis & gliribus Aristoteles aliíque tradunt: non ideo tamen potentia nutritiva semper agendo lassatur; sicut nec lapis cadendo, nec sol illuminando, quia agunt per modum naturæ, & quia nutritio novos semper spiritus, & vires vitamque suppeditat, nihil autem vivendo fatigatur: repatitur tamen potentia nutritiva, & tandem hebescit, deficitque. Vide S. Thom. *1. p. q. 119. a. 1. ad 5.* & *l. 2. contra Gent. c. 97.*

Notandum 12. Communis & certa sententia est, quam docet S. Thomas *1. p. q. 119. a. 1.* alimentum converti in substantiam aliti, *tum* quia corpus humanum crescit, aut ergo crescit per rarefactionem primævæ materiæ, & in conceptu à parentibus acceptæ (quomodo ex uno terræ pugillo gigni possunt decem aquæ, centum aëris, mille ignis) & hoc non, patet enim experientiâ, corpora virorum non esse rariora, sed multò densiora & solidiora, quàm corpora infantium: aut crescit per divinam virtutem, quæ eamdem materiam in situ diverso constituat, & neque hoc, quia aliàs nutritio & augmentatio non *naturaliter*, sed *supernaturaliter* fierent, quod est absurdum; quid enim magis animali naturale, quàm cibo nutriri augeríque? & saltem in brutis, & plantis id nemo miraculo adscribet, ergo nec in homine, qui æquè ac illa *naturaliter* nutritur? *tum* quia hoc est alimentum calori naturali, quod oleum flammæ; & oleum convertitur in substantiā flamæ, cùm enim calor naturalis humidum absumat, & hoc absumpto portiones substantiæ corporeæ inarescant, & pereant, debent restitui, quod fit alimento in substantiam verso, & novis partibus in eas, quæ deperditæ sunt, substitutis. *Tum* quia non minùs difficile est alimentum virtute animæ vegetatricis in corpus verti, quàm semen in plantam, eadem enim anima, quæ semen in plan-

plantam, alimentum in corpus vertit, Ex quibus apparet, falsam esse Magistri sententiarum, & Hugonis sententiam, qui docuerunt, ab Adamo certam carnis, ac substantiæ portionem in posteros derivatam, & propagatam, & eam solam esse hominis materiam, quæ eadem & incorrupta usque in mortem perseverat, nec alimentum adhiberi, ut materiæ jacturas suppleat, sed ut in illud calor naturalis agat, intactâ illâ primigeniâ; sicut aurifices, cùm aurum igne liquefaciunt, plumbum adjungunt, in quod dum ignis sævit, aurum interea tutum est. *Si igitur* toto vitæ tempore corporis partes carpuntur, & pereunt alijs substitutis, quomodo erit idem numero, & physicè corpus, quod toties perit, toties reparatur? *Respondeo* in corporibus corruptibilibus non requiri tantam unitatem & indivisibilitatem, quantam in corporibus incorruptibilibus: ideo igitur vivens est idem numero, quia novæ partes, quæ viventi accedunt, transeunt in partes præexistentes, quibus uniuntur, & continuantur; est ergo idem numero vivens non *indivisibilitate*, sed *continuatione*, quæ unitas multò est major, quàm unitas fluvij, in hoc enim partes sibi uniuntur merâ successione, non verò conversione & verâ commixtione. *Vel* etiam dici potest, ut aliàs explicatum, animal quamdiu vivit; semper aliquid retinere de illo humido radicali, quod in prima generatione accepit, hoc enim absumpto, mors sequitur.

Notandum 13. Substantiam quidem non habere partes *formaliter*, sed tantùm *radicaliter* (hoc est, non actu extensas, sed quæ possunt extendi per quantitatem, juxta superiùs dicta) quando ergo pars alimenti partibus aliti adjungitur, hanc formalitatem partis substantia non *immediatè* habet, sed *mediante* quantitate; substantia enim *formaliter* & ex se nec est extensa, nec divisibilis, sed utrumque effectum habet à quantitate.

Notandum 14. Sicut adeptio novæ substantiæ *nutritio* vocatur, ita novæ quantitatis *accretio*: & quidem sicut per nutritionem semper nova substantia, ita per accretionem nova quantitas acquiritur, sed propriè non vocatur *accretio*, nisi cùm aliquis majorem quantitatem accipit, quàm antè habuerit. Ergo à primo ortu usque ad annum vigesimum primum, vel ex sententia Hippocra-

pocratis usque ad annum circitèr vigesimum quintum homo crescit, quia plus versùs omnem dimensionem accipit alimenti, quàm ejus substantiæ decedat, magis enim tunc valet calor, & humidum radicale, & ideo cæteris paribus plus alimenti convertit. Post hos annos crescit quidem homo in latera, sed non in longum, longitudo enim dependet ab ossatura, ossa verò difficiliùs crescunt & augentur, *tum* quia sicci, frigidique temperamenti, *tum* quia duriora, & solidiora, & ideò nec ita facilè consumuntur, nec reparantur: dentes tamen excipe, quos, quia usu continuo atteruntur, voluit natura crescere & restitui. Caro quia temperamenti humidi & calidi, facilè dissolvitur, & dissoluta reparatur, & hæc est ratio, ut corpora semper possint pinguescere, non verò semper crescere. Vide S. Thom. *1. p. q. 119.*

Notat etiam Aristoteles *l. 1. de Generat. c. 18.* hominem quinquennio ferè habere circiter dimidium suæ magnitudinis. Plinius id trimatui adscribit *l. 9. c. 16.* Quia verò corpus cribri instar totum poris perfunditur, idque propterea, ut totum corpus sine dissolutione continui nutriatur & augescat, & ut locus detur evaporationi, transpirationi fuliginum (quæ insensibilis transpiratio tanta est, ut à somno quis, teste Sanctorio, tribus libris sentiat se leviorem) ideo totum corpus ut nutritur, ita etiam augetur.

XVII. *Quæritur 15.* Quodnam sit *principium Individuationis?*

Resp. Generatio est tantùm individuorum, nec enim equus, aut homo in specie tantùm generantur. *Individuatio* autem *sumitur à materia, ut dicit ordinem ad certam designationem quantitatis*; quæ enim sunt plura numero, ea sunt divisa, quæ sunt divisa, habent partes (quod enim partibus caret, est indivisibile, nec divisionem admittit) sed habere partes provenit tantùm à quantitate, ut suprà dictum est; tota ergo distinctio numerica originem suam ducit à divisione, & consequentur à quantitate. Hanc Conclusionem perpetuò docet S. Thomas *2. contra Gent. c. 93.* & *1. p. q. 41. a. 6.* & *q. 50. a. 4.* & Aristoteles expresse *12. Metaph. c. 8. text. 49.* ubi: *quæcunque numero sunt multa, ea materiam habent.*

Ratio est 1. Forma non potest esse principium individuationis, ergo materia ut signata quantitate. *Antecedens probatur.* Forma ut forma est communicabilis (est enim actus, & principium speciei) ergo non potest esse ratio incommunicabilitatis, ergo nec ratio unitatis numericæ, hæc enim est omnimoda & ultima unitas, & cui repugnat in alia communicari & multiplicari; quamvis enim naturæ humanæ non repugnet communicari pluribus, Petro v. g. & Paulo, implicat tamen hanc numero naturam esse illam, sic enim esset & hæc & illa, ergo essent duæ, ergo non una numero. Origo igitur & radix, ut homo sit Petrus, non Paulus, non provenit ex natura ut præcisè includit prædicata essentialia, sed ut dicit materiam cum ordine ad istam potiùs, quàm illam quantitatem.

2. Duo individua distinguuntur *substantialiter*, aliàs non essent duo, ergo dissimilantur *substantialiter*; sed non dissimilantur per prædicata essentialia (Petrus enim & Paulus ut homines, sunt similes, quid enim hominis est in Petro, quod non sit in Paulo? nam si aliquod prædicatum hominis esset in Petro & non in Paulo, jam specie distinguerentur, & non tantùm numero) & per formam, ergo per materiam ut signatam. Vide S. Thom. *1. p. q. 29. a. 1.* causa enim *efficiens* non potest esse radix *intrinseca* individuationis, *tum* quia est extrinseca, *tum* quia naturam secundùm omnes gradus etiam specificos producit.

3. Natura dicitur per hoc individua, quòd sit ad istud individuum potiùs, quàm illud determinata, hoc est, sit in Petro, & non in Paulo: sed forma ut forma non est ita determinata, sicut enim albedo ut talis non est determinata ut sit potiùs in hoc, quàm illo subjecto, nec aqua ut sit potiùs in hoc, quàm illo vase, nec imago ut sit in hoc potiùs, quàm illo speculo, ita &c.

Dicitur verò materia esse signata quantitate, & radix individuationis, non quia actu informatur quantitate (nam etiam animæ separatæ nec sunt in materia, nec in quantitate, & tamen individuantur) sed quia dicit ordinem ad istam, vel illam quantitatem tamquam à forma dividente & numerum ac distinctionem substantialem faciente, videmus enim materiam ac quantitatem factâ divisione continuò multiplicari, & numerum facere.

XVIII.

XVIII. *Objicitur 1.* Quantitas non dividit materiam, nisi ut est in materia, ergo supponit materiam esse, ergo supponit eam esse individuam (nihil enim existit nisi quod est individuum) ergo non facit individuationem, sed supponit.

Resp. Respectus, quem dicit materia ad hanc quantitatem, non est à quantitate *formaliter*, sed tantùm *terminativè*; sicut potentia visiva non est visiva *formaliter* per colorem, sed tantùm *objectivè*: quantitas ergo supponit materiam esse *formaliter* & *intrinsecè* individuam, & tamen facit *terminativè* individuam: sicut visibilitas coloris non facit, ut *formaliter* anima sit visiva, sed tantùm *terminativè*, quod patet ex opposito; id enim est principium unitatis numericæ, quod est principium distinctionis numericæ: sed principium distinctionis numericæ est divisio, ut patet ad sensum, divisio autem supponit quantitatem..

Objicitur 2. Si materia individuatur per ordinem ad hanc numero quantitatem, ipsa quantitas per quid individuatur? an per aliam quantitatem? & sic dabitur processus in infinitum.

Resp. Quantitatem individuari à seipsa. S. Thom. *3. p. q. 77. a. 2.* ipsa enim sola est radix divisionis, & indivisionis numericæ, quia sola habet partes *formaliter*, ut aliàs explicatum est: & quamvis etiam formæ spirituales sint indivisæ, in quibus nulla est quantitas, illa indivisio est specifica, & formalis, non numerica & materialis, & ita unitatem specificam fundat. Alia verò accidentia specificantur per ordinem ad suum subjectum sub tali quantitate: quodsi plura accidentia in eodem subjecto & eadem quantitate recipiantur, recipiuntur tamen secundùm diversas potentias subjecti: sicut dulcedo recipitur ex participatione humidi, albedo ex participatione lucis. Vide S. Thom. *1. de verit. a. 1.* sicut enim potentiæ, & scientiæ specificantur, & multiplicantur per respectum ad objecta non semper *entitativè* & *formaliter* distincta, sic &c.

Objicitur 3. Angeli numero distinguuntur, & tamen in illis nec est quantitas, nec ullus ordo ad quantitatem: quodsi neges ex sententia S. Thomæ Angelos numero distingui, negari saltem non potest, Angelum habere naturam ac unitatem individuam, & singularem, ergo unitas individua non sumitur à quantitate.

 Resp.

Resp. Subſtantias immateriales per hoc individuari, quòd ſint omnino incommunicabiles materiæ, excludendo vid. ordinem ad omnem prorſus materiam; ſicut enim eſſe *in hoc* excludit communitatem univerſalis, quod prædicatur de multis, ita non poſſe eſſe *in aliquo.* Forma ergo materialis individuatur per ordinem ad materiam, quia eſt actus materiæ; forma verò immaterialis non eſt actus materiæ, & ideo ſingularizatur per excluſionem materiæ.

Objicitur 4. Idem individuum jam majori, jam minori quantitate præditum eſt, ergo individuatio non deſumitur per reſpectum ad quantitatem.

Resp. Materia redditur incommunicabilis, ut ſit hæc, non illa, per quantitatem, quatenus hæc cauſat diviſionem; poſitâ enim diviſione materia redditur incommunicabilis, & numero multiplicata, ita ut quæ ante diviſionem erat una, jam non ſit una, & hæc non ſit illa: non ergo quantitas individuat, *ut* major aut minor, ſed *ut* diviſionem faciens, ex qua ſequitur incomunicabilitas materiæ, ut vid. hæc non ſit illa.

INDEX PRIORIS PARTIS PHYSICÆ.

§. Unicus. De Natura Physicæ. *fol. 3*

SUMMARIA.

LIBER PRIMUS.

§. I. De Principijs in Genere. *fol. 14*

SUMMARIA.

§. II. De Materia Prima. fol. 29

SUMMARIA.

§. III. De forma Substantiali. fol. 62

SUMMARIA.

§. IV. De Toto Composito, & Unione partium, ac Subsistentia. fol. 82

SUMMARIA.

§. V. *De Terminis Magnitudinis & Parvitatis.* *fol.* 102

SUMMARIA.

§. VI. *De Natura, Arte, & Violento.* *fol.* 106

SUMMARIA.

§. VII. *De Cauſis in genere.* *fol.* 184

SUMMARIA.

§. VIII.

§. VIII. De Causa Prima. fol. 198

SUMMARIA.

§. IX. De Causis Secundis. fol. 239

SUMMARIA.

§. X. De Motu, Infinito, Loco, & Tempore. fol. 281

SUMMARIA.

5. Cui.

§. XI. *De partibus Continui, & Duratione ab æterno.* fol. 326

SUMMARIA.

§. XII. *De Generatione, & Corruptione.* fol. 344

SUMMARIA.

FINIS.